Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLVI.

VD18 90538986

urn:nbn:de:gbv:45:1-16618

Visual Library


C. 1. 48.

Nw. III, 6a

57

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg



DISPUTATIONES CHIRURGICÆ SELECTÆ.

COLLEGIT, EDIDIT, PRÆFATUS EST

ALBERTUS HALLERUS.

TOMUS QUINTUS.



D. Pelon pinx. L. Joubert orn. et sculp. Lugd.

LAUSANNÆ;
Sumptibus MARCI-MICHAEL. BOUSQUET & Socior.

MDCCLVI

Landesbibliothek Oldenburg

EX BIBLIOTHECA
OLDENBVRGENSI.

Landesbibliothek Oldenburg

ALBERTI HALLERI

AD QUINTUM VOLUMEN

DISPUTATIONUM CHIRURGICARUM

PRÆFATIO.

Finem ecce collectionis, quam ubertas materiei aliquanto copiosiorem fecit, quam quidem exspectaveram. Selectum in paucis excuso. Certe ea scripta prætuli, quæ propriam observationem haberent, de iis minus sollicitus, quæ alienam industriam alium in ordinem conjectam tradunt.

Practicam nunc pene ejusdem molis collectionem aggredior, quæ, dum hæc prodeunt, sub prelo est. In ea idem tenebo institutum, ut ex innumeris Dissertationibus eas seligam, quæ aut singularis morbi bonam historiam, aut cadaveris morbosi non sine cura institutam incisionem, aut minus notum, & fidum tamen remedium ægritudinis alicujus continent. Quæ, adeo infinitæ numero, morbi alicujus vulgaris vulgarem descriptionem, aut hypothesin aliquam, aut meram eru-

ditionem præ se ferunt, eas aliis relinquo. Cum vero multæ, eæque egregiæ utilitatis Disputationes Practicæ mihi desint, earum catalogum publicabo propediem, eruditos interim viros & Bibliothecis instructos officiose rogaturus, ut & publice prodesse, & non ingrato homini subvenire velint, communicatis mecum, quæ desiderabo, scriptis Academicis.

BERNÆ Helv. die 10. Junii 1756.



TABULA

TABULA DISPUTATIONUM

QUÆ

QUINTO TOMO CONTINENTUR.

PARS SEXTA

Vulnera.

CXXIV. BURCH. DAV. MAUCHART & PHILIPPI SIGISMUNDI SOALM *Lethalitas per accidens* Tubing. 1750. Maſcule & cordate contra epidemicam plurimorum Germanorum medicorum in vulneribus vere lethalibus excuſandis lenitatem pugnat, & mentem idoneis exemplis declarat, in quibus aut vere Chirurgus in culpa fuit, aut præter rem accuſationem ſubiit. *pag.* 1

CXXV. CHRISTIANI WENKER *Virginis per viginti ſeptem annos ventriculum perforatum habentis, hiſtoria & ſectio*, Argentor. 1743. Præcedit equidem hanc diſputationem alia AUGUSTI WENKERI fratris: quæ an. 1735 prodiit, & hiſtoriam memorabilem hujus puellæ continet. Verum, cum ea hiſtoria a fratre tota in libellum, quem nunc edimus, translata ſit, non viſum eſt eadem repetere, & ſumtus augere. Fecunda vero bonis obſervationibus eſt deſcriptio ſpontanei vulneris, ex rupti ventriculi abſceſſu nati; quod tot annis cum vita ſuperſtite geſtatum eſt. Menſes per ulcus effluxerunt: contractio ventriculi, qua cibos propellit, oculis ſe rariſſimo ſpectaculo obtulit. Plures alias hiſtorias perforati ventriculi, imprimis a B. noſtro olim HUMMELIO mutuatas, IDEM addit, & aliam coli inteſtini a callo pene clauſi. cujus caveam nucleus pruni funeſto eventu occluſit. 19

CXXVI. CHRISTIANI VATER & GUSTAVI PROSPERI JUCH *hiſtoria & cura buhonis inguinalis cum perforatione inteſtini & eruptione lumbricorum* Witteberg 1693. Et hanc, quam in titulo præfert, & alias inteſtini herniosi, gangrænosi, aut aliter perrupti hiſtorias narrat. 37

CXXVII. CAROLI FRID. LUTHER & JOACHIMI DOLGE *de ſpica deglutita & per apoſtema hypochondrii dextri rejecta* Kil. 1704. Brevis raræ ſanationis hiſtoria. 53

CXXVIII. ABRAHAMI VATER & J. REICHARDI TIEFFENBACH *Vulnerum in inteſtinis Lethalitas occaſione caſus rariſſimi quo colon vulneratum inverſum per 14 annos ex abdomine propendens exhibetur* Witeb. 1720. Etſi neglexit Vir Cl. occaſionem explorandi motus periſtaltici, & efficaciæ acrium medicamentorum, tamen obſervationem non contemnendam tradit. Tab. XXXVII. 61

CXXIX. FRANCISCI MERI & ADRIANI MALAVAL *Quæſtiones Medicæ* in hæc verba *Non ergo tenuium inteſtinorum vulnus lethale* Paris 1734. Exemplum inteſtinorum gangræna corruptorum & inciſorum feliciter ſanatorum continet. 75

CXXX. CAROLI FRIDERICI KALTSCHMIDT cum reſp. ADAMO JOANNE WEDEKIND *de vulnere hepatis curato cum diſquiſitione de le-*

Landesbibliothek Oldenburg

thalitate Vulnerum hepatis Jenæ 1735. Vulnus hepatis & in juvene & in canibus curatum, quibus de industria hoc viscus violaverat, neque magno molimine sanavit Auctor Cl. *pag* 83

CXXXI. J. Martini Reichart *Dissertatio exhibens uterum gravidæ una cum fœtu vulneratum* Argentor. 1735. Insignis est curatio vulneris sclopetarii utero paulo ante partum inflicti. Accedunt plurima notatu digna alia, rupti, neque tamen cum funesto eventu uteri, temerarii partus cæsarei pariter non infelicis: conjectura de aquis præcociter effluentibus, ex alterius gemellique fetus amnio manantibus, aliaque utilia. Denique Cl. Auctor nuperiorem hujus vulneris historiam plenamque curationem, mecum in litteris communicavit, quam latine versam subjeci. 99

CXXXII. Laurentii Heisteri & J. Andreæ Reinig *Dissert. de arteria cruralis vulnere periculosissimo feliciter sanato* Helmstad 1741. Curationem gravis vulneris facilem, solis aptis vinculis peractam, definibit. Ramus arteriæ cruralis exterior, quem frequentem ait esse vir Cl. omnino *profunda femoris* est, æque ac ipse truncus perpetua. Recte vero solutis, ob metum putredinis, exterioribus spleniis, interiora immota reliquit: torcular toto mense adhibuit, quod propria industria correctum ministro non indiget, sensimque laxavit, aneurysmatis vero metui prospexit lori genere ab ægro, sutore, excogitato. Addit ad finem, pari omnino felicitate, arteriæ brachialis vulnera vel aneurysmata sanari & majori, quod non raro arteria radialis a cubitali multo altiori loco secedat, & cubitali trunco in cubito ligato libera maneat, perque arcum volæ sanguinem in revinctæ arteriæ ramos reddat. Tab. XXXVIII. *p.* 131

CXXXIII. Antonii Nic. Guenault & Urbani Vandenesse Disp. in hæc verba *non ergo vulnerata crurali arteria ab amputatione auspicandum* Paris 1742. Vulnera gravia arteriarum femoris, posse vinculo tentari, quod arteriæ injicias, & spem esse anastomoses circa genu satis sanguinis suppeditaturas 153.

CXXXIV. Thomæ Renati Gagnier & Lud. Florentii Bellot quæstio *an in artuum excisione tutius a ligatura, quam ab alia compressionis specie sistitur sanguis?* Paris 1734. Plura ad historiam literariam monet. Grumum sanguineum durum arteriæ vulnus claudere negat, etsi ita a Galeno jam dictum sit. Amputationem ad Verduini morem Celso tribuit. Compressionem Petitianam refutat. 161

CXXXV. Claud. Antonii Renard & Lud. Pet. Felicis Ren. le Thieullier *Ergo ad sistendam membrorum resectionem supervenientem hæmorrhagiam datur artificium tutius vasorum ligatura* Paris 1752. Nempe venæsectio, anodynorum usus & quies. Ipsum celebratum Brossardi agaricum rejicit. 171

CXXXVI. J. Hermant & Pauli Le Roy Disputatio in hæc verba *Ergo in Arteriarum vulneribus tutum Hæmorrhagiæ sistendæ auxilium, Fungus maximus, rotundus, pulverulentus Johannis Bauhini* Paris 1752. Non recte Bauhino vulgatum chirurgorum Germanorum auxilium tribuit, neque bene eandem Lycoperdi maximi & Agarici Brossardiani causam facit, quorum alterum ab altero longe distat. Historiam tamen aneurysmatis spurii Agarico feliciter sanati utiliter producit, & D. Granclas experimenta in aliis agarici speciebus facta recenset. 182

CXXXVII. Augustini Prider. Waltheri Progr. *de Aneurysmate* Lipsi 1738. Refutat Frrindium, qui aneurysma non aliud quam spurium admisit. Incisi cadaveris historiam tradit, cui nascentis aortæ aneurysma ruptum erat. Aneurysma verum vocat etiam quod clausum est. Tab. XXXIX. *p.* 189.

CXXXVIII. Herm. Frid. Teichmeyeri & Nathan. Theophili Emrich Disputatio *de stupendo aneurysmate in brachio feliciter curato*, Jenæ 1734.

Landesbibliothek Oldenburg

1734. Curatio a B. Socero meo peracta: disputatio, non inerudite, a D. Emrich scripta est. A venae infelici sectione natum aneurysma, imperita curatione, emollientibus admotis, ingentem vim sanguinis fuderat. Etsi cutim vero gangraena tentavit, & sanguis effusus in putredinem abiit, felicissime tamen curatio absoluta est. Passim observationes alias adspergit Auctor, aneurysmatis innominati, in quo sanguis per arteriae poros exsudat; aneurysmatis aortae in ipso pericardio rupti: tum vim traumaticam essentiae oculorum populi *pag.* 195

CXXXIX. Jac Alberti Hazon & Francisci Thierry Disputatio in haec verba *An tutior faciliorque vulgari detur aneurysmatis Chirurgica curatio* Paris 1750. Describit instrumentum a Sculteto propositum, & a Vallantio Lugdunensi Medico perfectum, cochleam nempe, quae arteriam cubiti, contra eam circuli metallici ope adacta, solam comprimat. Vinculum arteriae una cum nervo circumjici suadet, quod expertus in canibus repererit, nervos, dum ligantur, dolorem vehementem facere, caeterum in ganglii speciem mutari, non ideo amisso sensu motuve. 211

CXL. El. Frid. Heister Laur. F. & Rud. Henr. Zeidleri Disp. *de nova brachiorum amputandi ratione* Helmst. 1739. Brachii ambusti, ut omnino prelum admoveri nequiret, non vulgaris amputatio: arteria omnium prima filo trajecta, deinde scalpello sub eo vinculo carnes circumcisae, denique os serra amputatum. Intus datum semen Phellandryi, quod ad vulnera & ulcera graviora populariter in Saxonia inferiori laudatur. Eandem administrationem, vinculum nempe arteriae injectum, in aliis arteriae brachialis vulneribus, in aneurysmatibus inque femoris malis commendat. Nervis grandibus vincula absque periculo injici adfirmat. Tab. XL. *p.* 221.

CXLI. J Frider. Tschepii *de amputatione femoris non cruenta* Dissert. Hall. 1742. Cum femur propter gangraenam amputaretur, arteria cruralis exsanguis nullum cruorem fudit, & vulnus quidem clausum fuit, ut tamen aegrotus ex carie ossis femoris periret. Causa incruentae amputationis in constricta arteria, & grumis eam replentibus, posita videtur. Cutis sensilis, ossium autem & musculorum minus sensilium hic testimonium habetur; deinde pulmonis densi fundum petentis, minimi, in mediis hydropicis aquis latentis. 219

CXLII. Petri Lallouette & Car. Franc. Theroulde de Toulouse de Vallun disputatio in haec verba *Ergo femur in cavitate cotyloidea aliquando amputandum* Paris 1748. Aliquando caries ossis femoris supremum caput infecit, cujusmodi exemplum auctor vidit, ut caput carioſum collum & trochanter carneae indolis, acetabulum denique erosum & carie corruptum esset. Ejusmodi casus omnino duos Cl. viro vidisse accidit, in quibus aegri vita servari, solitis quidem auxiliis, non potuit. Suadet adeo in ejusmodi calamitate perinde femur de acetabulo excidere, uti socer eius Ledranius humerum de cotyla scapulae ejecit. Sanguinis jacturam, experimento, ut quidem persuadetur, demonstrat exiguam esse. 265

CXLIII. J. Adami Kulmus & J. Jac. Knapii *de tendine Achillis disrupto & arteriis in osseam naturam conversis* Gedani 1730. A saltu male meditato ruptus tendo, inde gangraena funesta, cujus causa in arteriis osseis reperta est: Evincit Cl. vir, omnino tendinem vere vi ponderis incumbentis totius corporis ruptum esse. Superstitem extensionem peroneis & tibiali posteriori tribuit. Squamas osseas arteriarum membranae internae innatas, sibique etiam alias visas describit, eas ipsi membranae induratae adscribit, non effusae materiei. Ossificationes arteriarum abusui spirituum inebriantium imputat, ab iis sphacelos senum derivat. 275

CXLIV. Petri Castell *Experimenta quibus varias humani corporis partes sentiendi facultate carere constitit.* Gotting. 1753. Experimenta me comite, & saepe

etiam administrante sæpe facta, numerosa continet. Italice nuper Romæ recusa prodiit. *pag.* 295

PARS SEPTIMA

Variæ sedis morbi.

CXLV. Joh. Salzmann *de Curatione ossis femoris variore, frequentiore colli fractura* Resp. Andrea Flach Argentor. 1723. Rationibus, & collatis experimentis Ruyschianam sententiam tuetur 341

CXLVI. Christiani Gottliebe Ludwig Progr. *de fractura colli femoris* Lipsi. 1755. Elegante scripto Cl. Vir femoris cum pelvis ossibus articulationem ejusque firmamenta describit, luxationis casus exponit, negat se luxationem antrorsum factam potuisse repositam tenere. Inter fracturas proponit Epiphysin acetabulo adnatam, & alias caput solum superius acetabulo adhærens, collo sursum flexo & pariter ad femur adhærente. In adultis negat se caput a collo femoris secedens vidisse, ea enim ætate potius collum frangi: id vero vitium, cujus exemplum describit, sanationem non recipere Tab. XLI. 365

CXLVII. Nicolai Andry cum Resp. Huberto Linguet Thesis in hæc verba *An in humeri luxatione, ambe potius quam scala, janua, polyspastoque iterato renovata* Paris 1732. Contra J. Ludovicum Petit. Cl. Auctor defendit Amben, polyspaston ob violentiam musculis illatam, & vasa strangulata rejicit 377

CXLVIII. J. Sigism. Elsholz *historia steomatis resecti & feliciter curati* Berol. 1666 brevis, tumoris ad perinæum nati cystici, vinctique & amputati historia Tab. XLII. *p.* 383.

CXLIX. J. Salzmann & J. Pauli Kell Dissert. *sistens casum tumoris tunicati membranacei* Argent. 1721. defensa, historiam contenit steatomatis, sed ex mera cellulosa tela absque adipe compositi, ex vulnusculo nati, quod ad quinque libras cum increvisset, feliciter vinculo & cultro amputatum est. Theoriam inde ejusmodi tumorum tradit. Aliud viginti librarum pondere de imo dorso natum steatoma adducit, & exemplum funestæ incisionis clavi Tab. XLIII. *p.* 387

CL. J. Salzmanni & Georgii Friderici Orth Disputatio *de quibusdam tumoribus tunicatis externis* Argent. 1719. De tumoribus primo, quos spinas vocant bifidas, & analogis tumoribus occipitis exempla profert Auctor Cl. Orthius, & theoriam subjicit, & denique curationem, cujus felix excitat exemplum. Ea calore solo & suffumigiis peracta est, quæ vim adstringendi habebant 407

CLI. Laur. Heister & Bened. Andr. Friese *de tumoribus cysticis singularibus* Helmst. 1744. Utilis & observationibus plenus libellus. Primum exemplum tumoris cystici, sed putrido, ut videtur cruore pleni, fuit, qui laryngi vicinus & œsophago, pariter spiritus usuram ciborumque descensum impediebat. Eum Heisterus caustico lapide exesum, incisione necessaria repetita, dum asperam arteriam lamina argentea defendebat, & setaceo trajecto ex ipsa radice consumpsit, ulcusque sanavit. Duo alia exempla cystidum aquearum excisarum brevius describuntur Tab. XLIV. *p.* 429

CLII. J. Henseler *historia brachii prætumidi* Altdorf 1743 nempe œdematis insignis, ex quo serum acre stillavit, historiam & incisionem tradit Tab. XLIV. 443

CLIII. Alex. Camerarii & Phil. Chr. Laitenberger *historia pedis tumidi* Tubing. 1720. Insignis tumoris cruris per viginti & quinque annos gestati historia & incisio. Magna ex parte adeps fuit. Similia inde *hi-*

Landesbibliothek Oldenburg

exempla congregat; aliasque suas observationes, ut scirrhi manus ex erysipelate repetito nati: brachii tumidi ex scabie siccata. Appendicis loco entrochi inter lapidem scissilem reperti describuntur. pag. 461

CLIV. Alb. v. Haller & Auctoris J. Walbaum Disp. *de venæ sectione* Gotting. 1749. Post plurima & bona historica ad venæ sectionis ortum, progressum, cautelasque varias, novum instrumentum describit, quo sperat fore, ut absque ullo periculo aut alteratione ulla vena desiderata aperiri possit. Non videtur periculum equidem ullum superesse; ne forte sanguis non fluat, forte potest metui, expectare vero licet a clari viri industria, ut etiam is metus evanescat. Tab. XLVI. *p.* 477

CLV. Diet. Sproegel celeberrimi nunc Berolinensium practici, *observationes selectiores* Helmstadii 1720 propositæ. Abscessuum, maturam incisionem contra præjudicia suæ nationis, merito inculcat. Bubones pestilentes ante tertium diem salutari eventu aperiri, eo tempore neglecto fere mortem sequi, per experimenta monet. Scarifari gangrænosa membra jubet, & felicia exempla hujus administrationis excitat. Fistulam lacrumalem via naturali aperta curat, quæ ad nares ducit. In hydrocele graviori totum testem excidit. Castrationem in nonnullis herniis excusat & defendit. 539

PARS OCTAVA SUPPLEMENTUM.

CLVI. Serius acceptæ quædam memoriaque dignæ dissertationes sequuntur, & prima Antonii Ferrein diu quæsita *Quæstio medica, quinam sint præcipui, quomodo explicentur & curentur lentes crystallinæ morbi* Monspel 1732, qua incisionem posterioris faciei capsulæ docet & commendat Vir clar. Ejus aliam thesin *Non ergo fistulæ lacrimali cauterium actuale* Paris 1738. huc omnino spectantem, nolui justo forte timidior hic reddere, quam in quarto collectionis Anatomicæ volumine dudum edidi. 565

CLVII. Tres epistolas Cl. Petiti gallice scriptas rarasque inventu non credidi lectoribus dedignabiles fore. Earum prima ostendit *Que le Cryſtallin eſt ſort près de l'uvée* Paris 1729. Varios boni olim Hecqueti errores facile refutat, mensuras exquisitas oculi partium addit, quam ob rationem perinde ad Anatomen hic libellus spectat: ad chirurgiam vero pertinet cataractæ membranaceæ refutatio, descriptio veræ administrationis, qua lens posterius & inferius incisa capsula deponitur. Tab. XLVII. *p.* 570

CLVIII. Altera epistola Petiti equidem potissimum ad litigiosa scripta pertinet: titulus enim indicat continere *des Reflexions ſur ce que M. Hecquet a fait imprimer ſur les maladies des Yeux* Paris 1732. Lites omittimus: ad nostrum vero scopum hæc spectant. Adparet Petitum a cataractæ definitione removisse ficcitatem lentis Crystallinæ, cum in cataracta aquula ejus lentis nihil imminuta reperiatur. Molles cataractas solas non feliciter hactenus deponi fatetur, & alias cautelas adspergit. 577

CLIX. Tertia Petiti Epistola *concernant des réflexions ſur les decouvertes faites ſur les yeux* ibid. an. 1732 edita opponitur imprimis Cl. viris Winslow & Ferrenio. Contra priorem sua de nervi intercostalis origine, deque canali lentem crystallinam ambeunte, inventa vindicat. Contra Cl. Ferrein monet, eandem esse Cl. viri suamque descriptionem administrationis, qua cataracta deponitur, aperta in posteriori facie lenti crystallinæ, & modum nuper inventum addit, qua cataractam in posteriorem cameram deponit. 600

CLX. Michaelis Adami Gusovii *novum Paracenteſeos inſtrumentum* Regiomont. 1723. Acus triquetræ species est, subtiliter excogitata, quam figurarum adhibita ope demum lector intelliget. Tab. XLVIII. *p.* 613.

CLXI. Henrici Michaelis Missa Præside J. Baptista Thu-

BAND

RAND Parisiis An. 1754 proposita Thesis, in hæc verba *Ergo Herniosis ex scuto eburneo coriaceoque cingulo, subligacula* Paris 1754. Herniarum in universum historiam tradit, causam a nimia humorum illuvie derivat, ante quintum annum subligacula rejicit, ea fuse & ad omnes herniarum species aptas, tum alia vincula ad vaginæ uterique prolapsum idonea explicat. *pag.* 623

CLXII. J. ADAMI KULMUS & PAULI HENR. GERARDI MORHRING disputatio de *exostosi steatomatode claviculæ ejusque felici sectione* Gedani 1738 Memorabilis certe & rara historia, cum aliis sui similibus collata Tab. XLIX. 653

CLXIII. MICH. ERN. ETTMULLER *de vulnere ventriculi* Progr. Lipsi. 1710. similem fere historiam continet ejus, quam Cl. WENKERUS descripsit, ulceris nempe ventriculi a contusione nati, & a virgine per decem annos gestati, denique sponte sanati. 669

PARS SEXTA VULNERA.

Landesbibliothek Oldenburg

PARS SEXTA

VULNERA.

CXXIV.

LETHALITAS PER ACCIDENS.

Præside

BURC. DAVID MAUCHART.

Resp.

PHILIP. SIGISMUND PALM.

Tubingæ 16 Sept. 1750.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

PRÆFATIO.

JUdicium de lethalitate vulnerum ferre medicum pars est medicinæ forensis non seria magis, quam intricata. Ibi namque de corio agitur humano, de percutientis fama, facultatibus variaque gravi, mortis etiam, pœna. Ipsum vero judicium difficile reddunt sexcenti fere, qui se objiciunt aliquando, cognoscendi atque judicandi obices ex parte vulnerantis, vulnerati, vulneris ipsius, medentium atque aliarum plurium circumstantiarum.

Licet vero plures præstantissimi, jam inde a seculo, desudaverint auctores in hisce nodis solvendis, lucem quin imo, quod nemo temere negaverit, his tenebris affuderint multo clariorem, per aucta & probe examinata in rebus physicis atque medicis experimenta; tamen quid tam frequentes, quæso, medicorum dissensus, quid inter se pugnantia nonnunquam integrorum collegiorum medicorum judicia, quid ipsa principiorum atque distinctionum diversitas, quid, inquam, aliud loquuntur, nisi vel incerto stare talo magnam hujus medicinæ criticæ partem, vel certe unanimi consensu nondum esse stabilitam?

Crucem id maxime figit neo-practicis, a Magistratu ad vulnerum renunciationem vocatis. Hinc operæ pretium sane facit, qui antequam subselliis valedixerit academicis, se tempestive ad amplissimum atque difficillimum hoc accinxerit studium, & optimos quosque authores & observatores manu volverit diurna, revolveritque nocturna, ut ne gravior ejusmodi casus, qui sub initium publici officii statim ingruere potest, imparatum, imo plane nudum offendat. Sufficiens ergo hæc fuit ratio, cur Nob. Dn. Respondens sibi pro themate disputationis hanc elegerit materiem, & illam quidem quæ in hoc genere longe est vexatissima, ac instar nasi cerei, quo vel suorum principiorum tenaces fabri, vel partium studiosi voluerint, flecti, pro dolor! solet nimis quam frequenter, lethalitatem nempe per accidens.

Invitus ego quidem Præses in hoc consensi thema, quod non modo esset longe amplissimum, & limites academicæ dissertationis nimium excederet, sed ita quoque comparatum esset, ut vel ab aliis dudum videri posset exhaustum, vel plurimis obnoxium contradictionibus. Vicit vero tandem petentis constantia & thematis affulgens is minimum usus, ut Philiatris excitatio præbeatur ac occasio in hac se palæstra exercendi, quæ vero inpræsentiarum dicenda sint de lethalitate, clare, distincte, ac quasi in nuce proponendi. Faxit Deus *ut & hic labor cedat feliciter!*

§. I.

Subjectum, de quo communiter in medicina Forensi prædicatur lethalitas, sunt vulnera, sive continui solutiones violentæ, ab extus instrumento acuto dividente partibus corporis humani viventis illatæ. Numerosam quidem constituunt vulnera classem lethalitatis, sed minime absolvunt. Sunt enim varii adhuc læsionum ab extus inductarum tituli, e. g. in ossibus fracturæ, depressionis, fissuræ, luxationis: capitis totius validæ concussionis: in mollioribus partibus contusionis, validæ percussionis, distractionis, rupturæ, gangrænæ, sphaceli &c. Nec in medicina forensi sermo tantum est de lethalitate per instrumenta extus applicita, & vel in corticem modo vel & intro plus minus profunde penetrantia, inducta, sed & de illa, quæ ab assumptis noxiis atque deleteriis proficiscitur, e. g. ab ingesto arsenico, aut medicamento causticо male præparato, &c.

Unde est, quod *vulneris* notionem hic *laxius accipiendam* monuerint nonnulli, substituerint vero alii *percussionis* nomen magis genericum. Nobis videtur *læsionis* appellatio magis quadrare pro tali genere, quod omnes sub se comprehendat species.

§. II.

Prædicatum, lethalitas, quod de partibus hisce læsis enunciatur, est inducta præternaturalis *vel dispositio* ad lethum, mortemve proxima: *vel actualis* & subitanea *mors*: ita quidem ut hic eventus lethifer pendeat a primitus inducta læsione vel per necessitatem consequentiæ physico-medicam, vel per intervenientem demum mortis causam aggravantem, sive positivam, sive privativam. Hippocratis, Galeni &c. (τὸ θανάσιμον & θανατῶδες, sive mortiferum aliquando ab eis accipitur pro pernicioso ac periculoso: aliquando pro mortifero ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, quod utplurimum lethale est: aliquando pro lethalitate per necessitatem inevitabilem, ἐξ ἀνάγκης, per necessitatem absolutam.

Τὸ absolute lethale æquipollet certo sensu τῷ *insanabili*, cui scilicet neque natura, neque ars ulla sanationem possit præstare. Sed tamen *non omne vulnus insanabile* ideo *etiam est lethale*, exemplo vulneris simultanei abdominis ac cujusdam intestini, quod in unum coïens relinquit fistulam stercoream, qua, ceu artificiali ano, feces alvinæ posthac excernantur. Fuit illud vulnus insanabile, sed non lethale, utpote cui plurimos annos æger potest atque solet supervivere.

Periculosa læsio, vulnus periculosum, vitæ quidem discrimen mortisque metum infert, sed, stricte loquendo, lethale prius dici non meretur, quam vel lethum actu induxerit, vel proxime ad mortem inclinaverit.

Hinc

Hinc vel & in ſuperlativo periculoſarum læſionum, feliciter ad ſalutem terminatarum, plurimæ ſuppetunt obſervationes [a].

§. III.

Differentiæ, vel ſpecies *lethalitatis* vulgo habentur tres. (1) *Abſolute*, ſimpliciter, κατ' ἐξοχὴν talis, cui nulla ars humana poſſit ſuccurrere, ſed quæ læſum vel e veſtigio, vel ſaltim brevi, certo & ſemper abripit. (2) *Per ſe* talis, quæ ex ipſa læſionis natura ac qualitate, ſine aliena interveniente cauſa mortem immediate producit, ſic tamen ut hæc non abſolute conſequatur, ſed frequenter tantum, & licet curatio ſit difficilis ſummeque dubia, aliquando tamen feliciter ſuccedere obſervetur. (3) *Per accidens* talis, ſive phænomenum aliquod interveniens, quod non a conditione læſionis aut læſæ partis, ſed ab aliis ſupervenientibus in diæta, regimine, erroribus in tractatione medico-chirurgica, aliiſque variis circumſtantiis pendet. E tali ergo nemo læſorum immediate perit. Addunt nonnulli & *quartam ſpeciem lethalitatis*, quæ non ex neceſſitate, ſed *utplurimum* tamen, ſeu frequentiſſime interficiat, cujus proinde curatio utplurimum male ſuccedat, non tamen ſemper, vel tardius ſaltem interimat.

§. IV.

Nos *ſubſiſtimus in tribus primis lethalitatis ſpeciebus*, ſuperiore paragrapho recenſitis, nimirum lethalitatis abſolutæ: per ſe talis: & per accidens talis. Differunt vero hæ a ſe invicem reſpectu vel cauſæ lædentis, vel ſubjecti, ſive partis læſæ, vel ſymptomatum gravitatis, vel eventus boni, mali, ſubitanei, tardi, neceſſarii, contingentis. Quam nonnulli vocitant *lethalitatem per ſe de neceſſitate*, pro vera lethalitate abſoluta habemus.

Quæ vero *lethalitas utplurimum talis*, tanquam diſtincta ſpecies affertur, ſpectat ad lethalitatem per ſe talem. Hæc enim funeſtorum eventuum pluralitas ab uno quodam læſionis genere, per longe plura morientium, quam evadentium exempla, comprobata, non obſtante decenti adhibita curatione ac cautela omni, quid evincit aliud, quam læſionem in ſe & ſua natura ſic fuiſſe comparatam, ut ex illa & propter illam huic individuo pariter, ac tot aliis ſimilibus fuerit ſuccumbendum? Atqui vero hæc eſt lethalitas per ſe: neque obſtat, ſingulari beneficio *Dei*, naturæ, fortunæ &c. in vaſto hoc gurgite natantem, quin enatantem deprehendi unum vel alterum.

Hinc *lethali opponimus* illethale, ſeu non lethale: *abſolute lethali*, τὸ

[a] In Alberti Juriſprud. Med. T. I. p. 311. not. c. It. Bohnii renunciat. vulner. p. 34. ſſ. vel ſolius capitis plurima habentur ſpecimina.

per se lethale, & 7ὸ utplurimum lethale : *per se lethali* autem 7ὸ per accidens lethale.

§. V.

His generalibus præmissis facilior jam aditus est ad specialem de lethalitate per accidens tractationem, quæ thema constituit præsentis dissertatiunculæ. Quid per lethalitatem in genere intelligamus, supra dictum est paragraphis proxime antecedentibus. *Quid* vero *per* 7ὸ *accidens*, sive lethalitatem, quatenus talis fit per accidens supponatur, distincte est superaddendum. Scilicet per accidens, aut accidentia, non qualiacumque symptomata, aut communiter sic dicta accidentia, quæ partim ex ipsa læsionis essentia & qualitate fluunt, accipimus, sed *logicorum accidens prædicabile*, quod neque cum essentialibus, neque attributis objecti necessariam habet connexionem, sed tantum contingentem, quodque dependet a circumstantiis & conditionibus, quæ si jungantur essentialibus, vel attributis, tum demum locum habet.

§. VI.

Itaque si læsionem quamcumque, ab extus vel intus illatam, in se consideratam, & in sua natura, recte dijudicaveris tanquam nec absolute, nec per se lethalem, æger tamen cum hac læsione (sed non ex illa) diem obeat supremum, necesse est, vel aliam mortis causam superveniisse internam, a prima læsione, de cujus lethalitate quæritur, directe non pendentem, vel non adeo sonticæ læsioni primæ unam pluresve externas se causas adjunxisse novas, quæ futurum primæ læsionis eventum salutarem perverterint in funestum. E. g. si hæmorrhagia enormis, per vulnus arteriæ radialis (in carpo manus) inducta, per medicamenta ischæma & splenia comprimentia, &c. debite sistatur, & apparatus hicce chirurgicus una cum ceteris remediis tam diæteticis, quam pharmaceuticis solicite servetur, tum lethalitatis per se nullus est metus; verum si æger aut vini abusu orgasmum sanguini conciliaverit nimium : aut violento læsi brachii motu voluntario arteriam consolidationi propinquam reseraverit, tantoque sanguinis profluvio portam aperuerit, ad quam denuo occludendam chirurgus tempestive satis advolare nequeat, vel non amplius par sit, sed purpuream interea æger reddiderit animam, tum hæc facta est lethalitas per accidens, ex culpa ægri potissimum, non vulneris, qua talis, neque vulnerans tenebitur de causa mortis.

§. VII.

Species lethalitatis per accidens referuntur ad IV. *Classes*, quatenus illud accidens, vel illa accidentia respiciunt. (1) Ipsam læsionem : (2) Personam,

ſonam, ſive individuum læſum, adeoque primæ & ſecundæ ſpeciei accidentia hæc ſunt intrinſeca: (3) Perſonas, læſum tractantes, curantes, imo patientem ipſum, quatenus ſub cura medico-chirurgica varie peccat, & omiſſive, & poſitive: (4) Varias circumſtantias & cauſas extraneas. Adeoque tertia & quarta ſpecies referuntur ad accidentia extrinſeca. Claſſici authores noſtri, imprimis *Welſch* atque *Bohn* multa variaque hujuſcemodi lethalitatis per accidens exempla & diviſiones exhibent, atque celeb. *Alberti* in Juriſprud. Med. T. 1. p. 290. ſingula in ſuas claſſes tituloſque digeſſit.

Hinc illam cramben recoquere nolumus, ſed, pace tantorum aliorumque celebrium virorum *modeſtas* tantum quaſdam *adnotationes in medium proferemus*, quibus nonnullæ ſpecies lethalitatis, per accidens talis habitæ a plurimis & renunciatæ hactenus, in dubium vocantur. Odioſus magis, quam otioſus videtur hic conatus. Odioſum forte ſuſpicamur non eis modo, a quibus diſſentimus, ſed illis maxime reis, percuſſoribus aut quocumque modo læſionem alteri inducentibus, quibus rimæ elabendi, patentiores alias, nunc arctantur, vel plane clauduntur; eo tamen ipſo minime otioſum fore hunc laborem in aprico eſt, cum juſtitiæ oppido interſit, accuratius diſtinguere cauſam mortis: an revera ex accidente, ſive quodam contingente citra lædentis & ab eo inductæ læſionis concurſum directum evenerit? An lædenti ſit imputanda, an vero aliis cauſis?

§. VIII.

Ad *primam claſſem lethalitatis per accidens referri promiſcue non poſſunt* ſupervenientes ipſis læſionibus *ſtaſes*, *tumores*, *inflammationes & corruptiones*. Si enim tales ſuperveniant ex ipſa & per ipſam læſionem, directe, proxime, ordinarie, ac propter hanc corruptelam læſionis moriatur ægrotus, tum læſio eſt lethalis per ſe: perinde enim eſt, hominem mori e corruptione gangrænoſa & ſphaceloſa, quæ læſionem neceſſario conſequuntur, ac vel ex apoplexia, vel convulſione, vel hæmorrhagia, tanquam immediatis aliarum læſionum funeſtis pediſſequis. Nempe læſionem excipit e veſtigio morbus, hunc preſſo pede ſequuntur, citius tardiuſve, vel varia ſymptomata, vel ipſa mors. Unde ex vero dicit *Bohnius* [*b*]; interdum perinde eſt, mortem ex ipſo vulnere immediate, ac e ſymptomatibus evenire. Si vero ſupra memoratæ corruptiones læſioni ſuperveniant, vitio vel individui patientis, vel errorum a quibuſcumque commiſſorum, vel aliarum circumſtantiarum externarum, uti quidem ex his cauſis aliquando vere ſuperveniunt, tunc certe non ſpectat ad primam claſſem lethalitatis per accidens, §. 7. recenſitam.

§. IX.

[*b*] Bohn, renunciat. vuln. p. 111.

§. IX.

Neque fragmenta, festucæ aliaque irritamenta, læsioni conjuncta, *quæ non satis tempestive reperiri ac separari possunt*, quin interea spasmi, convulsiones, stases, secessiones humorosæ, inflammationes & corruptiones, gravissimi dolores oriantur, præsertim si hi stimuli partes attingant quadantenus sensiles, *lethalitatem tantum per accidens faciunt*, nostro quidem judicio, cui vero celeber. *Alberti* [c], fortassis & aliorum, haud conforme est. Ea enim, *ipsa ex ratione*, *quod* illa heterogenea ipso actu læsionis inducta & vulneri immanentia *nequeant citius extrahi* aut separari, quam graves illas excitaverint turbas mortisque causas, accusari merentur tanquam *vel* continuata jugiter instrumenta graviter lædentia, & reliquiæ vulnerantis hastæ, teli, fragmenti vitri, glandis plumbeæ, vitreæ &c. profundius impacta: *vel* tanquam impetuoso ictu e. g. gladii, hastæ, glandis sclopetariæ abrepta intra vulnus alia corpora solida, partem affectam sub læsionis momento obtegentia, & in acutas particulas discerpta: *vel* tanquam festucæ pungentes, scindentes ac graviter irritantes, ex ipso, quod vulneri confine est, quodam osse diffracto & contrito decussæ. Atqui vero quid omne hoc est aliud, quam effectus immediatus primitivæ læsionis, & stimulus in perpetua aut frequenti actione, vel proxima saltem dispositione ad agendum, irritandum, lacessendum, vulnerandum constitutus, ab instrumento lædente productus unice, & dehinc adfluxu, stasi, corruptione, motibus spastico-convulsivis necessario exceptus? *Qualem* ergo *stimulum*, cum per artem vel non satis cito, vel plane non, vel saltem nonnisi cum præsentaneo novo vitæ periculo liceat eximere, & ne palliative quidem ejusdem fatales effectus satis prævenire ac mitigare, *oportet* sane *causam statuere mortis* subsecutæ per modum lethalitatis vel absolutæ, vel per se, *minime* vero *per accidens*. Quæ hinc sententia redundet in caput lædentis, videant alii, ad quorum spectat forum!

§. X.

In *secunda classe lethalitatis per accidens*, §. 7. quatenus nempe respicit ipsum subjectum patiens, nobis videtur *male* quæri *patrocinium* & prætextum lethalitatis accidentalis, *a* læsi vel *ætate*, vel *temperamento*, vel *sexu*, vel *dispositione hæreditaria*, vel *singulari* & extraordinaria, non tamen morbosa, *dispositione* & *qualibet idiosyncrasia*, in quantum scilicet vel ætas majorem debilitatem, partiumque teneritudinem, vel temperamentum e. g. sanguineum inflammationi & gangrænæ magis faveat: vel sexus sequior ad erysipelaceas inflammationes, deliquia, affectiones spastico-convulsivas pronior existat: vel dispositio hæreditaria e. g. ad nephri-

[c] Alberti Jurisprud. med. T. 1. p. 290. §. 16.

phritidem calculosam erumpat in actum eo tempore, quo ren vulnere leviori læsus est, hoc vero inde reddatur lethale: vel *si singularis* & extraordinarius obtigerit alicujus *visceris situs*, & sub formatione fetus jam facta *translocatio*, e. g. cordis in dextrum pectoris cavum, aut lienis in hypogastrium, quorsum ergo instrumentum lædens vixdum pertingens vulneraverit tale viscus in situ hoc insolito, nullamque aliam partem præter integumenta communia.

Omnia hæc phænomena, in principio hujus §phi enarrata sunt naturalia, medicis sub titulo rerum naturalium venientia, quod magnam naturæ humanæ partem constituant, aliter quidem in hoc, aliter in alio se habentia subjecto, sic tamen semper, ut sanitati vitæque non præjudicent, nec nisi e longinquo ac intervenientibus aliis propioribus causis morbificis, morbum inducant.

Frivola oppido est excusatiuncula, si funestæ læsioni, vulneri, fracturæ infantis ideo pollicem premere volueris, quod similis in adulto & robusto homine omnis expers fuisset periculi, illamque ideo illam tantum per accidens lethalem prædicare, quoniam infantibus teneritudo, debilitas, ossium tenuitas &c. tales obtingant, quæ gravius patiantur a læsione etiam leviore.

Ita pariter fieri potest, ut adultus quidam homo vulneretur gladio, vel alio pungente ac cædente instrumento in cranii quodam loco, extraordinarie tenui, ut, ob hanc ossis insuetam tenuitatem quasi papyraceam, impetus & ictus instrumenti profundius irruat in-&-per membranas cerebri in ipsam usque hujus substantiam, cum alias, si os ibi pro more naturali fuisset crassius solidiusque, instrumento lædenti accessus ad interiora fuisset impossibilis. Itane vero hæc, accidentalis quidem & extraordinaria, sed illi individuo naturalis & nunquam morbifica aut molesta, tenuitas ossis effecerit, ut vulnus quod meningibus & substantiæ cerebri profundius inflictum fuit, mereatur tantum per accidens lethale venditari, quod tamen in se & per se lethale est extra dubium? In ejusmodi enim renunciatione legali non firmo est, quæ vulnera in genere sint lethalia, sed quæ huic vel illi individuo, Johanni, Catharinæ &c. in casu substrato sint lethalia? Cur non itidem prætexat hostilis læsor? Si læsus domi mansisset, ego illum in platea mihi obviam factum vulnerare non potuissem: aut objiciat læso: cur non munivisti tenue cranium tuum galea? Sic enim lethale vulnus tibi non potuissem inferre.

§. XI.

Majorem *excusationis speciem* præ se ferre videtur *status vere morbosus individui*, læsionem quandam externam vel antecedens & comitans, vel superveniens læsioni, ab hac independens. Quando, ut loquuntur, status cacochymicus, plethoricus &c. læsionem deteriorat: vel quando mor-

bosus læsi status leviorem exasperat læsionem. Ita namque videretur læsus e morbo, quem habuit, spontaneo magis occubuisse, quam ex adventitia læsione violenta.

Sed celeber. *Bohnius* in aureo suo de vulnerum renunciatione tractatu rectissime distinguit inter causalitatem infirmitatis præcedaneæ minus necessariam, seu separabilem, & inter necessariam ac inseparabilem magis. Res huc redit: si morbus antecedens & adhuc sub accepta læsione adventitia persistens directe & ex se produxerit symptomata lethalia, ab illis symptomatibus, quæ ab adventitia læsione solent pendere, aliena, tunc morbus ille præcedaneus causa mortis proxima potius meretur dici, quam læsio adventitia. Si e. g. homo phthisi pulmonum ulcerosa graviter laborans, & in hoc statu vulneratus leviter in brachio, suffocetur a puris restagnante in bronchiis copia: vel accedente diarrhoea colliquativa exhaustus per modum syncopes moriatur, tunc illud vulnus brachii ne quidem per accidens lethale, multo minus per se lethale declarandum est, sed morbus ejusdem internus, phthisis consummata, potius est lethalis pronunciandus.

Aft e contrario, si symptomata lethalia qualiacumque oriantur directe magis & immediate ab adventitia læsione, hæc ipsa læsio videtur habenda pro lethali per se, & non per accidens, quamvis & ipse status læsi morbosus præcedens aliquam læsionis deteriorationi symbolam addiderit, & homo læsus non potuerit propter infirmitatem e morbo præcedente resistere satis symptomatibus, a læsione adventitia excitatis.

Hinc quoque patet, quid sentiendum sit de prætensa lethalitate tantum per accidens tali, si *instrumentum lædens* forte fortuna directum fuerit abs lædente in regionem quandam corporis læsi, *ubi* insolito & præternaturali modo *vel arteria* quædam multo exteriorem & *superficialem magis situm* obtinuerit: *vel* magnum *aneurisma* quoddam internum offenderit, aperuerit & subitaneam induxerit incompescibilem hæmorrhagiam: *vel abscessum* clausum, vomicam e. g. pulmonis, e quo rupto subitanea acciderit suffocatio: *vel in scroto aut inguine* obvia *enterocele* occasionem præbuerit extraordinariam pertundendis lethaliter intestinis &c. quamvis enim in illis læsionum, ibi terminatarum, locis nulla lethalitas per se obtinuisset, nisi partes nobiles eo fuissent præternaturales delapsæ, vel se expandissent præternaturaliter majusque spatium occupassent; evidens tamen est, ex ipsa talium partium læsione mortem immediate ac directe accersitam fuisse.

Unde sic infert *Bohnius* l. c. p. 101. rectissime: vulnus, quod in hoc vel illo individuo, intuitu determinatæ seu valetudinariæ dispositionis, magnum & grave satis est, mortemque in similibus subjectis utplurimum pediſſequam habet, accidentium quoque suorum & mortis hinc evenientis causa proxima audiet.

§. XII.

§. XII.

Si vero *morbus* quidam *ſumme periculoſus*, acutus, *læſioni* demum *ſupperveniat*, e. g. apoplexia, catarrhus ſuffocativus, dyſenteria maligna, febris maligna, exanthematica &c. tunc cardo deciſionis pariter in eo vertitur, ut ſolicite eruatur: an morbus ille lethalis e vulnere, ſive antecedanea læſione ſit factus, an alia quacumque e cauſa? An morbi ipſius atque ſolius gravitati ſuccubuerit æger? Vel ſaltem lethalitatis longe potiores ipſi morbo debeantur rationes, & in ſe, & in ordine ad læſionem, ab aliquo prævie illatam, quam quidem exacerbaverit. Hoc caſu ſtatuetur læſus non ex læſione, ſed e ſuperveniente morbo deceſſiſſe.

Si vero morbus ſuperveniens exitum nactus ſit lethalem e vulnere potius & propter illud, tum læſio hæc lethalis per ſe declarabitur. E. g. ſi capite læſus incurrat apoplexiam aut convulſiones lethales: vel in pectore læſus incidat in aſthma ſuffocativum: aut inteſtinis læſis, vulneratis ingruat lethalis dyſenteria, epidemice tunc graſſans &c. in quibus ſcilicet caſibus pars læſa cum morbo, aliunde orto, & inevitabili, tam arcte connectitur, ut non modo alter adgravet alterum, ſed quoque læſio præcedanea morbum, aliunde ſupervenientem & alias ſuperabilem, reddiderit inſuperabilem aque funeſtum, tunc læſio illa præcedens vocanda potius erit lethalis per ſe, quam morbus ſuperveniens, & licet multa ſuppetant exempla hominum ex illo morbo ſolitario citra præviam læſionem aliam, mortuorum; tamen cum & multa ſint evadentium, præterea vero morbus graviter & lethaliter ſit exaſperatus a læſione præcedanea, itaque nulla hic procedit lethalitas per accidens, morbo ſupervenienti tribuenda.

§. XIII.

Ad *tertiam claſſem lethalitatis per accidens* (§. 7.) aliquas pariter afferemus animadverſiones. Hic vero cauſidicis admodum familiare eſt falcem immittere in alienam meſſem, nodum in ſcirpo quærere & neſcio quos non comminiſci funeſtos errores vel ægri, vel medici, vel chirurgi, vel adſtantium? Ut nempe reatum lædentis devolvant in alios, ſuumque clientem liberent a pœna ordinaria.

Haud quidem diffitemur in ordine ad medicos atque chirurgos, quod non modo quandoque bonus dormitet Homerus, neque τὸ Hippocratis μηδὲν ὑπερφέρειν ſatis obſervet, ſed graviter etiam aliquando iliacos intra muros peccetur & extra. Imo jam ſemel publice doluimus olim, in diſp. de inſpect. & ſect. legali, quod aliquando judex nimiam fidem tribuat depoſitionibus atque judiciis in arte non ſatis verſatorum & medicorum, & chirurgorum, ſeductus illo principio, in ſe quidem firmiſſimo, ſed in applicatione & ſubſumptione ad certa individua fallaciſſimo: artifici in ſua arte eſſe credendum!

Landesbibliothek Oldenburg

§. XIV.

Siſtemus in hanc rem duas obſervationes, lectione ac reflexione digniſſimas, quarum altera exhibebit chirurgum erroris & imprudentiæ haud inſontem : altera vero innocentem adductum in ſuſpicionem ac injuſte accuſatum.

Summus quidam militiæ Præfectus *vulneratur glande plumbea* in pectoris regione laterali ac ſuperiori ſic, *ut glans inter duas coſtas veras incuneata* remanſerit, abſque ullo ſymptomate ſuſpecto. Chirurgus caſtrenſis primarius extractionem molitur terebra chirurgica, ſed dum glandem terebrando aggreditur, *cedit hæc & delabitur in cavum pectoris, ægerque*, ſellæ inſidens, *ſubito moritur*. Per ſectionem a morte inſtitutam nulla ullibi, vel extus, vel intus, deprehenditur læſio alicujus momenti. Annon hæc fuit lethalitas per accidens, ob glandem plumbeam ſubito & cum impetu delapſam in nervi cujuſdam momentoſi truncum ? Cum vero huc delapſui glandis in interiora pectoris manifeſte anſam præbuerit chirurgus, erit cauſa hujus lethalitatis per accidens, cum vel relinquere debuiſſet glandem, donec favente corporis ſitu nonnihil prono, ſub molliſſima vulneris obtectione, accedente per ſuppurationem emollitione, extrorſum magis gravitaverit, & denique ſe expediverit : vel potius in latere alterutro, commodiore loco, novum infligere ſcalpello vulnuſculum & per hoc introducto hamulo, uncove glandem a tergo, in cavitate pectoris, adoriri, foras urgere, excutere, aut certe ſic obicem & peſſulum obdere glandi ab intra, ut, dum ab extra ab anterioribus tentaretur ejuſdem extractio, glans non potuerit introrſum elabi.

§. XV.

Alterum exemplum, huic contrarium, *injuſtæ ſcilicet imputationis* chirurgo factæ hoc eſt : adoleſcens, ſanus & vegetus enſe noctu in platea vulneratur per ſodalem in dextro pectoris latere, 4. vel 5. pollices ſupra papillam, vulnere ſub cute & in ſuperficie, vel parte ſuperiori muſculi pectoralis magni, incedente 5. vel 6. pollicum longitudine, ſed in cavum pectoris non penetrante. Fuſo ſtatim e vulnere copioſo ſanguine in plateam, & veſtes, domum redit, chirurgo ſe committit, qui vulnus a ſordibus grumoſis purgat, ſanguinem ſiſtit, neceſſario apparatu vincit, ſive deligat. Altero die ſequitur ejuſdem lateris dextri pollicis ac indicis digitorum paralyſis, tertio totius manus brachique anæſtheſia, ſive ſenſus abolitio, atque notabile manus extremæ œdema. Stilo exploratio nunquam tangebatur, vel ſternum, vel coſta, vel pertingebatur uſque ſub alam : ſed in fundo vulneris, alæ propinquo, ſpatium occurrebat, digitum pollicem facile admittens. Hinc quarto die alius inſuper in conſilium

Landesbibliothek Oldenburg

silium vocatur chirurgus, quem vocabimus Cajum, in Anatomia ac operationibus chirurgicis minime hospes. Inita consultatione cum medico & chirurgis, concluditur: latere intra vulnus vel corpus quoddam peregrinum, vel grumos sanguinis, unde nervi comprimantur, & circulatio sanguinis impediatur.

Adhibentur ergo fomenta resolventia, spirituosa, injectiones balsamicæ in vulnus, non omissis internis medicamentis, regimine & diæta convenientibus. Biduo post, cum symptomata ingravescerent, instituit ex chirurgis quidam vulneris dilatationem ope forficis, absque omni hæmorrhagia. Pus prodit non laudabile, sed sanies ichorosa fœtens, cruenta: labia vulneris sunt inflata, caro vulneri supercrescit luxurians: in hoc tramite pergit vulnus ultra tres septimanas. Brachii tumor tandem augetur, & livor notabilis juxta tractum vasorum usque ad flexuram cubiti intermicat. Anæsthesia perstat, quin ingravescit. Attactus vulneris prope alam est dolorificus

Hinc e communi consultantium concluso & requisitione Cajus suscipit orificii vulneris, interea valde angustati dilatationem duplicem, alteram versus sternum ope scalpelli leviter falcati, in specilli sulcum immissi & detenti, atque sic non nisi cutim incidit aperitque, paulo ultra duorum pollicum longitudinem: alteram vero dilatationem perficit incisione, sesquipollicis circiter profunditate, carnis fungosæ, juxta partem sinus fistulosi superiorem, versus humerum.

Ibi non nisi aliquot guttulæ sanguinis, prout in cutaneis fit incisionibus, exstillarunt: hic arteriola exilis sanguinem fudit, quantum cochlear fere capit, quem impositio linteo carpto spiritu vini imbuto facile compescuit.

Post hæc integro quinquendio nullam unquam vel indicium hæmorrhagiæ adest, vulnus copiosum fundit pus, brachii tumor, durities, livor magna parte dissipati, formicationis sensus in brachio, & ipse dehinc sensus tactus quodammodo resuscitatus: paralysis tamen restat.

Circa sexti diei, ab his chirurgicis incisionibus, ingressum, evenit larga e vulnere hæmorragia, & biduo post eadem recidivat enormis sub ipsa vulneris abs chirurgo ordinario facta detersione blandissima per specillum linteo carpto obvolutum.

Huic quidem hæmorrhagiæ opponuntur styptica, splenia & fasciæ comprimentes, manus chirurgi longa appressio, denique cauterium actuale.

Sed recruduit iterum effusissima hæmorrhagia, ut in sanguine quasi nataret miser ægrotus. Licet ergo hic sanguine totus exhaustus & morti proximus videretur, tentata tamen est per Cajum ligatura, ope fili triplicis cerati, quod vero dum valide adstringeretur ruptum est, & interea æger mortuus. Cæterum pulsus in carpo lateris affecti, perstitit a potiori idem, qualis in sinistro latere, excepta subinde majori illius debilitate: brachium servavit naturalem calorem: nihil quidquam convulsivi

comparuit. Manus vero insensibilitas tanta fuit, ut super prunis ardentibus expansam, pro intimiore illiti unguenti nervini penetratione, vehementer adusserit, citra omnem sensum.

§. XVI.

Altero post mortem die ad finem Decembris instituta inspectione ac sectione legalibus detegebantur: vulnus, una cum dilatatione per incisionem facta, digiti longitudine ab axilla oblique versus sternum, per superiorem musculi pectoralis majoris superficiem, dimidii pollicis latitudine: multoque sanguine grumoso infartum: musculi tam in confinio vulneris, quam in brachio maxima parte gangrænosi ac sphacelati, una cum insigni copia sanguinis extravasati & putridi: ramus quidam nervorum brachialium, & truncus arteriæ axillaris penitus putredine soluti: pulmo dexter inflammatoria rubedine tentatus, in sinistro cordis ventriculo polypus: pleura valde gangrænosa: intestina hic ibi admodum inflammata. Cætera sanissima. Cranium aperiri non videbatur necesse.

§. XVII.

Inspectorum hoc fuit judicium: causam mortis adscribendam esse hæmorrhagiæ enormi & recidivanti, hanc vero primitus putredini & hinc factæ solutioni & abruptioni nervi majoris & arteriæ axillaris (rectius fortasse brachialis) vel rami cujusdam thoracici arteriæ axillaris, & recidivantem hæmorrhagiam applicito actuali cauterio tribuendam esse, minime vero vel læsioni primitivæ per ensem factæ, vel incisionibus chirurgicis; itaque vulnus quidem pro valde periculoso, sed tamen non pro absolute & per se lethali habendum esse.

Multa hic argumenta vel dubia, eaque non levis momenti possent moveri, an, & qua ratione hoc vulnus fuerit per se lethale? Sed, cum partim ex odio figulino, partim garrulitate vulgi procaci, partim nescio qua collegii cujusdam medici timiditate & titubatione, forsan & insufficienti anatomica atque chirurgica eruditione factum sit, ut chirurgi illius, Caji, factæ incisiones in suspicionem, inquisitionem & tantum non accusationem fuerint adductæ, tanquam causa lethalitatis per accidens, quam quidem inspectores in suo judicio diluerunt, atque rejecerunt.

Itaque ad illas tantum incisiones chirurgicas, ad vulneris ampliationem sive reserationem necessarias respicimus, easque pro innoxiis non modo, sed necessariis etiam declaramus, &, si fuissent omissæ, defectus in curatione potius atque omissionis, remedii scilicet, quo sinus vulneris a sanguine putrescente, parteque adsitas corrumpente, purgari potuissent, demum redarguendas censemus, quia (α) incisio altera fuit mere cutanea, altera vero nonnisi in carnem orificii vulneris luxuriantem: (β) Utraque inci-

inciſio perexiguam & pro nulla habendam ſanguinis copiam prolexit. (γ) Aliquot dies, ſub quotidiana vulneris deligatione, ulla e dilatato vulnere contigit hæmorrhagia, idque (δ) ſine adhibitis ſtypticis vel duris compreſſionibus. (ε). E contrario autem poſtea copioſum pus e vulnere fuſum eſt, & (ζ) ipſa brachii phænomena meliorem induerunt faciem. (η) Sexto demum ab inciſionibus hiſce chirurgicis die ingruit, eademque mox effuſiſſima, hæmorrhagia, quæ (ϑ) omnem ſiſtentium vim opemque eluſit: (ϰ) Etiamſi ex hæmorrhagia enormi, & ſub illa, expiraverit æger, tamen ipſi, ſine hac, æque fuiſſet, & brevi, moriendum, ob tantam nervorum, vaſorum, muſculorumque ſphaceloſam putredinem, cujus jam inde ab accepta vulneratione per gladium incipientis ac quotidie increſcentis luculenta ſatis apparuerunt indicia.

§. XVIII.

Ad *quartam denique claſſem* lethalitatis per accidens (§. 7.) progredimur, ac e plurimis pauca tantum hæc objecta ſeligimus: *atmoſphæræ ſtatus* & habitudo vulneribus atque læſionibus in genere ſingularem aliquando determinationem atque modificationem afferunt. Novimus per experientiam, quam noxius in genere ſit aër, libere admiſſus oſſibus denudatis, quam moleſtus vulneratis in trachea, pectore, pulmonibus. In ſpecie vero, ſi particulis heterogeneis, morbificis inquinatus fuerit: ſi qualitate caloris excedat, atque ſic febribus vulnerum ſymptomaticis exacerbandis, vel putredini, viriumque exſolutioni inſerviat: ſi nimio frigore denſetur & obrigeſcat, atque ſuppurationi præjudicet, papillas nerveas cutis, fibraſque membranaceas muſculoſas nerveaſque ſtimulet, ſtringat, ſuccos condenſet, ſpaſmos inducat, atque ſic porro per reliquarum qualitatum exceſſum.

Quemadmodum vero hoc fluidum aëreum tam varias tamque copioſas e triplici regno, minerali, vegetabili, ac animali particulas & miaſmata imbibit plus minus vel conſtanter, vel univerſaliter, vel copioſe, nec a læſionibus vulneribuſque arceri poteſt: ita non poteſt non ejuſmodi læſionibus determinationem, (pro diverſa illius fluidi aërei conditione) plus minus vel ſalutarem, vel noxiam inferre. Hinc obſervationes multijugæ fidiſſimæque teſtantur, quam aër modo integræ zonæ ac climatis, modo certæ tantum regionis & loci vulneratis in genere, imo & certis ſolummodo ſpeciebus læſionum ſingulariter ſit infeſtus, ut e. g. Lutetiæ Pariſiorum capitis plagæ ſint longe contumaciores ac periculoſiores, quam Avenioni: hic vero tibiarum vulnera difficilius, quam Pariſiis ſanentur: vel in atmoſphæra Florentina, Ferrarienſi, Bononienſi capitis vulnera ſint peſtifera, e contrario autem in Raguſæo aëre vel enormiſſime capite ſauciati vix decedant, allegante e ſuis auctoribus toties laudato Bohnio l. c.

Hinc igitur concludunt: læſum in tali noxia conſtitutum atmoſphæra

letha-

lethalitatem læsionis suæ, per se non lethalis, acquirere per accidens, ideoque mortem insecutam malignæ tribuendam atmosphæræ non vulneri, non læsioni, nec imputandam esse lædenti homini. Concedimus talem læsionem ab homine alio illatam per se lethalem exacerbari gravissime: imo levem quandam, minime alias fatalem, directe & absolute lethalem reddi ab infausta & maligna aëris impressione, atque sic omnino mortem proxime repetendam esse ab extranea hac inergia aëris. Negamus vero consequentiam: ergo hæc inducta lethalitas est lethalitas per accidens, imo potius invertimus argumentum: ergo hæc est lethalitas per se. Nam aëris maligni miasmata statim, & successive magis magisque læsioni illatæ se insinuantes produxerunt in illa ipsa talem effectum inevitabilem non minus ac malignum, e quo mors directe est secuta. Videtur nobis hic casus comparari posse, cum instrumento lædente venenato, quod non modo vulnus infligit, sed vulneri simul suum affricat venenum. Jam vero cum non sit in potestate vel ægri, (maxime si læsionis qualitas & viæ longinquitas impediant ipsum, citissime ex hac noxia, in salubriorem emigrare atmosphæram) vel medici, vel artis in genere, talem effugere aut corrigere malignitatem aëris, quæ tamen, citra vulnerationem, homini nullum, vel certe non lethalem induxisset morbum: itaque vulnus, vel læsionem nos quidem per se lethalem pronunciamus medice cum *Bohnio*: quæ vero conclusio vel sententia maneat lædentem, civilis, an criminalis, videant Jurisconsulti?

§. XIX.

Nec minus ex iisdem rationibus evincimus, *læsum* in via publica, *tempestate hiemali* frigidissima, & a suo læsore derelictum, ac ab omni destitutum auxilio humano, ex ipso frigore & congelatione, quibus se subducere ob vulnus vel læsionem non valuit, mortuum, accepisse læsionem per se lethalem, licet sine longo frigoris acrioris concursu talis non fuisset. Sive enim frigus fuerit absolute tantum, ut propter summum ejus gradum, & diuturnam in eodem moram homini etiam sano per congelationem frigida morte fuisset obdormiscendum: sive relative saltem ad læsum hominem, ejusque læsionem mox acceptam, sufficit, hoc ipsum frigus læsioni totique machinæ humanæ lethalem attulisse modificationem, idque tanto promptius, efficacius certiusque, quanto læsum debilitatumque corpus fuit ex accepto vulnere, vel læsione, susceptibilius, læsus autem eo redactus, ut nec ipse sibi queat succurrere, nec ab aliis auxilium expectare.

Par quoque ratio nobis videtur, si læsus subeat *largissimam hæmorrhagiam*, ab ipsa pendentem læsione, quæ quidem sisti posset, si chirurgus & remedium præsto essent e vestigio, sed, cum hæc vel plane non possint, vel non satis cito haberi, læsum acute abripit atque necat. Talem læsionem pleri-

plerique cum celeb. *Schœpfero* [*d*], Jurium Profeſſ. Roſtochienſi renunciant per accidens lethalem : ſed juſte dubitari poteſt : annon rectius pro lethali per ſe habenda ſit ? Quia fluit ex natura vulneris, majuſculo vaſi ſanguineo, præſertim arterioſo inflicti, hominis vivi, ut ſanguis aperta proruat porta tamdiu, donec ipſa cordis machina emboluſque quieſcant atque fatiſcant, ipſaque ſanguinis ſic exhauſta penus vaſorum funeſtam ubique ſubſidentiam, atque vitalium & animalium functionem ſuppreſſionem, h. e. mortem relinquat. Eo etiam ipſo, quod tanto & tam imminenti periculo vitæ remedium in hoc caſu deficit ſatis promptum, & culpa quidem læſi vel aliarum circumſtantiarum minime, itaque mortem ſubſecutam vulneri, qua tali tribuendam, & vulnus per ſe lethale declarandum cenſemus, ideoque aſſertum veneramur noſtri olim Præceptoris, celeber. Laur. *Heiſteri* [*e*], quod ita ſonat : ſi quis forte poſt præciſam, nocturno tempore, deficienteque chirurgo, arteriam aliquam temporalem aut tibialem, ſanguinis profluvio interiret, hujus ego plagam rebus ita ſe habentibus, prorſus inſanabilem, interfectorem autem capitis reum exiſtimaverim ! Contra vero ſi quis eadem ratione, ſed interdiu vulneratus, propter adſtantium in ſuccurrendo negligentiam, chirurgive in ſupprimendo ſanguine ignorantiam exſpiraret, hujus ego vulnus ad dubiorum, ſeu per accidens modo lethalium claſſem referendum interfectorem abſolvendum, chirurgum autem in jus vocandum ſtatuerim.

§. XX.

Sed difficultatum jam ſatis eſt, ideoque receptui canimus, & epimetri loco pauca adjicimus : „ Cum in pleriſque caſibus firmata ſit ſententia, in„ quit ſupra laudatus *Schœpfer*, l. c. p. 95. quod homicida extraordinaria „ pœna ſit dimittendus, ſi vulnus per accidens lethale mortem attuliſſet ; medicis ſerio incumbit in renunciatione lethalitatis, ut nec temere, nec timide agant, & injuſtæ vel pœnæ, vel abſolutioni præbeant occaſionem : ut in renunciationibus ſuis de lethalitate per accidens omnia phænomena accurate inquirant, probent, atque dijudicent. Optandum vero ſimul eſt, ut, cum *plerique tantum* caſus lethalitatis accidentalis homicidam a pœna ordinaria liberent, reliqui caſus, & exceptiones ab hac regula, determinentur & unanimi Jureconſultorum conſenſu, vel ſupremi judicis authoritate confirmentur, quod ipſum quoque in votis habuit celeberr. *Struvius* in Diſſert. criminal. 6. theſ. 6. Imperialem exoptans interpretationem articuli in ſanctione criminali, qui reſpicit caſus ejuſmodi lethalitatis per accidens.

[*d*] Schœpfer de Hæmorrh. vulnerator. c. 3. p. 48. §. 24. 25. confer. quæ p. 90. & ſeqq.

[*e*] Heiſter. chir. Lat. P. 1. L. 1. c. 1. §. 24. p. 55.

TANTUM.

Landesbibliothek Oldenburg



VIRGINIS

Landesbibliothek Oldenburg

CXXV.

VIRGINIS PER VIGINTI SEPTEM ANNOS VENTRICULUM PERFORATUM HABENTIS HISTORIA ET SECTIO.

Auctore

CHRISTIANO WENCKER

NEROLINGENSIS.

Argentorati 17 April. 1743.

Landesbibliothek Oldenburg

CXXV.

VIRGINIS PER VIGINTI SEPTEM

ANNOS VENTILOUENI PERFORATUM

HABENTIS HISTORIA ET SECTIO.

AUCTORE

CHRISTIANO WENCKER

MEDICINAE CANDIDATO.

Appendix IV Tabb. I–III.

Landesbibliothek Oldenburg

PRÆFATIO.

EDidit ante ſeptem, & quod excurrit, annos, chariſſimus frater *D. Auguſtus Wencker* (eheu! morte mihi ereptus) diſſertationem, quam de *Virgine ventriculum perforatum gerente* inſcripſit, & hic Argentinæ ſolemniter defendit. Cum igitur mihi, poſt ſuperata per *Dei* gratiam conſueta examina, thema aliquod inaugurale exhibendum ſit; non aptius argumentum me invenire poſſe duxi, quam ut enarratæ à beato fratre obſervationi, fortuna ipſa anſam ſubminiſtrante, colophonem imponerem. Ne autem B. L. interruptum hiſtoriæ filum conſpiciat, caſum integrum ex allegata diſſertatione huc transferre, noſtrumque ſubjungere, liceat.

CASUS.

Virgo quædam Margaretha Eignerin, à prima juventute parentibus orbata, in Nerolingenſium noſocomio nutrita, inter duros labores domeſticos, partimque ruſticos, tempore, quo primum lunare tributum ipſi ſolvendum erat, doloribus corripitur in hypochondrio ſiniſtro ad mammam uſque ſeſe extendentibus, quorum cauſa formatus ibidem abſceſſus, haud exiguum ſinum ad mammam uſque ſiniſtram emittens, extitit, qui inciſus, & à contenta haud exigua puris quantitate liberatus, convenientibus remediis plenarie conſolidatus atque ſanatus videbatur. Sed revera tantum videbatur reſtituta ægra: recrudeſcentes enim ſubinde dolores heterogenei quid in parte læſa hærere, nec omnem eductam fuiſſe materiam, vel ſaltem novum ibidem formatum fuiſſe abſceſſum, manifeſto indicabant. Aſt cum ob præfectorum rigorem nulla puellæ fides adſtrueretur, & illa tantummodo fingere dolores crederetur, ut ſe conſuetis Xenodochii laboribus ſubduceret, juſto fortius præprimis meſſis tempore ruſticis laboribus adſtricta fuit, intumeſcente interim latere dolente inſignem in modum: à quo tumore ventriculus præſertim poſt paſtum ad vomendi uſque conatus premebatur, vomitus ipſe autem nunquam niſi digitis provocatus ſuccedebat. Ita conſtituta ægra meſſis tempore, cum ariſtarum faſces, ſervo in alto conſtituto & illis in ordinem locandis occupato ope mergæ porrigeret, elevatis & extenſis una cum furca, cui merges infixa erat, hunc in finem brachiis, id effecit, ut prædictus abſceſſus hypochondrii ſiniſtri magno ſonitu denuo ruptus in conſpectum prodiret, effuſa ſimul copioſa materia purulenta atque cruenta, quam brevi poſt ipſa paulo ante aſſumta alimenta ſequebantur, una cum fragmentis coſtarum eroſarum, quorum etiam inſignis quantitas per alvum reddebatur; perterrita equidem inopinato hoc accidente puella, haud tamen eo deduci potuit, ut, quid ſibi

acciderit, medico aut chirurgo declararet, præprimis, quia ab initio, foramine adhuc parvo existente, haud adeo copiose atque frequenter cibus ac potus egrediebantur; purulenta interim & acri materia costas, ventriculum, patentemque aperturam de die in diem magis erodente, & ita dilatante, ut amplior frequentiorque postea alimentis pateret exitus. Deficientibus sensim viribus lecto tandem sese committere cogebatur, durante interim appetitu & fame quasi canina, imo lupina, ita, ut singulis horæ quadrantibus appetere cogeretur cibum, quem tamen vix deglutitum cardialgia insequebatur maxima, ut ligamenta essent solvenda, quo liber alimentis vix assumtis, nec in chymum mutatis, exitus concederetur; quo facto magnum equidem sentiebat solamen, urgens vero fames novos exposcens cibos priori tragœdiæ denuo ansam præbebat. Alvus sub hisce circumstantiis, ut facile concipi potest, erat tardissima, imo per septendecim continuas septimanas omnino obstructa, qua postea clysteribus reserata, iterum erosarum costarum fragmenta excernebantur, urina interea pauciſſima, mensibus paucis, imo frequentius nullis, comparentibus: circa tamen mensium negotium notatu dignum fuit, quod singulis menstruis temporibus sincerus atque copiosus sanguis ex apertura absessus effluere visus fuerit. Quibus tamen concurrentibus symptomatibus haud emaciata, sed obesula, mammisque turgescentibus instructa, pallida equidem, non tamen cachectica, remanserat puella. Interim una cum alimentis, frequentius vero ventriculo ab illia plane vacuo existente, serum e vulnere profluebat flavum, acre, foraminis ambitum cum dolore quandoque excorians, & ægrotam, quo minus in sinistrum latus decumbere posset, impediens. Ipsum autem foramen quod attinet, quatuor illud transversos digitos à scrobiculo cordis versus latus sinistrum distat, & duos à mamma sinistra, inter octavam & nonam costam conspicuum, quarum magna tum osseæ, tum cartilagineæ substantiæ portio carie absumta est, imo decimæ costæ cartilago, quæ nonæ costæ cartilagini jungitur, plane deest, una cum insigni ipsius ossis portione, ita ut ab undecima respectu magnitudinis longe superetur. Foramen olim depressum, duosque digitos latum erat, nunc vero contractum, ut à globo plumbeo sclopeti mediocris factum videatur. Ope candelæ accensæ in ipso ventriculo undiquaque vulneri firmiter adnato complures conspicuæ sunt rugæ, quæ prope exitum fibris circularibus, sphincterem mentientibus, eundem muniunt, foramenque dilatant & contrahunt. Cutis externa circumquaque calloſa est, octava vero & nona costa aut nova cartilagine, aut callo, aut saltem corpore simili duro, quod tactu explorare licet, sterno junguntur. Quotiescumque contenta protrudere conatur ventriculus, convulsivo quasi modo contrahitur, parte nimirum ejus anteriore sursum ascendente, uti in vomitu fieri necesse est, superiore vero cum diaphragmate descendente, ita, ut contenta non sensim, sed cum impetu ejaculentur. Miserrimam autem hancce vitam ab anno 1712. quo altera absessus ipsius ventri-

triculi cavitatem penetrantis ruptura facta fuit, ad præsens usque tempus (*nempe ad annum* 1735. *quo dissertationem suam B. frater scripsit*) itaque ad integros XXIII annos protrahit, annos nunc habens XLII, prioris vero absessus in eodem loco existentis incisio facta fuit anno 1708. Primis annis post secundi absessus rupturam continuo lecto affixa erat, aliquatenus vero postea reconvalescens levioribus sese adsuevit negotiis, quibus etiam adhucdum operam navat. Cessant jam uno abhinc anno, aut quod excurrit, menses: fit præterea macilentior, & rugosa, ad ætatem provectiorem jam vergens: minuitur quoque appetitus, alvus autem fit lubrica, aquosa magis emittens, insuper frigore facile offenditur, & sæpius frigido afficitur sudore, vesperi vero pedes tument, disparente tamen mane tumore: somnus est brevissimus, & ab aliquo tempore à cœna plane abstinere cogitur ob cardialgiæ metum, licet quandoque non contemnendum habeat appetitum, antea largæ cœnæ adsueta. Statim à prandio, vel si aliquid cibi assumit, foramen firmiter claudendum est, alias recens assumta alimenta cito egrediuntur. Olim acrimoniam lancinantem liquoris gastrici, seu menstrui solventis ventriculi, vel si mavis seri illius flavi & acris lacte demulcere consuevit, jam vero ejusdem usum amplius ferre non potest, assumtum enim statim nauseam movet, & flavo tinctum colore ac in caseosam substantiam & coagulum conversum ejicitur. Duriora, farinacea ventriculum offendunt, ut & vinum, quod propterea statim haustu aquæ diluendum est, ne noceat: teneriora autem edulia facilius feruntur. Dorso denique incumbere nequit, sed semper in dextrum latus sese convertere cogitur. *Hactenus B. frater.*

Sub finem denique Dissertationis, pag. 45. *seq. monet*; virginem hanc A. 1735, graviore dysenteria decubuisse, inque ea non solum eruentis alvi dejectionibus, sed & tenesmo, torminibus, siti, vomitu, fatigatam fuisse, in quo vomitu hæc notatu digna observat, quod ne guttula quidem per foramen, apertum licet, nec deligatum exierit, quia hoc naturali suo sphinctere firmissime clausum erat. Sed & tum præter omnium spem & expectationem evasit.

CONTINUATIO CASUS.

In tali itaque statu, virgo vitam usque ad Annum 1739, ubi mortua est, protraxit: durante quo tempore sæpius illi conflictandum erat variis quidem, non tamen gravibus, morbis, quos usu convenientium medicamentorum, & exacta diæta superavit. Tandem sub initium veris dicti Anni 1739, febris hecticæ graviora sese manifestabant symptomata, atque invalescente sensim sensimque morbo, eandem pridie Calend. Augusti, hora vespertina quinta vita excedere jusserunt, ita tamen, ut more hecticorum placide efflaret animam. Paulo ante obitum, anxie portionem pulli gallinacei cocti desideravit, brevi tamen vomitu rursus rejecit. Altero

die

die mane cadaver ſumme emaciatum Venerandus Dominus *Parens*, piæ memoriæ, & chariſſimus frater *D. Chriſtophorus Nicolaus Wencker*, me præſente, ſectioni ſubjecerunt, & ſequentia annotarunt.

HISTORIA SECTIONIS.

Primo ſtatim intuitu apparebat in hoc cadavere foramen (quod per tam longam annorum ſeriem, nempe per XXVII annos alebat) in ſiniſtro hypochondrio, quatuor tranſverſos digitos à ſcrobiculo cordis verſus ſiniſtrum latus diſtans, & duos à mamma ſiniſtra, inter primam & ſecundam coſtam ſpuriam, tantæque erat capacitatis, ut facile pollicem majorem admitteret, circumcirca cartilagine fere oſſificata ſeptum, ac quoniam ab initio mali (ut ex hiſtoria B. fratris apparet) abſceſſus ibidem formatus erat, videbatur detracta cute, notabilis portio muſculi recti ſiniſtri lateris ita conſumta, ut per extenuatum peritonæum ſubjacentia cernerentur inteſtina. Aperto abdomine, & reclinata cute una cum muſculis, in conſpectum prodibat ventriculus mediocris magnitudinis, facie externa à ſtatu ſano non aberrans, qui in medio fere curvaturæ magnæ perforatus, hoc in loco firmiſſime foramini externo erat adnexus, & verſus orificium ejus ſuperius ſeu ſiniſtrum, pugni magnitudine erat extenſus, membranis interim ſatis validis, quas pinguedo haud ſpernendæ quantitatis circumdabat; reliqua vero pars, orificium inferius ſeu dextrum ſpectans, ita erat contracta, ut ejus cavitas vix pollicis diametrum caperet, pyloro ipſo mirum quantum conſtricto. Tunica namque nervea & villoſa, ope rugarum, ſphincterem analogum quaſi conſtituerunt, ut non niſi exigua & quidem tenuiſſima ingeſtorum portio per pylorum in inteſtinum duodenum penetrare potuerit: reliqua vero, ob remoram ſuam (quia rugæ notabiles erant) ægrotantem coëgit, haud longo à paſtu intervallo, foramen externe aperire, & contentis in ventriculo exitum præbere, aut vomitu eadem ejicere. Omentum ſatis explicitum, ſed tenue apparuit. Inteſtina tam tenuia quam craſſa, præter naturam contracta & anguſta, quia minima alimentorum portio ad illa pervenerat. Lien erat contractus & parvus, externe lividus, interne fuſcus, aſper, multis parvis ſteatomatibus extus conſperſus. In hepatis p. n. magni facie ſuperiore, varia erant ſteatomata, quorum unum ovum gallinaceum minus æquabat, inferior vero, ſeu concava pars lobi ſiniſtri, firmiter ventriculo fuit adnexa. Veſicula fellis parva continebat bilem obſcure viridem. Reliqua abdominis viſcera ſanis ſimilia eſſe deprehendebantur. Aperto poſtmodum thorace, inventus eſt pulmonum lobus dexter pleuræ adnatus, ſiniſter vero liber, ſed ambo abſque ulla labe notabili. Cor erat parvum, aſt ſatis firmum, cujus ambo ventriculi portionem quandam ſanguinis congrumati continebant, cum reliqua viſcera, imo totum cadaver fere fuerit exſangue. Hæc ſunt quæ in ſectione hac notatu digna fuerunt.

§. I.

§. I.

Evolutio hujus casus postularet quidem exactam causarum symptomatumque investigationem. Sed dum crambem bis coctam *Benevolo Lectori* apponere nolumus (beatus enim frater l. c. prolixius in hæc inquisivit) liceat post amplam ejus messem spicilegium instituere, huncque servare ordinem:

Primo locus affectus examinabitur, prout est tum in
I. Statu sano. §. 2.
II. Statu morboso nostri subjecti, ubi præcipue in recensendis casibus parallelis occupati erimus. §. 3. 4.

Secundo, symptomatum præcipua continuationis casus nostri sub incudem revocabimus, quæ ad hæc referri posse videntur nempe ad
I. Constrictionem pylori. §. 5.
II. Vomitum. §. 6.
III. Corporis & intestinorum maciem. } §. 7.
IV. Lienis & hepatis male affecti statum. }
V. Febrem hecticam. }

§. II.

Ventriculus, aliis quoque stomachus dictus, est nobile istud corporis nostri viscus cavum, amplissimum, membranaceum, utriculo lusorio simile, immediate sub diaphragmate œsophago continuum, in hypochondrio sinistro, regione costarum spuriarum partim, partim vero in regione epigastrica, inter hepar & lienem situm, duobus *orificiis* instructum, quorum unum sinistrum, seu superius, vel cardia quoque dictum; alterum vero dextrum, seu inferius, sub Pylori nomine cognitum est.

Nectitur ventriculus cum extremitate œsophagi perpendiculariter per diaphragma descendente, cujus cavitas sensim aucta tandem in angustiorem rursus abit tubum, & quando ad modicam ab ingestis extenuatur capacitatem, talem observat situm transversalem, quem sequentibus describimus: orificium œsophago continuum, superius, etiam posterius appellatum, sedem suam habet posterius prope corpus vertebrarum dorsi ultimarum, postea format extremitatem sinistram, seu magnam, in sinistro hypochondrio diaphragmati proxime adjacentem, pergit inde anterius, peritonæum attingens, & incurvando sensim angustatus, tendit parum deorsum, non penitus vero ad hypochondrium dextrum, quæ pars extremitas dextra seu parva vocatur; terminatur tandem orificio inferiore, anteriore etiam dicto, instar infundibuli truncati, distans præter propter duos digitos transversos à vertebris dorsi inferioribus; constat hoc orificium ex serie fibrarum circularium, contentorum crassiorum egressum re-

morans, unde etiam valvula pylori dicitur. Hic modo descriptus ventriculi situs ostendit nobis praeterea duas *curvaturas*, unam posteriorem inter duo orificia, *parvam* dictam, & alteram huic e diametro oppositam, anteriorem, peritonæum contingentem, & *magnam* vocatam, male à quibusdam fundi nomine insignitam; latera vero convexa, ampla, inter duas hasce curvaturas, audiunt *facies*, quarum una *superior*, altera *inferior* nominatur.

Structuram ejus quod attinet: conflatus est ex textura tunicarum admodum validarum, quarum Anatomicorum quidam quatuor, alii quinque describunt: *Winslovius* quatuor illarum statuit, nempe externam, musculosam, nerveam, & internam. *Externa* seu membranacea, est continuatio peritonæi discedens à superficie inferiore diaphragmatis orificium ventriculi superius amplectens, illumque veluti in peculiari sacco inclusum tenens. Alteram tunicam *musculosam* ex vario fibrarum valde robustarum ordine contextam esse constat, quarum tractus melius videre licet, si ventriculus recens hominis sani & violenta morte peremti, vel flatu quantum fieri potest, distenditur, vel juxta *Willisium* aquæ fervidæ immergitur. Hæ fibræ exhibent figuram longitudinalem, circularem, spiralem, obliquam &c. Quidam dividunt in duo plana, unum externum, alterum internum: externum planum exhibet longitudinales, aliquo modo sequentes directionem curvaturarum ventriculi, ab uno orificio ad alterum tendentes, quæ fibræ sua contractione longitudinem ventriculi arctant: internum vero planum ostendit fibras transversaliter circulares, externis fortiores, amplitudinem stomachi minuentes. Hæ fibræ formant potius segmenta circularia, quia multis parvis lineis albis, fere tendineis oblique interrumpuntur; hi semicirculi tendunt versus extremitatem ventriculi magnam in spiram, cujus centrum in medio hujus extremitatis positum, est, colliguntur fibræ hæ spirales circa orificium ventriculi inferius in fasces, & formant limbum circularem, vel potius sphincterem valde sensibilem, qui cavum hoc ita claudit, ut tamen semper apertura parva remaneat. Harum fibrarum ope fit *motus* ventriculi *peristalticus*, vermicularis quoque dictus, qui describitur ab *Hallero in not. ad Boërh. Præl. Acad. Vol. I. p. m. 292. n. 6.* Istiusmodi quoque fibræ circumdant orificium superius, sed nec ita prominent, uti istæ modo recensitæ: duo hæcce orificia firmantur inter se fasciculo fibrarum muscularium rectarum ab uno orificio ad alterum, ad parvæ curvaturæ spatium excurrentium, pollentque vi ventriculum distentum arctandi, dum pylorum ad œsophagum adducunt, ac interdum valide claudendi. Ab hoc fasciculo recto oblique deflectunt fibræ per utramque stomachi faciem, quibus ille contrahitur, ut cibi retineantur. Tandem quoque quidquid de fibris ventriculi carneis scribunt Anatomici, credimus potius cum *Heistero*: variam in variis hominibus fibrarum harum esse constitutionem, *Comp. Anat. Edit. 4. T. 2. p. 56. n. 9.* * Musculosam inter & extimam tunicam reperitur sub-

ſubſtantia quædam *celluloſa*, haſce tunicas conjungens, haud raro pinguedine obſita, nec univerſum ambiens ventriculum (*Haller. l. c. p. m.* 281. *n.* 2.) hanc Anatomicorum quidam vocant membranam *celluloſam Ruyſchii*. Tertia ventriculi membrana dicitur *nervea*, aut nerveo-vaſculoſa, quæ in parte ventriculi convexa conſpiciendam præbet texturam ex vaſculis minutiſſimis & nervulis compoſitam; concavitas vero, præcipue prope pylorum nobis exhibet copiam corpuſculorum ſubalbidorum, orbicularium, & complanatorum, adinſtar glaudularum, ſecretioni ſucci gaſtrici deſtinatarum. Quartam denique tunica ſeu interna, *villoſa* eam ob rationem quoque dicta, quoniam ſi in aqua calida aliquantiſper demerſus fuerit ventriculus, innumeri villi penduli in ea conſpiciuntur, qui videntur eſſe extremitates arteriarum, venarum, nervorum, ductuumque excretoriorum glandularum. Ultima hæc & nervea tunica multo ſunt ampliores externis, quoniam minorem elaſticitatem habent, & cõntractis reliquis multæ in illis conſpiciuntur rugæ, vel longitudinales, vel tranſverſæ, priores decuſſantes, quæ aſſumptis impedimento ſunt, ne ante peractam elabantur chymificationem, & in vacuo hæ obſervantur ventriculo, in heluonibus explanantur ita ut rugæ diſpareant, Vid. *Haller. l. c. p. m.* 256. Tunica hæc interna gaudet inſuper ſenſu exquiſitiſſimo, ob copioſiſſima filamenta nervea, quæ à tertia tunica accipit; præcipua ſedes eſt famis, quæ imprimis videtur excitari frictione ſuperficiei ipſius internæ, aut etiam à liquoris gaſtrici eam arrodentis acore.

Arteriarum, quibus ventriculo profpicitur, quæque ex arteria cœliaca egrediuntur, numerantur tres principales, gaſtricæ dictæ, nempe arteria coronaria ſtomachica ſeu gaſtrica ſuperior, gaſtrica major ſeu ſiniſtra, & gaſtrica minor ſeu dextra. Arteria *coronaria ſtomachica* eſt una ex tribus iſtis arteriis, quas cœliaca producit antequam nomen mutat; hic ramus dividitur in duos alios, quorum unus ad inſertionem œſophagi in ventriculum finitur, alter vero itinere ſuo progreditur deſcendendo, pone ſpatium parvæ curvaturæ ad pylorum fere uſque, ubi cum pylorica ſeſe conjungit, & ulterius verſus lobulum hepatis pergit. *Gaſtrica dextra* naſcitur ex hepatica, & pone duodenum ſe ſubducens, ad magnam curvaturam tendit, ubi ſeſe conjungit cum *gaſtrica ſiniſtra*, quæ oritur ex ſplenica, quæ ita conjunctæ *gaſtricam communem* conſtituunt. *Winsl. Trait. des Arter.* §. 179-191. Porro ſubminiſtrat arteria ſplenica, antequam lieni ſe inſerit, parti ventriculi ſiniſtræ incurvæ ampliori, duos vel tres ramos, qui vocantur *vaſa brevia arterioſa* (Winsl. *l. c.* §. 194.) Ramos arterioſos etiam accipit ab arteria *gaſtro-epiploica ſiniſtra*, itidem ex *ſplenica* oriente; & *gaſtro epiploica dextra*, proveniente à *Coronaria*.

Venæ e ventriculo reduces, ac pari modo gaſtricæ vocatæ, & ubique arteriarum quaſi comites exiſtentes, tandem per tres ramos, nempe venam *coronariam ſtomachicam*, *gaſtro-epiploicas*, *ſiniſtram & dextram*, partim meſentericæ ſuperiori, partim ſplenicæ, tanquam truncis venæ portæ

ventralis principalibus, (licet etiam in præterita hyeme Nobiliſſ. Dn. *Hommel* in Theatro Anatomico Argentinenſi Proſector dexterrimus, amicus noſter honoratiſſimus, nobis oſtenderit inſertionem venæ coronariæ ſtomachicæ in ipſum ſinum venæ portæ) humores à nutritione ventriculi, & ſecretione liquoris gaſtrici reſiduos, infundunt. Nec prætermittenda hic ſunt ſic dicta *vaſa brevia venoſa*, quæ totidem ramis, ut vaſa brevia arterioſa, in ſplenicam venam deſinunt, ex parte laterali ventriculi ſiniſtra per breve iter ad eam tendentes, & cum reliquis vaſis communicantes. *Winsl. Trait. des vein.* §. 261.

Etiam *vaſis lymphaticis* gaudet ventriculus, quæ maxima vidit *Haller*, *l. c. p.* 331. *n.* 32. quæque liquidum ſuum ad ciſternam lumbarem devehunt.

Nervi denique ventriculi, qui attentam merentur conſiderationem, oriuntur à pari octavo medullæ oblongatæ, *vago* ſeu ſympathetico medio dicto, ex duobus ramis œſophago dicatis, qui formant plexum valde notabilem, ex quo duo rami inſignes ad orificium ſuperius intrantes, anterior nempe & poſterior, *plexum ſtomachicum* formantes, proveniunt, qui per totam ejus ſubſtantiam diſtributi, & in ſuperiore abdominis parte cum nervo ſympathetico magno, *intercoſtali* etiam dicto, communicantes, ventriculum ſenſibilem admodum, ſpaſmiſque obnoxium reddunt.

Circa *uſum* hujus viſceris paucis me expediam: recipit nempe omnia alimenta & potulenta deglutita, eaque per tempus retinet, ope motus ſui periſtaltici accedente liquore gaſtrico, & alio cum alimentis deglutito, mutat in chymum, ac hiſce peractis in duodenum expellit.

§. III.

Perluſtrato itaque ſano ventriculo, properamus nunc ad deſcriptionem ſtatus illius morboſi: verum in animo hic non habemus in genere de morbis ventriculi ſermonem facere, vel quod ſit cauſa & ſedes plurimorum morborum, vel etiam quod cum aliis morbis ut plurimum per ſympathiam afficiatur, quam rem *Bagliv. de Fibra Motrice*, & *Hoffman. in M. R. S. T. III. S. I. C. V. De conſenſu partium nervoſarum generatim, & ſigillatim cum ventriculo præcipua paſſionum & ſymptomatum origine*, uberius explicuerunt. Sed tantum de ſtatu morboſo noſtri ſubjecti agemus, & ſimul quoſdam caſus parallelos recenſebimus.

§. IV.

Ut itaque de obſervationibus analogis ventriculorum perforatorum, foramine ſive exterius patente ſive interne in abdominis cavitate abſcondito, initium faciamus, præter eas quæ b. frater *l. c.* §. *III. &c.* congeſſit, ſequentes annotabimus.

OBSER-

Landesbibliothek Oldenburg

OBSERVATIO I.

Vir quidam, cujus nomen & conditionem reverentia tacere jubet, annorum LIV, proceræ ſtaturæ, ac robuſtus, facie tamen plerumque cachectica, ab aliquot jam ante obitum annis ſemper valetudinarius, poſt emeticum fortius à chirurgo quodam caſtrenſi propinatum, de malo in pejus res ſuas, creſcentibus in dies ſymptomatibus, converterat. Quapropter & medicorum & medicaſtrorum implorans auxilium, ab iis multivariis vexatus pharmacis, repetitis ſæpius emeticis, & purgantibus excruciabatur. Queritur imprimis de doloribus ab hypochondrio dextro verſus ſiniſtrum ſævientibus, & noctu ingraveſcentibus, qui eum quoque ſæpius lecto ſurgere & deambulare cogebant, abſque ullo quidem levamine: frequens etiam vomitus materiæ nigricantis cum copioſo ructu & ſoda non parum illum defatigabant. Spretis interim ſymptomatibus hiſce, Dn. Patiens ſe ex ventriculo minime laborare, ſed illo potius firmo gaudere, ſibi perſuadebat, quare & ultimo draſticum emetico-purgans circumforanei cujuſdam aſſumſit, quo ipſo exaſperata cuncta, à lumbis ad extrema uſque pedum paralyticus factus, cum involuntario urinæ profluvio, accedentibus convulſionibus, d. 18. Febr. A. 1739, vitam cum morte mutavit. Ex mandato ipſius eodem adhuc die, veſperi ſectio inſtituta erat. Aperto itaque abdomine flatu turgente, notabilem pinguedinis copiam non ſolum illud, ſed & omentum ac meſenterium obducere deprehendebatur: in cavo abdominis, potiſſimum dextri lateris, aliquot unciæ ſeri fuſci amarulenti reperiebantur, hepar, lien, renes intus & extus pallida, flaccidaque; inteſtina, ut duodenum, jejunum, & ileum, cœcum, magna etiam portio Coli dextri lateris, flatu tumida, & ſphacelata erant, facile enim dilacerabantur; veſicula fellis bile ſpiſſa, fuſca & acerrima turgebat. Ventriculus vero in amplum extenſus ſpatium, ob foramen tamen non turgidus, ſed collapſus, externe à colore naturali non multum abludens, ſed interne tranſverſo pollice à pyloro dorſum verſus latebat ulcus ubique calloſum, cujus cavitas capiebat ovum gallinaceum, margine circumductum erat undiquaque calloſo latitudine tranſverſi digiti; tunicæ ventriculi, in regione ulceris etiam calloſæ erant, præter extimam membranaceam, quæ tenuis, ſemidiaphana apparebat, magnitudine & rotunditate æquabat nummum æneum (*une piéce de deux deniers*) in cujus medio foramen erat exacte rotundum, quod calamum ſcriptorium capiebat, per hoc ſerum illud bilioſum, & ructus, ſeu flatus ventriculi, in cavitatem abdominis, paucis ante obitum, uti videtur, diebus, exitum quæſiverunt; in cavitate ulceris & ventriculi deprehendebatur ſerum fuſcum, ſumme amarulentum, multis intermixtum corpuſculis, partim mollibus, partim duris, amaris: quia veſicula fellis à calculis immunis erat, probabile eſt, hæc corpuſcula, ex reliquiis ciborum, à ſero iſto fuſco colore & ſapore imbuta

buta esse, quæ ut & reliqua omnia in sectione hac exactiori ut potuissent subjici examini, dignum fuisset, sed quoniam sectione properandum erat, tempus non concessit. Casum hunc subministrant Ephemerides B. Dn. *Parentis*, qui, ut sectioni ipse interessem, mihi olim permiserat.

OBSERVATIO II.

Similem etiam casum recenset *Hist. Acad. Reg. Scient. Paris. An.* 1704. *p. m.* 33. Ubi in sectione fœminæ, quæ diris ventri doloribus cruciabatur, ad orificium stomachi inferius inventum est foramen, cui pollex immitti potuit: cavitas abdominis multa repleta erat materia admodum corrupta, omnesque istius regionis partes erant inflammatæ.

OBSERVATIO III.

Aliam *Littrius* profert historiam. *Hist. Acad. Reg. Sc. An. citat. p.* 36. *seq.* de viro 26. annor. qui per tres septimanas continuis stomachi doloribus, nausea, & conatibus vomendi vexatus est, & ultimis diebus tam per superiora, quam inferiora multum excrevit sanguinis; in cujus stomacho post mortem invenit ulcus rotundum, quinque lineas in diametro continens, & dimidia linea profundum, pollicem cum dimidio distans à pyloro: in cavitatem ventriculi effusus reperiebatur copiosus sanguis ex parte coagulatus, & ex parte liquidus. Ingentis, hujus sanguinis effusi, copiæ causam constituit laudatus auctor apostema ventriculi, quod ipsum proveniisse credit à vehementi medicamento, quod æger à quodam circumforaneo accepit.

OBSERVATIO IV.

Sequentem observationem, chirurgi duo civitatis Imperialis *Bopfingensis*, ad b. Venerand. Dn. *Parentem* perscripserunt. Vidua quædam, ætatis 37. annor. trium liberorum mater, sæpius jam in cœlibatu de ventriculo dolente questa est, in matrimonio tantis excruciabatur doloribus, ut nec cibum nec potum retinere vellet ventriculus, sed per spontaneum, aut digitis provocatum vomitum ejicere coacta fuerit; quo peracto, mitigati quoque erant dolores. Ad ventriculum confortandum, haustum Spiritus Vini, & Zinziber conditum ipsa sibi propinabat. Quo in statu ad annum usque 1742. permansit & rebus suis domesticis præfuit. Dicto vero anno malum in pejus rediit, ac per quadrimestre, & quod excurrit, ante obitum lecto affixa, præter dolores & vomitus, sensum quendam in abdomine se percipere questa est, quem hisce verbis exprimebat: *Sie spühre Kuglen im leib.* Contra hæc mala & medicorum, & medicastrorum, prout fieri solet, implorabat auxilia, qui varia ei propinabant medica-

dicamenta, sed omnia irrita. Incipiebat enim corpore sensim sensimque emaciari, tandem tumere, donec tribus ultimis septimanis umbilicus sponte se aperiret, apertura digitum capiente, per quam assumta cuncta, per integras hasce tres septimanas, nihil mutata, emanabant, vigente interim appetitu ad mortem usque, quæ XII Aug. 1742 insecuta est. Quo facto dicti chirurgi sectionem instituerunt, & separatis, uti decet, integumentis abdominalibus, statim ventriculum extremitate sua parva ad umbilicum usque extensum, eique arcte adhærentem, ac cum foramine externo communicantem, invenerunt: pars ad orificium superius spectans sana erat, in inferiori vero omnia erant putrida, ita ut & odorem putridum ingratum de se spirarent, sinistri lobi hepatis pars concava, quæ stomacho incumbit, firmiter illi erat adnexa & exulcerata; vesicula fellea statum naturalem magnitudine parum superans, continebat calculum cubiformem; lobus vero hepatis dexter naturalem habebat colorem, & reliqua abdominis viscera omnia erant sana. In pectoris autem cavitate multum offendebatur aquæ, pericardium turgebat aqua, cor ostendebat copiosas vesiculas sero flavo gelatinoso repletas, ventriculi cordis continebant serum cum pauco sanguine coagulato, pulmones erant flaccidi & collapsi.

OBSERVATIO V.

Similem fere casum offert *Petitus in Act. Acad. Reg. Scient. A.* 1716. *p. m.* 395. De ulcere carcinomatoso fistuloso, fundum ventriculi interne, externe vero umbilicum perforante. Ubi verosimillime causam à tuberculo glanduloso ventriculi sensim sensimque aucto, proprio pondere versus umbilicum descendente, ibidemque inflammato, exulcerato, parteſque vicinas in consensum trahente, deducit.

OBSERVATIO VI.

D. XVII. Octobris, An. MDCCXXXIX. supra laudatus Dn. *Hommel*, in theatro Anatomico Argentoratensi, in dissectione cadaveris vetulæ cum ventriculum eximere vellet, obstaculum insolitum sentiens, accuratius rem investigavit, & invenit eundem per curvaturam parvam, ubi alias expansio minoris epiploi (conf. *Winslow. Tr. du Bas-Ventre* §. 356.) conspicitur, arctissime hepati concretum, scirrhoso limbo adhæsionem cingente. Admotis tum digitis haud ægre separavit hæc duo viscera p. n. coalita, & ventriculum ipsum non sine admiratione (deficientibus in loco adhæsionis ipsius membranis) insigni foramine pertusum vidit, facies interior scirrhosi limbi exesa erat & exulcerata, orificia vero superius & inferius sanis simillima conspexit.

OBSER-

Landesbibliothek Oldenburg

OBSERVATIO VII.

Idem *Anatomicus* d. XX. Febr. An. MDCCXL, in virili cadavere ventriculi faciem inferiorem pari ratione pancreati & mesocoli vicinæ parti adnatam miratus est. Qua adhæsione digitis separata, ventriculus foramen offerebat fere rotundum cujus diameter quinque digitos transversos excedebat. Initium ejus erat prope curvaturam parvam, & desinebat in distantia pollicis transversi à curvatura magna, lateraliter utrinque æqualiter à duobus orificiis distabat. Limbus ipse tumorem recurvum (Gallis *bourlet*) scirrhosum labiorum instar formabat, qui tamen magis versus curvaturam parvam, quam magnam erat conspicuus.

OBSERVATIO VIII.

Liceat denique ob analogiam addere & hanc observationem. Laudatus modo *Amicus*, d. XVIII. Decembris, Anni præterlapsi MDCCXLII. Cadaver fœminæ 45 annorum aperuit, in quo lobus hepatis dexter firmissime cum ipso hypochondrio cohærebat. Separato nexu notabilis materiæ purulentæ, spissæ, subalbidæ, portio ex ulcere, in superficie convexa hujus lobi hærentis, quatuor digitos transversos lato, & uno digito transverso profundo proveniens, effluxit. Margini anteriori dicti lobi dextri jecinoris, ut & versus faciem ejus concavam, nec non fundum vesiculæ felleæ adnatus erat pylorus, cum intestini duodeni principio, qui ad tactum durus & scirrhosus apparebat. Et hac quoque unione p. n. digitis divisa, offendit aperturam magnam in intestino duodeno, pollicis crassitiem facile excedentem, & dum hanc cultro ventriculum versus ulterius dilataret, manifestabat se scirrhositas extremitatis dextræ ventriculi usque ad limbum pylori præcise, & retro ipsum, in qua haud spernenda exulcerationis vestigia in sic dicto antro Morgagni apparebant. Bilis in duodenum iter liberum erat, totumque hoc intestinum ceteroquin sanum, ad duos transversos digitos supra insertionem ductus choledochi communis monstravit sæpius jam a laudato viro visam papillulam quandam, insertioni ductus excretorii parvi pancreatis respondentem. Conf. *Winslow. l. c.* §. 324.

Tres ultimas observationes ex benevola Dni *Hommelii* communicatione me habere grata mente agnosco. Dolendum interim in his & similibus observationibus, magno Pathologiæ damno, ignorari morbos prægressos. Liceat interim mihi aliqua circa allatos casus cogitata annectere.

I. Taceo pestis gentis humanæ (empiricos intelligo) nefandas strages, qua spretis omnibus rationis principiis, drastica imo venena pro pharmacis propinant, sicque satis miseram mortalium conditionem sub salutis spe & umbra miseriorem reddunt, (cujus asserti testes Obs. I, III & IV. esse poterunt) quam rationales medentes in tempore acciti, facile præcavent

(conf.

(conf. obſ. ſequent.) vi tamen mali omnem interdum medelam reſpuente (Obſ. II. & V.)

II. Illud ſaltem innuo, ſitum viſcerum haud raro in ſtatu ægro, à ſitu eorum naturali mirum quantum recedere, ut ergo ſi juſtum de loco affecto judicium ferre velis, reliqua ſymptomata ſint conjungenda. Quis enim in caſu *Petiti* (Obſ. V.) aut noſtro (Obſ. IV.) ventriculum, qui naturaliter in Epigaſtrio hæret, ſeſe prope umbilicum aperire poſſe perſuaſiſſet, niſi contenta ejuſdem, naturæ revelaſſent arcanum?

III. Mirare mecum B. L. ſummam *Divini Numinis* ſapientiam, qui ex ipſis haud raro morbis, morborum ſubminiſtrat remedia. Ventriculus pertuſus, neceſſario contenta ſua effunderet in abdominis cavitatem, atque ſic reliquorum viſcerum irritationem, inflammationem, gangrænationem, ſphacelationem & mortem produceret: ſed ea ipſa cauſa, quæ ventriculum lædit & exulcerat, partes quoque vicinas arrodit, inflammat, exulcerat, quo ipſo cruentata ulcerum labia aduniri, & illud quod ventriculo deeſt, per eas reſarciri, reſtaurarique poſſit, ut hæ analogæ membranæ ventriculi integri ſpeciem exhibeant, qui deglutita aſſervat, mutatque. Aut ſi externe ſit apertura ventriculi, integumentis abdominis per eaſdem cauſas accreſcit, ſicque foramine linteis & vinculis obturato, ars humana facile naturæ defectum ſupplet, ut ita talibus hominibus ſi non ſane, utcumque tamen, vivere datum ſit.

IV. Id quod lente fit in corpore noſtro, tuto fit. Docent ulcera ventriculi ſenſim formata, quæ eo ipſo, ut partibus vicinis pars læſa adhærere potuerit, anſam ſubminiſtrarunt.

V. Silentio premo (quod quidem primarium fuiſſet, ni cuivis legenti facile pateret, & a beato fratre l. c. §. X. prolixius fuiſſet excuſſum) ventriculi vulnera non abſolute eſſe lethalia.

Porro de umbilico perforato conſtat exemplis, quod non ſolum ventriculi, ſed & inteſtinorum contenta per illum exitum quæſiverint; cujus rei exemplum nobis præbent: *Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. A. 7. Obſ. XV.* Ubi in ſectione puellæ cujuſdam inteſtinum ileon, quatuor in locis diſruptum, excrementa prope umbilicum emittens, peculiari membrana craſſa, carnoſa, ſaccum quaſi formante arctiſſime cuti connexum, inveniebatur. Etiam *Teichmeierus* in Diſſ. *de Exomphalo inflammato exulcerato & poſtea conſolidato*, notatu dignum circa hanc rem deſcripſit caſum.

Conſolidati inſuper vulneris ventriculi obſervationem rurſus tradunt *Hiſtor. Acad. Reg. Scient. A.* 1723. *p. m.* 39. Hiſce placuit etiam addere obſervationem ſitus ventriculi præternaturalis, quam itidem *Hiſtor. Acad. Reg. Scient. A.* 1729. *p. m.* 14. ſuppeditant: ubi ventriculus, pars inteſtini coli & lienis, in cavitate ſiniſtra pectoris erant: loca, ubi diaphragma perforatum erat, ſpeciem annulorum cartilagineorum referebant, qui corporibus quæ circumdabant, fortiter adhærebant: quamque vitioſam conſtitutionem

D. *Chauvet* non recentem esse, sed in prima conformatione formatam fuisse, credit.

§. V.

Missis jam observationibus analogis, ad symptomatum, ex præternaturali hujus ventriculi constitutione, provenientium, historiam nos accingamus. Constat ex historia sectionis, eam ventriculi partem ab extremitate dextra ad pylorum usque ita contractam fuisse, ut vix pollici transitum concederet, per quam exiguam aperturam, virgine adhuc vivente, tenuissimam & subtilissimam ingestorum portionem penetrasse, videtur. Si causam hujus symtomatis pervestigare volumus, facile apparebit illa ex ipsa historia casus, in qua dicitur; quod statim ab initio hujus mali, formato altero abscessu in hypochondrio sinistro, ventriculus, præsertim post pastum, ad vomendi usque conatus pressus fuerit, succedente vomitu digitis provocato; rupto postea abscessu, & sensim dilatato foramine externo, deglutita alimenta & potulenta sæpissime per hoc foramen exierint, quo factum est, ut interdum vel nulla, vel paucissima, & quidem tenuissima, etiam nec rite præparata contentorum pars per pylorum in intestinum duodenum pervenerit, & sic fibræ pylori sensim, ob consuetæ dilatationis defectum, constringebantur, & tanto temporis spatio ita induratæ quasi erant, ut ulteriorem recusarent dilatationem. Describuntur etiam ab aliis autoribus tales constrictiones in intestinis quoque contingentes, uti *Ruyschius* in *obs. anat. chir. obs.* 68. *De ventriculi & intestinorum ob inediam prodigiosa contractione*, legi meretur: nec non *Bassius* in *observat. anat. chir. medicis*, *Dec. III. Obs. IX. De passione iliaca, ab enormi coli suscitata strictura*, exhibet in fig. *Tab. X.* Coli portionem superius & inferius mirifice flatibus distentam, inque medio valde contractam ac angustatam.

Haud ingratum opus me facere arbitror, si occasione strictura hujus pylori, referam casum, quem ex charissimi fratris D. *Christophori Nicol. Wenckeri*, ephemeridibus excerpsi, ubi intestinum colon constrictum, calloſum, & à nucleo pruni dulcis erat obstructum.

Vir quidam temperamenti sanguineo-cholerici, anno LVI. ætatis, molimina sentit hæmorrhoidalia cum torminibus, tenesmo & diarrhœa, varios hinc medicos medicastrosque consulit, quorum unus propinavit purgans, procul dubio drasticum. Hinc immanis utriusque brachii oritur dolor à cubito usque ad scapulam sæviens, eorumque motum plenarie sistens. Rite adhibita remedia sanguinis tum congrumati tum sinceri libras fere sex per anum eliminabant, quo ipso tormina & tenesmus mitigata, dextri quoque brachii usus restitutus est, sinistro in eodem statu, tam quoad dolorum sævitiam, quam quoad motus imbecillitatem permanente. Sanguinis profluvium excipiebat excretio materiæ fluidæ mucosæ, ex viridi flavescentis coloris, quæ post mensis spatium simul & semel sine adhibitis ullis remediis cessabat, & in pertinacissimam alvi obstructionem, nullis nec medicamentis

nec

nec clysteribus, millies licet repetitis, reserandam mutabatur. Augebantur ventris tormina, abdomen in stupendam intumescebat molem, & cuncta inflammationis intestinorum symptomata, una cum deliquiis frequentibus, propinquam nunciabant mortem, quæ & d. 30. Maii An. 1736, insecuta est. Aperto sequenti die abdomine, magno impetu prorupit intestinum colon mire expansum, ita, ut crassitie sua crus viri robustissimi æquaret, cujus valvula callosa erat: in fine vero ejusdem ubi intestinum rectum incipit, alius erat callus, in cartilaginosam fere duritiem degeneratus, intestinum ita arctans, ut ejus cavitas, maxima vi adhibita, vix digitum minimum admitteret. Cavum hoc exacte claudebat nucleus (cortici adhuc inclusus) pruni dulcis transversim situs, quem ante plures retro septimanas æger assumserat. Intestinum ipsum adeo sphacelo erat consumtum, ut solo attactu contereretur. Curiosus hinc quid offerret brachium sinistrum (quod dolens & immobile fuisse diximus) nec in cute, nec in musculis ullum neque tumorem, neque colorem mutatum, observavit. Os humeri vero prope ejus capitulum penitus fractum, & capitulum, cavitati suæ adhucdum inhærens, æque ac os ipsum (cujus substantiam chartæ subtilissimæ instar extenuatam miratus est) à materia purulenta exesum erat.

§. VI.

Jam de vomitu, quo sæpius misera hæc excruciata est, nobis agere incumbit, cujus causam fuisse, primo dico, constrictionem pylori: nam cum alimentis, ob nimiam fibrarum resistentiam, exitus non concederetur, & tamen major cibi & potus copia semper ingesta fuerit (uti videre licet ex Diss. b. fratis, (§. XIX) sic ob diuturniorem eorum remoram, ponduſque aggravans, non aliter fieri potuit, quin membranarum fibris stimulatis, & motu ventriculi peristaltico inverso, contenta aut sponte, aut œsophago digitis irritato, ejicerentur: deinde multum quoque huc contribuisse videtur, firmissimus adnexus hujus visceris ad peritonæum & cutim, quo ejus actio in contenta naturalis, admodum impedita est. Dantur etiam & aliæ frequentioris, imo & lethalis vomitus causæ, in ventriculo latentes, quæ passim apud observatores Anatom. annotatæ leguntur, quarum unam recenset *Kerckring. in Spicileg. Anat. obs.* 1. *de nummo argenteo deglutito, pylorum occludente*, quo alimentis, omnis ad intestina transitus prohibitus est, & quidquid puella ciborum sumsit, rursus ejecit. Porro, *de lethali scirrho ventriculi*, præter reliquorum symptomatum, etiam vomitus continui causa, tradit observationem *Ruysch. in obs. anat. chir. Obs. XXXIX. p. m.* 53. *De vomitu, ob pylorum gypsea materia intus & extra obductum*, scripsit *Blegny in Zod. Med. Gall. An. primo, Mens. Febr. Obs. III. p.* 46.

§. VII.

Præcedentibus symptomatibus addimus etiam maciem corporis & intesti-

norum in subjecto nostro observatam, quæ accusat defectum restitutionis partium solidarum & fluidarum motu perditarum: si vero hæc rite procedere debet, omnes actiones, perdita restaurare valentes, ut bene se habeant necesse est, quod vero in nostra virgine minime fieri potuit: nam vomitus, quo illa tam frequenter vexata fuit, non concessit, ut sufficiens contentorum resolutio fieri, & exinde chymus bonus & sufficiens præparari potuerit: vitiata ergo chymificatione, concludere facile licet, nec exoptatam chylificationem perfici potuisse; hinc ex chyli penuria provenit sanguificatio læsa, & ex defectu lymphæ sanguinis nutritiæ, tantum & tale vasis totius corporis adponi non potuit materiæ, quantum & quale cujuslibet indoles requirebat, vires cordis non sufficiebant, ut vasa arteriosa omnia replererentur, multo minus ut extenderentur, sic rigidæ vasorum fibræ se sensim contraxerunt, vasa facta erant obstructa, & hac ratione minimum capere potuerunt augmentum corpus & intestina: vasis hinc obstructis, & confluente tamen per tam longum temporis spatium humore ad loca præcipue nobiliora, exitum vero ibidem non inveniente, stagnante potius & inspissante, tumores exinde orti sunt scirrhosi, uti ex sectione nostri subjecti patet; cujus superiorem hepatis partem obsiderunt varii tumores scirrhosi, quorum unus, magnitudine ovi gallinacei parvi, reliquos superabat: lien pari modo conspersus videbatur tumoribus parvis scirrhosis. Ex inæquabili hoc sanguinis circulo non potuit, quin etiam somnus fuerit, vel nullus, vel brevissimus, delassans magis quam reficiens, accedentibus phlogosibus & calore in volis manuum, & plantis pedum præcipue sensibili; color corporis & faciei erat pallidus, extenuatio corporis in dies increscebat, ut ossa hinc inde prominerent, caro mollis, flaccida, facta sit: hisce semet adjunxit virium consumtio, & animi fastidium, ac præcipua sensibilitas & exacerbatio circa tempestatum mutationes, & anni tempora, tum æquinoctialia, tum & solstitialia, etiamsi libero aëri se non exposuerit ægra: quæ symptomata omnia præcipue, præter reliqua, in illa observata, summe hecticam illam fuisse declararunt, qua etiam ea mirum in modum absumta, tandem mortua est.

Tabem lethalem, à ventriculo per spasmum violentiorem in duos quasi saccos divisо, ortam, narrant *Transact. Anglic. N°. 422. Edit. Gall. An. 1732. p. 45.* Nec non *Eph. N. C. in cent. 7. p. 207.* describunt febrem hecticam à scirrhositate pylori & pancreatis provenientem.

Et hæc Exercitii Academici gratia prolata sunt, utque B. L. levidenses hasce pagellas benevolis perspiciat oculis, est quod in votis habeo. *Deo* vero T. O. M. grates persolvo immortales, pro concessis corporis & animi viribus, sicuti in toto studiorum meorum cursu, ita præcipue in hujus Dissertationis labore, illumque porro ardentissimis invoco precibus, velit studia mea ita dirigere, ut in illius Gloriam & proximi commodum cedant.

FINIS.

HISTO-

CXXVI.

HISTORIA ET CURA
BUBONIS INGUINALIS
CUM PERFORATIONE
INTESTINI ET ERUPTIONE LUMBRICORUM.

Præside

CHRISTIANO VATER.

Resp.

GUSTAVO PROSPERO JUCH

Wittemberg. 1693 Mens. Martio.

Landesbibliothek Oldenburg

QUandoquidem sola ratione medicinam subsistere posse, nemo est, qui arbitretur, ita illi omnium pessime rebus suis consulere mihi semper visi sunt, qui generalibus medicinæ præceptis, disputationibus & controversiis, citra necessitatem, & quam par est, diutius inhærent, nec per individua, ad sanandos singulatim ægros, eadem applicare satagunt. Quid, quæso, illi proficiunt, qui naturam universam inter disputationum contentiones quærunt, aut qui pleno ore de mineralibus, vegetabilibus & animalibus, eorundemque causis & qualitatibus certant, si vero ad rem ventum fuerit, nihil præter nomina & terminos norunt. Inspicienda talia sunt & monstranda, non solum disputanda. Pari ratione oleum & operam perderemus, nisi quæ de tumorum, vulnerum, intemperierum, febrium, aliorumque morborum causis, subjectis & remediis concepimus, exempla specialia in ægris nobis confirmarent. Eo fine jam tum inter antiquissimos, Hippocrates, votivas ægrotantium tabellas, quibus remedia morborum in templis gentilium appensis continebantur, magna cura quæsitas, suis & aliorum usibus descripsit, & post hinc historiarum egregios commentarios in epidemiis reliquit, quem etiamnum celeberrimos viros imitari, toto die videmus. Illis ipsis quidem nomen meum inferre non ausim, nihilo secius jam tum varia hactenus in praxi observata, & studio collecta, mihi in promptu sunt, inter quæ sequentem historiam & curam, consensu & authoritate gratiosissimæ facultatis medicæ eruditorum examini, loco inauguralis speciminis, exponere placuit. Largiatur Deus T. O. M. hisce meis conatibus eventum quoque felicissimum, ut cedant in ipsius Gloriam & Proximi salutem!

HISTORIA.

Juvenis XXVIII. annorum, Johannes *Mengel*, temperamenti sanguinei & corporis robusti, de diæta parum sollicitus, & fructus, præcipue horarios, sine discrimine, in magna copia devorans, aliquando à laboribus defessus ac exæstuans, potu frigido se invitabat, unde die 22. Nov. anno 1687. tumorem duriusculum in inguine sinistro, magnitudine ovi gallinacei, sentiebat, absque tamen dolore vehementiori, nisi quod inter ambulandum motus femoris sinistri quodammodo impediretur: medicus quidam & chirurgus in subsidium vocati, herniam subesse judicant, eidemque remedia, tam interna, quam externa, opponunt, sed infelici prorsus eventu; tumor enim in diem augebatur, ut non solum inguen, sed etiam regionem umbilicalem & hypochondrium sinistrum occuparet, cum symptomatibus atrociissimis, inflammatione nimirum summa, febre, dolore intolerabili, tensivo & pungitivo, torminibus ventris, vomitu continuo, singultu, dysuria, prostratione virium, tandemque lipothymia inse-

ſequente. Hinc gravicer perturbata ægri mater die 3. Decembris meam quoque implorabat opem; ego vero circumſtantiis omnibus bene ponderatis, nullam prorſus herniam, ſed potius abſceſſum deprehendebam, indeque medicamentis prioribus & bracherio remotis, tumorem potius emollientibus & ſuppurantibus tractandum curabam, non neglectis ſimul internis nervinis, bezoardicis, diaphoreticis, traumaticis & anodynis: ita ſpatio duorum dierum ſuppuratus abſceſſus & ruptus, ingentem quantitatem materiæ purulentæ fundebat, cum inſigni levamine, unde æger & adſtantes rem in vado jam eſſe arbitrabantur: ſed quid fit? diebus ſequentibus nempe 4to & 5to Decembris, lumbrici, longitudine fere cubiti, ex abſceſſu ſequebantur, & quod magis mirum ipſiſſima alimenta, paulo ante aſſumta, cruda partim & ſemicocta, ut fruſtula pomorum, ſemina papaveris aliaque. Nihilo ſecius tamen animum nondum abjiciendum putabam, quin potius curæ priori inſiſtens, remediis balſamicis, traumaticis & confortantibus continuabam. Et ecce æger præter omnium ſpem & cum admiratione adſtantium priſtinæ reddebatur ſanitati, adhuc incolumis & ex omni parte ſanus.

THES. I.

QUoniam machina corporis noſtri hydraulicopneumatica, qua nulla dari, aut fingi quidem poteſt perfectior, nihil niſi contextus vaſculoſus, e meris canaliculis, tubulis & veſiculis, incredibili arte fabrefactis, componitur, & varii admodum generis ſuccis repletur, mirari amplius non ſubit quare, data in humoribus iſtis turba quadam, tam ſubito tota œconomia animalis non ſolum afficiatur nimium, ſed etiam ſcoriæ omnis generis ad confinia tubulorum iſtorum, glandulas nimirum, aut alius generis vaſculoſos contextus, propellantur & protrudantur. Uti enim mare continuo ſuo circuitu & alluvie varias ubivis ſordes ad littora exponit, & effundit, ita non minus unda microcoſmia peregrinis effluviis turbata, deſpumat ſæpius & miaſmata ſua ⊖na, ♁rea, putrida aliaque heterogenea ad extimos parietes rejicit, unde tot tumores, inflammationes, dolores aliaque mille mala pullulare ſolent. Exemplo nobis in præſens erit bubo, tumor glandularum; præcipue inguinalium, cum inflammatione & dolore plus minus aucto a ſero ſanguinis viſcido, impuro, acido-acri ibidem ſtagnante, oriundus.

THES. II.

Haut graviter adeo in conſuetudinem, omnibus quidem retro temporibus obſervatam, peccabo, etiamſi etymologiis, homonymiis, & ſynonymiis

nymiis jam non inhæserim prolixius, per se enim e Dissertationis rubricæ titulo satis liquet, rem nobis esse non de ave, aut parte quadam corporis, bubo alias appellata, sed de tumoris cujusdam specie, & potissimum inguinali, cujus regionis glandulæ, imo ipsa regio, communiter bubones appellantur, ut propterea etiam hernia inguinalis, bubonoceles nomen obtinuerit; de quibus prolixius, si placet, legi merentur *Celsus de re medica. Gorræus de fin. medic. & alii.*

Thes. III.

Diximus vero, bubonem esse tumorem glandularum, præcipue inguinalium cum dolore, rubore & inflammatione, plus minus aucta, à sero acido & acri ibidem stagnante ortum, ne cum aliis tumorum, etiam glandulosorum speciebus confundatur facile; contingunt enim alias glandulis, & glandulosis partibus, plures læsiones & tumores v. g. scirrhi, scrophulæ, strumæ, atheromata, melicerides, steatomata, testudines aliique; in eo tamen à bubone semper distincti, quod à lympha minus acri, magis tamen viscida, mellaginea, aut etiam sebacea oriantur, indeque sine dolore, inflammatione aut suppuratione diutius durare solent. Hic vero glandulæ affectæ semper, plus minus quidem, dolent, cum majori, vel minori inflammatione, sæpius ad suppurationem tendente: uti in lue venerea, febribus malignis & peste ipsa, quibus tam frequenter complicantur bubones, toto die observamus.

Thes. IV.

Et tali quidem bubone ægrum nostrum affectum esse, vel ab initio statim dignosci poterat; erat enim juvenis sanguineus, plethoricus, gulæ nimium indulgens, & præcipue ab incandescentia corporis vehementi, potu gelido se obruens, quæ singula quantopere ejusmodi stagnationibus humorum, & inflammationibus producendis faveant, e causarum serie mox patebit. Manifestabat præterea se tumor in inguine sinistro, cum dolore primum quidem leviori, sed subinde crescente, cum inflammatione ingenti, & subsequente demum suppuratione, absque tamen ullis extrinsecæ læsionis, aut rupturæ signis; ut adeo mirari non satis potuerim, quomodo ulla, vel minima, herniæ alicujus suspicio aliis dari potuerit.

Thes. V.

In hernia alias intestinali tumor observatur mollis, & indolens, qui à sumpto præcipue cibo, vel flatibus in intestinis collectis, per intervalla intumescit, à decubitu vero in dorso detumescit, vel prorsus disparet; intestina quoque ipsa in tumorem prolapsa, manibus deprehendi possunt,

& intra abdomen reponi, nisi inflammatio quædam conjuncta, repletio nimia à flatibus, aut aliæ quædam circumstantiæ interdum obstent. Pariter in omentali tumor adhuc est laxior, lubricus, & sibi semper æqualis; in flatulenta vero lævis, splendens, renitens, qui ab attactu murmura edit, quemadmodum in aquosa & præ cæteris graviori, aqua fluctuans se prodit; neque demum carnosa & varicosa, quæ in scroto solum fit, cum insigni duritie, & absque omni dolore, adeo ut etiam compressa, vix ac ne vix sentiat quidem, cuidam imponere queat.

Thes. VI.

Variant quidem etiam bubones, non solum ratione sedis affectæ, sed etiam graduum, & complicationum cum aliis morbis; unde modo parotides, pani, phymata, phygetla, bubones venerei, pestilentiales, maligni &c. ab authoribus vocantur, neutra tamen horum signis istis propriis antea recensitis, caret. Quare autem ejusmodi ruptiones & stagnationes humorum frequentes adeo sint glandulis, & præcipue inguinalibus, nunc e structura illarum eo plenius addiscere licebit.

Thes. VII.

Glandulæ quidem non unius prorsus generis in corpore nostro reperiuntur, sed propter figuram & texturam diversam, aliæ videntur magis globosæ, vel conglobatæ, e simplici vasorum complicatura formatæ; aliæ vero ex his conglobatis, denuo collectis, conglomeratis, & racematim sibi invicem super impositis & connexis, constant; quædam quoque magis vasculares, aliæ vesiculares potius per microscopiorum examina accuratiora, deprehenduntur; omnes tamen in eo conveniunt, quod e vasorum sanguineorum, præcipue arteriolarum capillarium, extremitatibus, varie convolutis complicatis & glutine quodam connexis, constent, in quorum medio vasorum gyri, tanquam à peripheria in centrum vesiculare concurrunt, intra quam serum, lege mechanicæ structuræ colatum, colligi, indeque per tubulos lymphaticos aliorsum derivari debebat. Tales vasorum conglomerationes & contextus vesiculares in glandulis majoribus, præcipue bubonibus, ultro apparent, & turgescentibus, vel etiam arte injectis liquoribus, æque ac mammæ tam promptissime intumescunt ac detumescunt.

Thes. VIII.

Inguinalium glandularum, ut de iis in specie aliquid moneam, & quæ viris æque ac fœminis communes sunt, inter conglobatas extantiores & laxiores, quinque vel plures, in flexu inguinis deprehendimus, quæ non solum

ſolum venis cruralibus per plurimos ramos cohærent, ſed eaſdem quoque applectuntur quaſi, infra quas adhuc alia, præ cæteris magna & oblonga locatur, quam propterea peſtis, illas vero luis venereæ virus præ cæteris recipere *Riolanus in Enchirid. Anatom.* judicavit. Cujus quidem diverſitatis, nullam rationem habebat, niſi quod peſtis venenum longius eliminetur. Nobis ſufficit, quod omnibus hiſce præſuppoſitis, & bene trutinatis appareat facile, quam frequenter & neceſſario, ſanguinis mixtione turbata, ſcoriæ ejuſdem heterogeneæ, facta inſigni lucta, ad glandulas iſtas, vaſorum extremitatibus appenſas, tanquam emunctoria, à natura alias deſtinata, propellantur; quamque facile, niſi cito reſolvantur, in textura ejuſmodi delicatiſſima, & gyroſa vaſorum, craſſiores præcipue partes, cumulentur & coagulentur. Ita enim conſtanti naturæ lege ſancitum, ut ſanguis & lympha perpetuo circuitu per corporis univerſi partes eant redeantque; ubi vero fit, quod motus iſte à variis cauſis turbetur, vel impediatur, maxime in locis iſtis anfractuoſis & glanduloſis, tum ſpiritos & humores largius congeſti, neceſſario incaleſcunt, canaliculi vero & veſiculæ, ſolito celerius, moventur & extenduntur, quam inflammatoriam obſtructionem, vel inflammationem dicimus.

Thes. IX.

Quemadmodum vero, omnis ſanguinis reſtagnatio & obſtructio inflammatoria fieri ſolet, vel ex vitio ipſorum humorum circulantium, vel ſaltem pororum & tubulorum, à cauſa quacumque alia externa immutatorum & obſtructorum; ita utramque in noſtro quoque ægro offendimus manifeſtam: erat enim juvenis alias robuſtus, ſanguineus & plethoricus; ſola autem plethora eruptioni locum dare poteſt, quando vaſa ſua nimium diſtendit, vel plane rumpit, unde ſanguis, vel ſolummodo ſerum ejus ſtagnat, ſtagnando vero neceſſario intemperiem contrahit, dum partes ſubtiliores interea ſecedunt, craſſiores relinquuntur, grumeſcunt, aceſcunt, ex quo non niſi fermentationes peregrinas & corruptiones fieri, neceſſe eſt.

Thes. X.

Sed gravius procul dubio momentum addidit, cacochymia ſanguinis e fructibus præcipue horæis, alias ſponte & ſubito fermentantibus, & putreſcentibus contracta & ſuggeſta: ſucci horum fructuum; per naturam nidoroſi, viſcidi, gelatinoſi, paucarum horarum ſpatio fermenteſcunt, putreſcunt, & in ſtagma acidum vertuntur; quanto magis in corpore impuro, & corruptioni non minus obnoxio. Qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus, talis ſanguis, qualis ſanguis, talis ſanitas; adeo ut plures gulam, quam enſem necare, juxta commune proverbium non inepte dicatur. Jam vero nulla amplius probatione indiget, quod acida,

auſtera præ omnibus, vi mechanicæ particularum ſtructuræ, fibras & porulos non ſolum arctius conſtringant, ſed etiam ipſos humores jam tum viſcidos, coagulent & condenſent, partes ⊖inas & ♁reas volatiles, quibus ſanguis per naturam turgere debebat, figant & ligent, adeoque ejus rarefactionem, & fluxilitatem cohibeant; conſimili pene modo, quemadmodum ab acido aliquo lacti inſtillato, caſeoſas partes à ſero præcipitari obſervamus, vel ipſe ſanguis recenter emiſſus, eo momento omni fluxilitate depoſita, ab eodem grumeſcit. Nihil igitur mirum, quod in tam innumeris affectibus, imprimis peſte, ſcorbuto, lue venerea, lepra & ſimilibus, quibus alias bubones quoque comites, acidum ſemper accuſandum veniat.

Thes. XI.

Neque dubium eſt, quin alia adhuc ſanguinis vitia & impuritates ab inordinata prorſus ægri noſtri diæta acceſſerint. Omnis acredo, etiam minus acida, ſed ⊖ſa & muriatica, irritat & rodit tubulos; lixivioſa & alcalica volatilis, ſive fixa, cum acido efferveſcit, & miſturam ſanguinis turbatam, motumque plus juſto rapidiorem, & affluxum ad partes, concitat. Reliquæ impuritates & cruditates viſcidæ, mucoſæ, craſſæ & inertes licet, ad minimum tamen obſtructioni pororum & conſequenter ſtagnationi fores aperuerunt.

Thes. XII.

Præceſſerat inſuper in noſtro ægro incaleſcentia totius corporis nimia à labore forti, per quam humores alias & ſpiritus agitantur, & raptu quodam huc illuc feruntur; ſalia peregrina adhuc quieta, & quaſi ſopita, excitantur nimium & in orgaſmum rediguntur, quæ alias mora temporis ad meliorem frugem reduci, aut alia ratione evacuari potuiſſent: ex quo fit, quod à ſolo motu immoderato, hæmoptyſiu, phthiſin, inflammationes, pleuritidem in ſpecie aliaque mille mala, toto die oriri videamus, de quibus etiam exempla ſi placet, legantur ap. *Rolf. Ord. & Meth. med. ſpec. p.* 122. *River. lib.* 1. *obſ.* 45. Nec dicam, per nimium motum ſpiritus enormiter diſſipari, quibus autem, tanquam motoribus humorum præcipuis deperditis, ſanguis eo facilius in grumos abit, æque ac per venæ ſectionem emiſſus, loco fluoris, gelatinæ formam, ob eandem xationem & frigus extrinſecum acsedens, aſſumit.

Thes. XIII.

Sed frigùs etiam huic buboni vires & pondus addidit, quando æger ſtatim ab incandeſcentia potum gelidum ingurgitavit. Dici non poteſt, quan-

quantum frigiditas in affectibus ejusmodi producendis valeat, quatenus partibus suis nitrosis, acidis, poros corporis æstuantis, tum temporis laxatos & apertos, eo promptius penetrat, & humores in fervore constitutos, subito reprimit, figit & coagulat. Hinc inflammationes, anginæ, pleuritides, phrenitides, bubones & similes, nunquam frequentiores observantur, quam ubi cum calore aer, aut potus frigidus toties permutatur. Ideo etiam potus non solum à motu fortiori, sed incandescentia solum ab ira assumptus tot semper strages hominum induxit, quod nisi quotidiana adhuc doceret experientia, exemplis innumeris jam probarem.

Thes. XIV.

Præter has causas satis quidem prægnantes, non reticendi quoque sunt errores in cura priori commissi. Historia enim loquitur, ægrum ab initio curæ pro hernioso habitum, indeque remedia adstringentia, oleosa & emplastica una cum bracherio fuisse adhibita, quibus certe pori inguinum & glandularum fuerunt obstipati, compressi; resolutio & transpiratio fuliginum morbosorum prorsus cohibita, imo interiora versus & in sanguinem repulsa, unde sane tot gravissima symptomata oriri prorsus necessum erat. Ideo enim tam sollicite, in quibuscumque inflammationibus cavemus alias omnia pinguia, viscida, frigida, styptica, & similia, quoniam ex prohibita in iis transpiratione, tot tragicos affectus oriri toto die videmus.

Thes. XV.

Exemplo suo id probat satis noster; augebatur enim statim ab applicatione istorum inflammatio ingens, non solum bubonum, sed omnium vicinarum partium, usque ad umbilicum & hypochondrium se extendens. Nullus dubito, quin partes & viscera quoque interiora, vesica imprimis urinaria & intestina tenuina æque, imo eo magis, quo viciniora, vasisque sanguineis & nervis insignioribus instructa, fuerint inflammata, uti etiam e symptomatum syndrome satis superque apparet. Inflammatio alias non æque semper manifesta est in bubonibus, quando nimirum lympha magis viscida & acida obstruit quidem, minus vero turgescit, vel effervescit, quemadmodum in bubonibus venereis & serosis magis observatur. In nostro autem juvene plethorico, facto semel sanguinis orgasmo, non poterat, quin ibidem in circulo impeditus incalesceret, partes istas obstructas secundum omnem dimensionem agitaret, extenderet, & irritaret, in quo ratio tota omnium inflammationum consistit; sanguinis enim in circulo suo impediti partibus ⊖nis & sulphureis idem accidit, quod in aliis liquoribus heterogeneis fermentabilibus, ut intestino & tumultuario motu incalescant non solum, sed etiam vicini & cohærentis sanguinis partes in consensum trahant.

Thes. XVI.

Eo ipso & ob fibrarum & membranarum tam gravem irritationem, dolor adeo fuit auctus, etiam ad intestina usque propagatus; non quod intemperies, aut obstructio ipsa majorem affluxum sanguinis concitaverit: nullus enim proprie loquendo, & stante circulo sanguinis, datur affluxus major, vel minor ad partes; sed quoniam in parte obstructa humores congesti non distribuuntur satis, necessario fervidi & acriores redditi, eo fortius in tubulorum poros impelluntur, impinguntur, fibrillæ nimium distenduntur, vel dilacerantur penitus, adeo ut spiritus in contrarium prorsus & tumultuarium motum redigantur, sensumque doloris reddant.

Thes. XVII.

Motum istum tumultuarium irritativum & intestinum manifestabant statim ventris tormina, singultus & vomitus subsequentes; ventriculus enim & intestina consentiunt inguinibus, non solum communi sanguinis & spirituum vinculo, sed imprimis quoque per communem omnibus membranam & tegumentum, peritonæum nimirum, quo fieri non potuit, quin eorum fibræ quoque spirales irritarentur graviter & motus peristalticus, vomitus & singultus sequerentur.

Thes. XVIII.

Dysuriam vero in specie vesicæ urinariæ compressioni & inflammationi tribuebam; quoniam enim hæc inguinalibus istis glandulis proxime adjacet, imo mediante ligamento suo peritonei processui, cui bubones subsunt, cohæret, præ ceteris inflammationem non solum participare, sed à tumore vicino comprimi debebat: tunicæ autem vesicæ adeo oppressæ, non nisi cum dolore se dilatare, vel stringere, urinamque reddere possunt.

Thes. XIX.

Dum hæc omnia fiebant, & remotis prioribus medicamentis adstringentibus & reppellentibus, emollientia potius & digerentia applicabantur, intra bidui spatium succi stagnando acerrimi facti, nunc data via erumpebant foras, & ægrum in momento à gravissimis istis symptomatibus liberabant, quemadmodum in peste, aliisque febribus malignis, causa morbi præcipue per metastasin criticam ad bubones, vel carbunculos translata, ægroti à præsentaneo vitæ periculo vindicantur. Mirabar ingentem purulentæ & corruptæ materiæ quantitatem, quam vero paulo post non solum

ſolum e ruptis & apertis bubonis vaſculis, ſed & inteſtino accumbente ſimul inflammato & eroſo, eo derivatam & auctam deprehendebam.

Thes. XX.

Sequebantur enim ſequentibus diebus lumbrici inteſtinales & alimenta cruda, partim ſemicocta, imo ipſa medicamenta à me propinata. Dubitare hæc non permittebant de eroſione & ulceratione inteſtini cujuſdam, quod licet viſu deprehendi non poſſet, tamen ileon maxime affectum, e lumbricis & cibis crudis ſimul rejectis, colligebam. Lumbrici enim hoc potiſſimum domicilium amant, eo quod ſemina ibidem verminoſa primum cum cibis reponantur blando calore excludantur, & excluſi quoque hic alimentum omnium gratiſſimum, chylum nimirum, inveniant. Acceſſit quod alimenta ſemicocta & ipſa medicamenta tribus ab aſſumptione circiter horis, ſimul rejicerentur.

Thes. XXI.

Dubitari vero hic poſſet, utrum eroſio inteſtini forſan à vermibus facta anteceſſerit bubonum, vel potius, uti hactenus demonſtravimus, ab his inflammatis inteſtinum demum corruptum & eroſum, indeque tranſitus vermium per ulcus jam apertum ſecutus fuerit. Inauditum certe non eſt, vermes inteſtina perforaſſe, indeque una cum ſaburra putrida in cavitatem abdominis prolapſa, occaſionem abſceſſibus inguinalibus dediſſe, cujus inſigne, & quod inſtar omnium eſſe poteſt, exemplum refert *Nic. de Blegny Zodiac. Med. Gallic. Ann.* 1. *p. m.* 84. Ita herniam inguinalem, ab inteſtino à vermibus eroſo ortam, notavit *Bonett. Med. Septembr. P.* 2.

Thes. XXII.

Quin tamen prius aſſererem, perſuaſerunt mihi circumſtantiæ antecedentes & concomitantes variæ. Nulla enim præceſſerat hernia, colica, aut alia inteſtinorum læſio, ſed à primo invaſionis die dolor fixus & tumor inguinis ſiniſtri fuerat perceptus; quamvis mirum adeo non fuiſſet, quin ob ἀσθφαγίαν paſſiones colicæ, aliaque inteſtinorum mala acceſſerint. Ita à paſſionibus colicis pertinaciſſimis in fœmina Belticenſi non rite curatis, ipſum colon ſub inguine dextro ruptum, indeque in abſceſſum inguinis iſtius, cum rejectione fœcum terminatum vidit, & curavit. *Excellentiſſ. Dn. Præſes.* Et alius in ſuburbio Wittebergenſi, poſtquam herniæ incarceratæ & inflammatæ aquam illam ſuperiori anno in vicinia Wittebergæ exortam, & à vulgo pro miraculoſa habitam, frigidam cum ſabulo applicaſſet, abſceſſum & ruptionem herniæ ſibi contraxerat, ita ut

cibi

cibi assumti quoque semiconcocti transirent aliquamdiu, ejusdem tamen consiliis & auxiliis sanitati restitutus est.

Thes. XXIII.

Nec ego animum abjiciendum tum putabam, præcipue cum recordarer consimilis fere casus, quem olim, inter alia notatu dignissima, mihi communicaverat *Excell. D. Faschius*, Patronus & Præceptor meus post cineres sancte colendus: ipse enim ad molitorem quendam, verberibus & contusionibus immaniter exceptum, & per noctem aëri frigidissimo expositum vocatus, eundem vulneratum non solum, & semimortuum, sed etiam bubonocele sphacelata jam affectum invenit, nihilo secius tamen medicamenta debita applicavit, ex quo die tertio tota hernia, una cum intestini coli parte & excrementis alvinis abscessit (*der Bruch ist sambt dem Gedärm von leibe gefallen* ipse dicebat) & æger per aliquot annos, imperfecta quidem valetudine, vixit.

Thes. XXIV.

Ex his ergo omnibus constare arbitror, quævis ulcera & vulnera intestinorum, sive tenuium, sive crassiorum, non absolute statim lethalia, vel incurabilia solum pronuncianda esse, nisi majora, aut cum vasorum insignium læsione conjuncta fuerint. Tenuium quidem intestinorum non solum, sed & crassiorum rupturæ, & læsiones omnino valde periculosæ & communiter incurabiles, si non lethales prorsus sunt, quoniam à contentis suis & flatibus continuo extenduntur, motu peristaltico perpetuo exercentur, chylum vel feces effundunt, facillime inflammantur, nec remedia topica commode applicari possunt. Nihilo secius tamen spem interdum supersesse promittunt circumstantiæ plures, quando nimirum hiatus, vel ruptura non adeo magna, nec rotunda aut cum absumtione insignis portionis conjuncta, eaque potius oblonga, quam transversalis, & versus exteriora magis patens. Ita enim fieri potest, ut licet elabentes aliquandiu feces transeant, tandem tamen ulcus, vel vulnus per communem cum externis integumentis cicatricem, si scilicet illud rupturæ externæ e diametro opponatur, consolidetur; quod etiam in meo patiente, per Dei gratiam, factum novi. Ne dicam, quod intestinum læsum & ruptum interdum ita pateat, ut per suturam artificiosam & decentem restitui possit. Cujusmodi exempla habemus in *Glandorp. obs.* 32. & *Ephemerid. Germ. d. l. ann.* 3. Fieri insuper etiam posset, quod omentum, intestinis instratum, aperturæ se applicet & consolidationem promoveat. Imo licet hiatus plane non consolidetur, ægri tamen interdum supervixerunt diutius, misere licet: uti videre est apud *Fernel. pathol. l. 6. c.* 14. in viro quodam, cui ex vulnere abdominis

minis accepto, inteſtinum ileon prorſus abſciſſum, ita tamen, ut inteſtini portio ſuperior reſciſſa per vulnus prodierit, e quo feces per multos annos exierunt, via illa ordinaria, quæ ad anum ducit, prorſus coalita. Eadem felicitas alii apud *Blegny l. c. Ann.* 2. *Jun. obſ.* 4. contigit, cui in dextra abdominis inferioris parte, paulo ſupra annulos, proceſſus peritonæi tranſitum concedentes, ilei tubus reſectus extra vulnus ad longitudinem ſextæ partis ulnæ elapſus, & vitam tamen ſupereſſe conceſſit: exterior enim portionis ilei egreſſi membrana in eo paulatim ad interiora ſe contraxit, adeo quidem, ut circumferentia extremitatis illius, cum attigiſſet vulneris circumferentiam, a natura ſenſim fuerit conjuncta, & conglutinata, intercedente ſutura quadam naturali; membrana vero interior adhæſerit parti exteriori, eadem ſervata longitudine, eaque ratione deinceps opem tulit excrementorum expulſioni, modo & inſtrumento, quod ab authore ibidem deſcriptum habetur: craſſa interim inteſtina, à cæterorum conſortio diviſa, ſarcinam ſuam primam excuſſerunt paulatim, poſtea vero ab illo tempore munere functa ſunt nullo, ſed ita in ſe ſubſederunt, ut æger ne minimam enematis partem admittere valuerit, ſemeſtri ab accepto vulnere ſpatio, nec ſemel quidem ad flatuum excluſionem dehiſcente ano.

Thes. XXV.

Neque etiam ipſe bubo in noſtro per ſe adeo periculoſus fuiſſet, niſi cura & remediis prorſus inconvenientibus ſymptomata iſta graviſſima fuerint contracta. Habentur quidem bubones, pro ſignis morborum in profundo latentium, notante *Hippocr. 6. Epidem c.* 2. *n.* 11. Videndum vero, quæ cauſæ anteceſſerint, aut quibus morbis conjungantur. Simplices, abſque febre maligna, peſte, lue ♀ea & ſimilibus periculo fere carent, ſolentque multi ex illis, præcipue magis ſeroſi ſponte, vel levi ſudore diſſipari; aut ſi turgeſcentia humorum major conjungitur, cito ad ſuppurationem abeunt, ægrumque à periculo vindicant. Idem credo factum fuiſſet in noſtro ægro, ſi natura reſolventibus fuiſſet adjuta, aut ad minimum adſtringentibus non impedita, ſed videbimus jam quomodo cura fuerat adornanda.

Thes. XXVI.

In cura bubonum, aliorumque exanthematum ante omnia attendere ſolemus, an critica ſint, vel ſymptomatica, ut naturæ conatus ſalutaris adjuvari, pravus vero corrigi poſſit. Symptomaticum vero in noſtro potius quam criticum fuiſſe patet, quia ex abrupto ſtatim, abſque febre vel alio quodam morbo præcedente erupit, quo ipſo quidem

natura ægri non errabat, quandoquidem scoriis & salibus heterogeneis, quibus sanguis plane obrutus & in mistura naturali turbatus, tanquam sarcina se liberare, eademque ad limites ejicere conabatur; quocumque enim tempore, sive in principio, sive augmento, vel statu morbi, causa morbifica rite excernitur, vel imminuitur solum, salutare est; nihilo secius tamen peccatum non fuisset, si ab initio statim invasionis, minorativum & laxativum adhibuisset medicus, ita enim absque turbatione humorum notabili, fomes & fermentum præcipuum e primis viis fuisset subtractum, nec tantus ad partem affectam affluxus, consequenter nec inflammatio & suppuratio tam late patens oriri potuisset. Eadem ratione nec bubonibus malignis imminentibus laxantia nocent, multo minus, ubi tantus abusus fructuum horæorum & inordinata prorsus diæta præcesserat.

Thes. XXVII.

His præmissis neque venæ sectio, ab initio, in nostro prorsus inutilis fuisset, ad sanguinis tantam incalescentiam & stagnationem præcavendam: in malignis quidem, & pestilentialibus bubonibus ab eadem abstinere præstat, quoniam contagium & virus ibidem nimis volatile & acre hac ratione nihil quicquam imminuitur, quin potius, absumpta sanguinis spirituosi parte, eidem vires adduntur, quo minus diluatur, aut exteriora versus excludi possit. Hinc etiam, quoniam inflammationem jam tum in summo gradu auctam, & sphacelationi proximam deprehendebam, eandem nunc ommittendum duxi; grumescens enim jam tum sanguis, & serum extra limites & tubulos suos egressum, non potuisset evacuari, maturatio vero & ruptio ipsius bubonis, tum temporis absolute necessaria, fuisset potius impedita.

Thes. XXVII.

Prioribus ergo adstringentibus & emplasticis remotis, emollientia statim & suppurantia applicare curavi. Cataplasmata nimirum ex rad. alth., lil. alb., bryon, sem. fœnu græc., lin., ficubus, flor. sambuc, melilot, &c. in lacte coctis, eaque singulis fere horis calida repetere jussi. Solus enim calor poros cutis & vasorum insigniter aperit, humores stagnantes resolvit & movet; cui accedentes ab emollientibus particulæ mucilaginosæ, humidæ, paregoricæ, fibras & membranulas retinentes simul laxant, & lubricant, ut spiculis salium acrium promtius cedant; imo spicula ipsa salium à figura illarum sublævigata & lubrica obtunduntur, involvuntur, quo minus tam hostiliter pungere, rodere & dolores exacerbare queant. Eo ipso etiam sequitur facilius suppuratio seu puris generatio, non quod ullum medicamentum per se & proprie suppurativum dici queat, sed quoniam partes sanguinis heterogeneæ, salinæ, ♃reæ & gelatinosæ, nunc in tubulis quoque dilatatis

latatis & laxatis magis commotæ & rarefactæ promtius inter se pugnant, fermentescunt, quousque subtiliores & volatiliores partes abeant, relicto ichore acescente & putrescente, quem in specie pus appellamus.

THES. XXIX.

Interea non omittebantur quoque interna remedia, quæ mixturam totius sanguinis jam tum turbatam & febrilem tranquillarent, symptomata gravissima mitigarent, & vires ægri nutantes restaurarent. Eum in finem dedi misturas ex ebore, s. △, C C. phil., ocul. 69. corall. ppt. ♃ diaphor. bezoard. mineral. & imprimis ♂li, cinnab. nativ, ♃ij & similibus cum vehiculis alterantibus & confortantibus appropriatis, ex △a sambuc. scabios. card. bened. cherefol. ulmar, menth, borragin. theriacal. cinam. cydoniat. cord. frigid. herc. s. conjunctis, de quibus singulis horis haustus sumptus, etiam singultum & vomitum insigniter mitigabat, addito pro re nata laudan. op. vel tinct. annodyn. aliisque.

THES. XXX.

Ad diaphoresin in specie & suppurationem bubonis eo melius promovendam, præter illa, per vices sudorem blandum conciliabant tinct. bez. myrrh. castor. anodynis maritata: febrium enim omnium, excepta fere unica hectica, panacæa præcipua sudorifera non solum sunt, quoniam miasma peregrinum sanguinis, seu fermentum febrile domant & ad discussionem promovent; sed imprimis quoque inflammationibus, doloribus, tumoribus, tanquam circulationis impeditæ effectibus, directe resistunt, & præsentaneam opem ferunt.

THES. XXXI.

His ita methodice administratis, & triduo elapso bubonis mollities quædam apparebat, quam ut promoverem, & apertio quantocius fieri posset, præter cataplasma, unguentum aureum, seu basilicum correctum applicare jussi (quod propter terebinthinam, myrrham, crocum aliaque resolventia vere aureum est, in apperiendis tumorum poris iisque maturandis) superimposito adhuc emplastro diachyl. cum gummis composito: quo etiam fiebat, ut bubo cito aperiretur, & purulentæ materiæ ingens copia cum fetore & flatibus erumperet.

THES. XXXII.

Hoc facto & abscessu satis mundato, turundam ex emplastro meo polychresto formatam, & balsamo traumatico, ex oleo terebint. & ♃r. ♀ij imbutam, applicabam, superimposito eodem emplastro polychresto, quod mirificam semper opem, in vulnerum ulcerumque omnium mundificatione & consolidatione, mihi præstitit. Altero vero die

turundam non ſolum propulſam, ſed lumbricum quoque foras prominentem inveniebam, quo extracto, adhuc bini, diverſis tamen vicibus, ſequebantur, cum ſaburra & fœtore fere intolerabili. Poſthinc etiam cibi partim crudi, partim quoque digeſti parumper, imo ipſa medicamenta, præcipue pulveres, colore & odore naturali, ultra quatuordecim dies prodibant, alvo nihilo ſecius aperta; non poteram igitur, quin præter potiora abſtergentia, interna quoque vulneraria & balſamica e rad tormentill. conſolid. maj. herb. ariſtol. agrim. ſanicul. alchim. heder. terreſtr. vinc. pervinc, ſcab. veron. hyperic. myrrh. aloe, maſtich. ocul. 69, & ſimilibus adderem. Talia enim ratione naturæ ſuæ ſalinæ & alcalinæ, citra irritationem aut turbationem humorum egregie deſiccant, ſordes abſtergunt, & acidum abſorbent; ratione vero balſamicæ oleoſæ & glutinoſæ ſanguinis partes oleoſas & balſamicas reſtituunt, gluten carnium juvant & γλισχρὸν neceſſarium ſuggerunt, indeque omnium optime carnis reſtitutionem promovent: ut ut enim carnem generare ſolius naturæ opus ſit, nec proprie loquendo ullum medicamentum ſarcoticum dici poſſit, nihilo ſecius tamen ſanguine, utpote nutrimento ejus reſtituto & impedimentis aliis remotis, eadem egregie juvatur.

Thes. XXXIII.

His ipſis etiam focum & mineram lumbricorum deſtrui putabam; omnia enim balſamica vulneraria, præcipue ſalina & balſamica ſunt quoque anthelminthica: eadem putredo in corpore animato, ſi non à priori, tamen à poſteriori, eſt nidus vermium; eademque deſtructa vermium ruina ſequitur. Nihil vero efficacius ut in aliis, ita hic quoque deprehendi, quam aloëtica, adeo quod dubitem, an præſtantius anthelminticum & ſimul vulnerarium habeamus.

Thes. XXXIV.

Elapſis tribus circiter ſeptimanis, putredo ſenſibiliter minuebatur, nihilque niſi ſerum limpidum abſceſſus ſtillabat: hinc priori methodo eo confidentius inſiſtens, eſſentiam traumaticam addidi, interdictis ſimul omnibus fermentabilibus, dulcibus, acidis, lacticiniis & ſimilibus. Tandem vero ulcere prorſus connivente, corpus leni abſtergente e rhabarbaro, aloë & ☿ dulci purgabam, atque hac ratione æger priſtinæ ſanitati redditus, per ſolius Dei gratiam, adhuc ſalvus & incolumis vivit. Cui etiam ſoli & ſemper ſit Gloria & Honor.

FINIS.

Landesbibliothek Oldenburg

CXXVII.

DE SPICA DEGLUTITA ET PER APOSTEMA HYPOCHONDRII DEXTRI REJECTA.

Præside

CAROLO FRID. LUTHER.

Respond.

JOACHIMO DOLGE

KIL. HOLST.

Kiliæ 19 Julii 1704.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

PRÆFAMEN.

NOn nova quidem est, aut inaudita, quam in dissertatione præsenti recenseo, historia, relatu nihilominus dignissima, & quæ scripta relinquatur: cum iterata isthæc experientia denuo palam faciat, quam bene sibi constet natura, apertamque reddat hujus solertiam, in iis (per vias etiam inconsuetas) removendis, quæ corpori humano, utcumque molestiam afferre possunt. Indicarunt rem gestam memorabilem per literas, ejusque circumstantias omnes ordine & distincte narraverunt, viri fide digni, *Dr. Joh. Rustorff*, Med. D. & Practicus Husumensis, & *Dn. Paul. Severin. Woldenberg*, Pharmacopola Fridrichstadiensis, spicæque per absessum rejectæ delineationem transmiserunt. Horum igitur narrationes fideliter exponam, præterea consimiles aliquot observationes in medium afferam, atque, ut mutata spicæ facies oculis usurpari possit, utriusque, deglutitæ videlicet & rejectæ, figuras æri incisas & expressas simul adjiciam. Quæ etiamsi fortassis non expletura sint omnium exspectationem, dabunt tamen ad disceptandum, qui præcipuus *Dissertationum Fridericianarum* scopus est, congruum argumentum. Itaque ne moram faciat prolixior præfatio, ad ipsam opellam aggrediar.

HISTORIA MEDICA.

De spica deglutita [a] *& per apostema hypochondrii dextri rejecta.*

LUserunt inter sese, Anno MDCCIII. die XXI. Junii, Fridrichstadii, quod Ducatus Schleswicensis non ignobile oppidum est, pueri minorennes, in cœmeterio ædi Arminianorum sacris destinatæ vicino, ludum, quem vocare solent *das Pferde-Spiel*. Illorum conspectu captus est, eorumque consortio se immiscuit puer alius, duodecim circiter annorum, æditimi ædis nominatæ filius. Hic inter ludendum, dum alii alios agebant,

[a] Prolixa, de rebus variis vel improvide, vel ex destinato consilio, aut ex insania, deglutitis, & naturæ providæ beneficio iterum excussis, institui posset tractatio; paucarum tamen, hac occasione, meminisse observationum, sufficiet.

Elegans est historia, quam *Joh. Bapt. van Helmont* refert, *Tractat. de injectis materialibus pag. 477. edition. Batavæ.* Capucinus quidam, *ait*, araneam ingentem, quam decidisse viderat in calicem, sub jugi sacrificio, vivam, cum multa animi aversione bibit. Infra paucos dies illi oborta est phlegmone in dextro femore, ac sub primo pure, inde araneam, integram, mortuam tamen, reddidit.

In *actis Hafniensibus Volum. III. pag. 116.* mentio fit casus singularis Lugduni Batavorum à *D. Joh. Henr. Brechtfeld* observati. Obvenit eidem in nosocomio inter plures

bant, alii ab aliis equorum instar agebantur, spicam hordeacei graminis, hordeo, polysticho similis [b], decerpsit, eademque ore prehensam ad tempus detinuit. Sed paulo post cum in medio cursu tussicula instaret, hujus motu spica profundius in cavitatem faucium inopinato protrusa [c] est, ita ut, pansa janua, puer improvidus ad deglutiendum [d] urgeretur [e]. Ex quo tempore confestim male se habuit puer; ea tamen sen-

res ægrotantes mulier nephriticis passionibus misere afflicta, quæ inter alias querelas ostendit tumorem prope umbilicum, de pungitivo illius dolore valde conquesta, quem cum attento inspexit oculo, acuti quid ex eo prominere animadvertit, digitisque extraxit dimidium acus ex chalybe confectæ, quam ante tres annos integram ore detinuerat, dentibusque comminutam de improviso deglutierat, quæ tamdiu in corpore retenta, tandem per hunc locum natura monstrante viam, exitum sibi quæsiverat. Cujus rei testem nominat Celeberrimum *Nicolaum Stenonium*.

In *Zodiaci Medico Gallici Ann. I. Mens. Maj.* pag. 86 commemoratur, aliquem ex insania instrumentum ferreum exacuendis cultris destinatum, & manubrio suo instructum integrum deglutisse, nec de læsione ulla conquestum esse. Pauco autem elapso tempore excitatum in hypochondrio dextro abscessum, quo aperto erupit instrumentum ferreum, at pauciissima comite materia, adeo ut intra octiduum sanationem receperit. Quæ porro idem insanus deglutiverit, loco citato recensita videri poterunt.

In *Zodiaci laudati ann. II. Mens. Jul. p.* 147. recitatur historia epileptici, qui forficem acutissimam deglutiit, quam uxor intra dentes intruserat: novendio autem exacto per inferiorem gutturem illam expulit, nullo tamen toto illo temporis spatio incommodo inde exorto, nulloque usurpato remedio, nisi oleo olivarum.

De ossiculo cerasi quod in faucibus per plusculas hebdomades substitit, ac tandem per tussim rejectum est. vid. *Th Bartholin. Cent. IV. histor.* 85. *pag.* 404.

Notabilis etiam est quæ in *Act. Lipsi. Ann.* 1692. *Mens. Octobr. pag.* 250. narratur historia adolescentis, à cultro, quem improvide deglutiverat, per abscessum feliciter liberati: postquam annum unum, hebdomadas triginta, & dies tres in ventriculo culter hospitaverat. Ne ea nunc repetantur, quæ *Crollius* de rustico quodam Bohemo, & *Beckerus* de Regiomontano Borusso, memoriæ tradiderunt, ex eorum nempe inciso abdomine & ventriculo, cultrum eximiæ magnitudinis, quem forte deglutiverant, exemptum sine noxa fuisse.

[b] Hordeum polystichum dicitur, quia in multos versus spicatur. Est enim differentia in spicarum forma, magnitudine, & granorum numero: quoddam binos, quoddam ternos, vel plures versus habet. Quæ diversitas in gramine quoque hordeaceo observatur. *Casp. Bauhinus, Theatr. Botanic. Lib. I. Sect. I. & IV. pag.* 9. & 22.

[c] Sic inter ridendum, cum deglutire vellet nucleum avellanæ Mulier Patavina, per laryngem ad pulmones admisit; quem post aliquod temporis spatium iterum exspuit, pristinæ sanitati restituta. *Th. Bartholin Cent. II. Hist.* 27.

[d] *Helmontius loc. cit.* simile exemplum refert; spicam scilicet hordei immaturam lusu ore detentam, à juvene deglutitam esse. Conf. *Ephemerid. Nat. Curios. German. dec. I. ann.* 9. *obs.* 107. recensetur enim ibidem à *D. Gothofr. Samuel. Polisio*, puellam nobilem Silesiacam decennem, tempore messis, parentibus & domesticis insciis, spicam siligineam granis gravidam deglutiisse, & paulo post de quadam faucium asperitate conquestam fuisse, ob metum pœnæ, deglutitæ aristæ mentionem non faciendo.

[e] Ex hac autem invita deglutitione minime sequitur, deglutitionem non esse functionem arbitrariam. Omnino enim ex nostro dependet arbitrio, ea quæ masticata sunt

quæ cum ſpica acciderunt, aſtute reticuit. Interea, præterlapſis jam quatuordecim fere diebus, dolores in latere dextro [*f*] magis ac magis adaucti fuere, quibus ita conflictatus eſt, ut tandem, ſuſtinendis iiſdem impar, à parentibus opem auxiliumque peteret. Hi doloris ſenſu affecti, pueriliter autem geſtorum penitus ignari, cum abſceſſum [*g*] & ſuppurationem, propter ardentes & lancinantes dolores [*b*], ſuſpicarentur, rebus ſuis recte ſe conſuluiſſe exiſtimabant, ſi, neglecta conſultatione medica vel chirurgica, (qui plebeculæ vulgaris error eſt) emplaſtrum defenſivum [*i*] loco dolenti imponerent. Quo facto, dehinc emplaſtrum idem

ſunt & intra buccas hærent, ope baſeos linguæ ad palatum elevatæ, ad inferiora demandare, vel exſpuere velle. Quanquam ea, quæ alio impetu ad faucium expanſionem ſemel devoluta ſunt, ab ulteriore ad ſtomachum deſcenſu impedire, vix & ne vix quidem ſit in noſtra poteſtate. Hinc bene diſtinxit *Clariſſ. D. Chriſt. Joh. Langius. Oper. Medic. Part.* 1. *pag.* 83. inter impetum primum deglutitionis, & inſequentes.

[*f*] Paulo ante laudata puella nobilis præterlapſo trimeſtri ſpatio dolores in dorſo ſenſit, & progreſſu temporis tam vehementes, ut noctes dieſque ejularet, donec tandem cutis in faſtigium elevata, abſceſſus alicujus ſpem faceret.

Notum enim ex anatomia, ventriculi orificium ſuperius circa undecimam duodecimamve dorſi vertebram œſophago ſeu gulæ continuum eſſe, ipſum ventriculum parte dextra hepati committi, ſiniſtra vero lieni; ut ratione hujus ſitus tam in dorſo, quam in hypochondrio dextro, imo etiam in latere ſiniſtro, dolores excitari poſſint, ſeu triſtes ac moleſtæ ſenſationes, ſi a qualicumque cauſa, modo in dextra aut ſiniſtra ejus parte, modo circa dorſum, fibræ nerveæ & membranoſæ potiſſimum, tum carneæ quoque, varia ratione, pungendo, rodendo, lacerando &c. afficiantur.

[*g*] *Abſceſſus* ſeu *apoſtema*, aut, generali nomine, *ulcus* oritur, quando fibrillæ partis alicujus inflammatæ, propter particularum acutarum violentam adactionem rumpuntur, humores, qui per earum tubulos curſum ſuum ordinario abſolvunt, extravaſantur, & ita tandem à calore immutantur, ut in pus degenerent. Cognoſcitur vero abſceſſus ac ab inflammatione diſtinguitur, (1) doloris ardentis in lancinantem, (2) tumoris renitentis in mollitiem, (3) apicis ex rubro in album mutatione & transformatione. Vid, *Joh. Dolæus, Encyclopæd. Chirurg. rational. lib. V. cap.* 2. *p. m.* 485. *Chriſtian. Joh. Langius, l. c. part. II. pag.* 200.

[*b*] Nimirum moleſta ſenſatio (in qua doloris formalitas conſiſtit) in tactus organo externo ſeu primo inchoata, pro cauſarum diverſitate varia eſt, & diſcrepantes doloris ſpecies obſervantur. (1) *Dolor ardens*, qui ab inflammatione excitatur, & in ardore conſiſtit, *in brennen und hitzen.* (2) *Dolor gravativus*, quando humores propter abundantiam ſtagnantes, pondere tantum moleſti ſunt. (3) *Dolor lancinans*, it. *punctorius, reiſſender oder ſtechender Schmertz*, quia ab acrimonia humorum, vel a vermibus excitatur. (4) *Dolor tenſivus*, quando partes propter ſpaſmum & contractionem nervorum, vel nervoſarum partium, quaſi ligamento conſtrictæ percipiuntur, *als wären ſie geſpannet.* (5) *Dolor pulſatorius*, dependens à ſanguinis impetuoſa irruptione in partem, *es klopfft und pocht darin.* (6) *Mixtus*, ſeu ex binis aut pluribus combinatus. Quas dolorum ſpecies ordine deſcripſit laudatus *Langius* l. c. part. II. pag. 116.

[*i*] Memoratæ puellæ nobili, maturantia ſeu ſuppurantia (in emollientium claſſe quærenda) adhibuerunt, utpote quæ convenientiſſima abſceſſuum, ſeu inflammationum diſcutientibus non auſcultantium, indicata ſunt. Quanquam enim, monente *Du. We-*

idem sæpius renovarunt, & per aliquot dierum intervallum usum ejus continuarunt. Donec tandem decimo septimo Julii, in apice seu capite ulceris vesicula oblonga appareret. Hac visa, curam & cogitationem in ruptionem tumoris, ac materiæ putridæ evacuationem contulerunt, veriti, ne sola natura [*k*] hoc negotium tardius præstaret. Forfice igitur vesicam aperuerunt; sed perpauculum saniei evacuatum est [*l*]. Tandem factam jam aperturam diligentius inspicientes, aliam adhuc membranam incidendam reperiunt, cui forficem admoventes, acutum spicæ caliculum prominere adverterunt, hocque forfice prehenso, spicam ipsam extraxerunt [*m*]. Quæ, cum eam à pure repurgatam distinctius cognovissent, non immerito maximam parentibus movit admirationem; & spicam

delio *Amænit. Mat. Med. Lib. I. Sect. II. cap.* 1. *pag.* 46. suppuratio proprium sit naturæ, sive principii motus interni, opus, (cujus solius beneficio quoque omnia vulnera conglutinantur & consolidantur) possunt tamen maturantia eum in finem extrinsecus imponi, tum ut calorem seu motum augeant, tum ut, poros fibrasque tensas laxando, collectioni & coctioni materiæ inserviant.

Defensivum autem *Würtzianum*, à laudato pharmacopola ni fallor accersitum, & in nostro casu tumori impositum, plane nullius commodi fuit, sed noxam potius attulit. Ita enim scribit Dn. *Rustorff*; *da sie mit dem auffliegen des Pflasters fortgefahren, hat der Patient deßwegen fast krumm gehen müssen.* Scilicet defensivum hoc, ut alia ejus generis, ex puris & vulgatissimis adstringentibus constitit, quorum actio in sanguinis congelatione & incrassatione, pororum constrictione, fibrarumque corrugatione consistit. Qualem ergo usum habere potuerit in inflammatione in abscessum abeunte, non video. Idcirco etiam hodie ex officinis chirurgicis relegantur defensiva hæcce, & à medicis, alia quoque, repellendi causa extrinsecus in inflammationibus imponi consueta, merito damnantur, utpote legibus circulationis directe & in totum contraria. Quod breviter, sed solide demonstravit, *Vir Celeberr. Joh. Jac. Waldschmidt*, *Institut. Medicinæ Rationalis Lib. V. cap.* 7. *pag.* 149. Conf. *Langius*, *l. c. Part. III. disput.* 36. *de remediis vulnerariis*, §. 19. & 22. *Part. I.* 787.

[*k*] Sæpe sæpius naturam sponte integumenta rumpere, & materiam peccantem eliminare, experientia manifestum est.

[*l*] Vesica primum dissecta, ex relatione Dn. *Rustorff*, digiti fere longitudinem habuit, & sine dubio excitata est à caloris excessivo gradu, quo factum, ut à cute cuticula separata, & liquore sub hac collecto, receptaculum ejusmodi membranosum formaretur, quale alias à vesicatoriis remediis externe applicatis fieri solet. Efficere autem hoc posse calorem, qui in inflammationum suppuratione solet esse maximus, ipse in filio meo haud ita pridem expertus sum, cui, sano cæteroquin & incolumi, in inguinis regione, natura sic dirigente, apostema fiebat, in cujus apice, cum maturuisset, (promovendæ autem maturitatis gratia empl. diachyl. simplex in usum trahebatur) ampla vesica conspiciebatur, lympha flavente turgida, quæ sola etiam, vesica dissecta, effluebat. Ut autem ex abscessu materia satis copiosa evacuaretur, nova instituenda erat incisio.

[*m*] E ventriculo extractam esse spicam, de hac re mihi nullum est dubium. Cur autem onerosa apostematis beneficio, & non per ventriculi orificium inferius, cum chymo seu massa alimentorum, ceu ordinariam viam spica fuerit evacuata? hoc quidem difficultate sua non caret. Attamen, in re quoque difficili & occulta, ut causa quomodocumque determinetur, periculum faciendum est.

Nemo itaque, ut spero, negaverit, una cum massa alimentaria, spicam quoque motu peristaltico auxiliante, loco motam esse constanter, & evacuationem ejus tentatam.

Verum

cam præstigiis fortassis immissam judicassent [*n*], nisi rem omnem narrasset, ipsosque factæ deglutitionis certiores reddidisset, misere hucusque cruciatus puer. Spicam vero extractam ingens purulentæ materiæ quantitas comitata est, fœtorem cloacalis colluviei redolentis [*o*]: similemque puer cum oris etiam halitu exspiravit fœtorem [*p*], quamdiu tumore observato de abscessu suspicio fuit. Postremo, à spica sic feliciter liberato, interne axungiam caninam [*q*] aliquoties hauriendam exhibuerunt, & ulcus paucorum dierum intervallo sanatum est: nuncque devitato hoc malo, puer firmissima valetudine & saluberrimo corpore utitur.

Verum enim vero, hanc forte (nemo enim prudens de iis, quæ occulta sunt & à sensibus remota, per conjecturam ratiocinando, aliis vocabulis, quam quæ dubitandi significationem habent, unquam utetur) forte inquam spicæ evacuationem e ventriculo situs ejus obliquitas impedivit. Contigit ergo, ut cauliculi acuta extremitas interiori nerveæ ventriculi tunicæ superne circa orificium inferius (quod superiori e diametro oppositum, & inferius ideo vocatur, quoniam per hos cibus digestus ad proxima intestina defertur) sæpius impingendo, fibrillas ejus comprimeret, hasque convelleret, spiritusque animales in his (ut *Dolæi* verbis utar) excubias agentes extra ordinem moveret, unde doloris pungentis perceptio in mente excitata est. Deinde irritatis spiritibus & concussis nerveæ tunicæ fibrillis, propter continuitatem tunicæ ventriculi secundæ, quæ carnosa & vere musculosa est, sanguinis quoque particularum ordo turbatus, ipsiusque & aliorum succorum stagnatio secuta est. Sanguinis postea in tunicis ventriculi stagnationem excepit inflammatio; & partis inflammatæ tumor; unde doloris augmentum. Tandem vero vicinæ etiam & contiguæ partes abdominis inflammationem contraxerunt, quæ denique in apostema seu abscessum, explicata ratione, (*vid. litt. g.*) mutata est.

Quod autem spicæ ex apostemate extractæ facies mutata apparuit, hoc certe motui, quo sanguis stagnans in purulentam materiam conversus est, tribui debet.

[*n*] D. *Christian. Franc. Paulini* in Ephem. Nat. Curios. German. dec. I. ann. 8. obs. 81. narrat historiam de infante unius anni, cui spica siliginea e tumore circa costas feliciter extracta est. In cujus observationis scholio dubium esse dicitur, num deglutita sit spica? an præstigiis immissa? an propria naturæ fictione producta? Ultimum tamen probabilius videri, sequentia verba declarant: *Pigritiæ immensæ inventum fuit, omnia in Diabolum retulisse, quod non capimus.* Item: *Deus nonnunquam ex singulari directione, ut natura etiam per modum extraordinarium agat, & in pœnam malitiæ hominum, vel peccatorum terrorem talia producat, permittere. Præstat in talibus etiam Deo, quam Diabolo habere honorem.*

[*o*] Hujus circumstantiæ mentionem fecit *Dn. Woldenberg*, ita scribens: *da sie die Ähre mit der scheer herausgezogen, hat der junge davon grossen schmertzen gehabt, und ist ein hauffen stinckende materie erfolget, die auch einen gestanck hat von sich gegeben, als wenn ein* secret *eröffnet wäre.* Quæ fœtoris gravitas procul dubio originem habuit ab admixtis partibus nonnullis alimentorum, in saniem mutatis. Talem fœtidissimam materiam fudit quoque ulcus Adolescentis Hallensis, supra memorati.

[*p*] Hoc porro idem pharmacopola notavit: *So lange als der junge mit dem geschwulst gegangen, hat er aus dem munde einen gestanck gehabt, dergleichen bey eröffnung der geschwulst bemercket worden.* Extraordinarie hoc factum, quod laxius nec exacte clausum fuit orificium ventriculi: nam ordinarie & naturaliter nec vapores, nec flatus, emittuntur e ventriculo.

[*q*] Inesse pinguedini caninæ consolidandi virtutem experientia constat, & in phthisi eam sæpius cum egregio successu propinari, *Ettmullerus* confirmat, *Commentar.* in Schrœder. p. m. 165. Non promiscue tamen, & in omnibus vulneribus aut ulceribus, eam adhibendam esse, itidem certum est.

Landesbibliothek Oldenburg



VULNE-

Landesbibliothek Oldenburg

CXXVIII.

VULNERUM IN INTESTINIS LETHALITAS

OCCASIONE CASUS RARISSIMI

QUO COLON VULNERATUM INVERSUM

PER XIV ANNOS EX ABDOMINE

PROPENDENS EXHIBETUR.

Præside

ABRAHAMO VATER.

Resp.

J. REICHARD TIEFFENBACH

MAGDE BURGENSI.

Wittenberg. Decemb. 1720.

Landesbibliothek Oldenburg

Q. D. B. V.

VUlnera corpori humano inflicta tam varia, tamque singularia sunt, ut medicis pariter atque chirurgis, non solum in curatione, sed etiam in foro, ubi judicium de horum lethalitate postulatur, plurimum negotii faceſſant. Sanationem quidem eorum difficilem, & interdum plane impoſſibilem reddunt, ſitus obliquus, penetratio profundior, & læſio vaſorum inſigniorum, viſcerum atque organorum nobiliorum, quibus rebus fieri ſolet, ut applicatio remediorum denegetur, actiones vitales animaleſque turbentur, vel prorſus deſtruantur, atque ſic mors accelereretur. Arduum autem multo magis eſt, de illorum lethalitate abſoluta, aut accidentali ferre judicium, tum ob læſionum harum, viſcerumque afflictorum ingentem varietatem, tum ob tractationem diverſam, aliaſque circumſtantias in cura atque diæta obvenientes, tum præcipue, ob inſpectionem corporum demortuorum imperfectam, & relationem de vulnerum conditione obſcuram, dubiam, aut plane falſam. Eas ob cauſas fieri ſolet, ut hi, quibus cura ægrorum demandata fuit, culpam exitus infelicis ferre, cauſamque propterea dicere ſæpius cogantur, imo medicorum particularium, & integrorum collegiorum ſententia, de vulnerum lethalitate pronunciata, a cauſarum Patronis impugnetur. Inter alia vulnera, imprimis ea, quæ inteſtinis infliguntur, in curatione æque ac renunciatione, difficultates innumerabiles generant. Illa enim, ob ſitum inteſtinorum ſpecialem, ſubſtantiam nervoſam, motum continuum, aliaſque rationes inferius tradendas, conſolidationem vix promittunt, adeo, ut percepta tantum inteſtini cujuſdam vulneratione, medici & chirurgi de felici eventu fere deſperent, & ſic talia abſolute lethalia æſtimanda eſſe videantur. Nihilo tamen ſecius exempla quædam, rariora quidem, vulnerum in inteſtinis feliciter curatorum, ea abſolute lethalia haud eſſe, ſuadent. Quapropter in curandis æque, ac renunciandis ejuſmodi vulneribus, maxima opus eſt circumſpectione & prudentia, ne illa in cura negligantur, aut tanquam incurabilia ſine ope relinquantur, multo minus in foro lethalia pronuncientur, quæ talia non ſunt. Hoc ne fiat, neceſſe ſane eſt, ut ſingulæ circumſtantiæ rite ponderentur, & ex omnibus inter ſe collatis, iiſque non ſeparatim, ſed conjunctim ſumptis, demum de eorum lethalitate fiat judicium. Præcipue tamen exempla iſta particularia, vulnerum inteſtinalium ſanatorum, accurate & quoad conditiones ſpeciales examinata, multum huic negotio lucis accendere poterunt, quia exinde clarius redditur, qua ratione vulnera iſta, ut plurimum funeſta, curata tamen fuerint. Eoque conſilio nos, de lethalitate vulnerum inteſtinalium in præſenti acturi, exempli loco præmittemus caſum quendam

rariſ-

rariſſimum, pariter ac curioſiſſimum, ſiſtentem colon vulnere accepto inverſum, per XIV. annos ſine ſanitatis diſpendio ex abdomine propendens, quem nuperrime in viro non ſine admiratione conſiderandi, data nobis fuit occaſio. Eundem quidem caſum jam tum Clariſſ. Schacher in Programmate, nuper occaſione anatomiæ publicæ edito, quoad principales circumſtantias conciſe adumbravit, non tamen ex re fore judicamus, ut integram hujus rei hiſtoriam, cum adjecto icone, poſteritati conſervemus, ejuſque ductu præcipuas cautelas, in renunciatione vulnerum inteſtinalium forenſi, obſervandas tradamus.

Faxit *Deus* ter optimus maximus, ut labor hic noſter cedat in ſui honorem, hominumque ſalutem. Te vero, Benevole Lector, rogatum volumus, ut noſtrum, de vulnerum inteſtinalium lethalitate, judicium æquo judicio excipias.

HISTORIA.

Vir XXXIV. annorum, media ſtatura corporeque gracili quidem, ſed robuſto præditus, militiæ operam navans, in prælio, prope oppidum Flandriæ, Ramelies dicto, Anno MDCCVI. commiſſo, in lateris ſiniſtri regione hypochondriaca aut epicolica, vulnus mediante pugione, (Bayonnet) *inflictum accepit. Chirurgus curam ejus in noſocomio ſuſcipiens, ex effluxu aſſumptorum, mox de inteſtino quodam ſauciato certior factus, ſuo officio ſatisfacturus, omnem movit lapidem, ut eidem ſuccurreret, & propterea ad locum vulneratum detegendum, vulnus externum ſectione prudenter dilatavit. Percepta vero hoc ipſo inteſtini everſione, nulla induſtria corrigenda, de ſalute hujus viri deſperare cepit. Interea æger, qui ex conſilio medentium per plures dies a ſolidis cibis abſtinuit, nihilque præter juſcula deglutivit, his ſine digeſtione poſt breve tempus effluentibus, notabilem virium proſtrationem ſenſit. Quamobrem fame urgente, ſpe reconvaleſcentiæ alias deſtitutus, clam inſciente chirurgo, panem a ſocio acceptum comedit, ac percepta exinde virium amiſſarum reſtauratione, alimentis ſolidis veſci continuavit. Hoc ipſo autem factum eſt, ut inteſtinum ob cibos ſolidos, excrementis ſpiſſioribus repletum, ſucceſſive extra abdomen protruderetur. Idem quippe, diſtractione fibrarum labiis vulneris dehiſcentibus, in ipſa fiſſura eidem inflicta ita inverſum eſt, ut utrinque ſubingreſſum, interiorem ſuperficiem extra vertendo, duas portiones in medio adhuc conjunctas porrigat. Pars enim hujus inteſtini ſuperior, ingreſſu inverſa ad ſuperiora, & inferior eadem ratione verſus inferiora protenditur, ac quoniam utraque in extremitate orificio gaudet, tubum unicum, ſuperius atque inferius apertum & continuum repræſentat. Conſtat vero pars illa inteſtini prolapſa, re ipſa duabus portionibus interius latentibus, & cavitate nullatenus inter ſe communicantibus, quoniam ſuperius orificium patet*

verſus

verſus inteſtina tenuia, & ſecum expulſioni inſervit, inferius autem ducit ad rectum, & liquorem injectum per ordinariam excrementorum viam, hac ratione totaliter interceptam reddidit. Hoc ipſo ergo labia vulneris inteſtini inverſione extra converſa, cum integumentis abdominis, in ipſo egreſſu ita coaluerunt poſtmodum, ut circumcirca aperturam illam externam claudant, nihilque adeo ſecum intra abdomen prolabi queat, quæ omnia ex inſpectione figuræ, in fine diſſertationis poſitæ melius, quam ex ampliori relatione colligi poterunt. Vir itaque per poſteriorem viam alvum non amplius deponit; rariſſime tamen, ſtimulo excitato, mucoſam materiam loco ſecum excernit, quam e glandulis inteſtini recti, ac reſiduæ partis inferioris coli provenire, non levis eſt ſuſpicio.

THES. I.

MEretur omnino caſus iſte plane ſingularis, ut, antequam nos ad vulnerum inteſtinalium lethalitatem explicandam accingamus, ejuſdem conditiones præcipuas attentius quodammodo perſcrutemur. Notatu dignus præcipue eſt locus, per quem inteſtinum vulneratum prodiit, e quo pars illa coli ſub ventriculo incedens inverſione egreſſa perſpicitur, quæ quidem cum ventriculo nullam connexionem, niſi per omentum duplicatum habet, ſed eidem ſaltem accumbit, lieni tamen & reni ſiniſtro per meſocolon ſat arcte alligatur, ut mirum omnino ſit, per hujus tenſionem nihil plane incommodi excitari. Longe facilior foret inteſtini hujus egreſſus in inguine, imprimis ſiniſtro, ubi notabilem flexuram, arcumque idem efficit. Multo majori vero admiratione dignum eſſe cenſeo, inteſtinum hoc, inverſione ſuperficiem interiorem extravertens, per tot annorum decurſum ab inflammatione & ſphacelatione præſervatum, aëriſque frigidioris adeo patiens eſſe, ut aquam quoque frigidiſſimam, hyemali tempore nive glacieque permiſtam, perferat, utpote qua vir ille ad abſtergendas ſordes, ſine ullo incommodi ſenſu utitur, ut potius refectionem abinde ſe ſentire, profiteatur. Poſſet hoc ſane excitare dubium, utrum chirurgi merito in vulneribus abdominis, tantopere de prolapſu inteſtinorum, & ingreſſu aëris frigidi prohibendo, ſolliciti ſint, ne inteſtinis noxam afferat, cum hic in interiori inteſtini ſuperficie tunica villoſa, ob myriades vaſorum ſanguiferorum ſubtiliſſimorum, rubedine vivida perfuſa, & glandulæ copioſiſſimæ eminentes omnes aëris injurias perdurent. Diſtinctio tamen hic omnino erit adhibenda, inter inteſtina tenuia atque craſſa, quorum hæc præ illis ſubſtantiæ magis carnoſæ ſunt, adeoque tam facile ab aëre haud læduntur. Licet autem inteſtinum aëri libero & frigido ſine noxa exponatur, imo frigus facilius ferat, quam calorem, cum vir in loco calido diu degens, anxietatem quandam percipiat,

Landesbibliothek Oldenburg

à frigore vero admoto reficiatur, tamen illud à frigore palleſcit, indureſcit, & quodammodo retrahitur, à calore vero accedente rubeſcit denuo, molleſcit, & longius protruditur. De nullo adeo morbo homo conqueritur, quin potius omnis generis cibum potumque, ipſumque vinum aduſtum impune aſſumit, ſaltim quod cibi crudi, fructus atque legumina, pariter ac juſcula aliaque alimenta fluida, ſine ſufficienti digeſtione, adhuc dum cito effluant, id quod ſtimulo, tenſione hujus inteſtini inducto, adſcribendum certe eſt, qui digeſtionem perfectam horum alimentorum non admittit. Præter hactenus annotata, oculis curioſis jucundum admodum ſpectaculum exhibent glandulæ copioſiſſimæ, in ſuperiori portione rariores, in inferiori numeroſiſſimæ, totum fere inteſtinum cingentes, & unicam fere glandulam efficientes, quæ in ſuperficie interiori ad extra verſa, ſucco turgidæ, verrucarum more eminent, ac inclementius tactæ, ſanguinem fundunt. Vivit itaque vir iſte vitam quidem ſanam, ſordidam tamen, ob fœtorem egreſſu excrementorum, poſt cibum ſumptum continuo excitatum.

Thes. II.

Quandoquidem de vulnerum in inteſtinis lethalitate judicare nullatenus liceat, niſi conſtet, quid quantumque auxilii ad ea ſananda medicina præbeat, curam eorum breviſſimis adumbrare conſultum erit. In vulneribus intra cavitatem abdominis penetrantibus, inteſtinorum præcipue tenuium læſiones, niſi oculis pateant, admodum difficulter cognoſcuntur, tum ob ſitum illorum profundum & anfractuoſum, tum ob motum continuum & circumgyrationem, quo ipſo locus vulneratus ſitum continuo mutat. Interim inteſtinum aliquod perforatum eſſe, licet in loco à vulnere externo remoto, præter ſymptomata communia, convulſiones nimirum & ſigillatim vomitus, indicant contenta effuſa, aut quando pars inteſtini, extra abdomen egreſſa collapſa videtur. Hoc ergo percepto, nihil intentatum relinquat chirurgus, neceſſe eſt, ut locum inteſtini ſauciatum, blande & prudenter ad vulnus externum adducat, & ſi hoc ob anguſtiam hujus fieri nequeat, eum in finem ejus dilatatione & ampliatione opus eſt, niſi ſymptomata graviora, lipothymiæ, convulſiones, inflammatio, hæmorrhagiæ, & id generis plura hoc impediant. Invento loco, idem filo mediante acu trajecto, vulneri externo conjungi debet, ne motu periſtaltico intra cavitatem retrahatur, & ut hoc ipſo applicatio remediorum & egreſſus contentorum facilitetur, quo minus ea intra cavum abdominis elabantur. Quod enim veteres de conjunctione labiorum, per ſuturam ſuadent, recentiores ob metum inflammationis, gangrænæ & convulſionis haud immerito rejiciunt, uti rectiſſime monet Clariſſ. Heiſter in chirurg. p. 83. Conſolidationis vero negotium à ſola natura dependet, quam tamen per vulneraria interna & externa, inflammationi reſiſtentia

&

& dolorem lenientia, juvare licet. Præterea ad ſymptomata, inflammationem, febrem, convulſionem, aliaque coincidentia præcavenda & mitiganda, multum facit venæſectio, interdum ſatis larga, nunquam fere intermittenda, niſi graviſſima contraindicantia eam diſſuadeant. Ipſe non minus æger ſuo ſatisfaciat officio, neceſſe eſt, ſibique ab aëre frigido, potu tali ac copioſo, itemque ſpiritu vini & vino ipſo, cibis crudis atque multis, animi pathematibus, motionibus & jectigationibus corporis inconvenientibus, ac hujus generis aliis rebus noxiis, ſedulo caveat.

Thes. III.

Tantum quidem eſt auxilii, quantum à medico & chirurgo ſperare licet, reliquum negotium à ſola naturæ bonitate dependet. Experientia tamen diuturna & conſtans docet, pauciſſimos ex inteſtinorum vulneribus evadere, maximamque eorumdem partem fato ſuccumbere. Cujus rei cauſæ quam plurimæ dantur, quæ inteſtinorum plagas tam periculoſas, & ut plurimum funeſtas reddunt. Imprimis ſubſtantia inteſtinorum, ſigillatim tenuium, membranoſa & admodum nervoſa, motus eorum periſtalticus continuus, conglutinationem illorum impediunt, adeo ut talia nunquam per ſe, niſi interveniente omento vel alio, uniantur. Facta enim ruptura vel ſectione fibrarum muſculoſarum, tendinoſarum & nervearum; labia vulneris continuo dehiſcunt, & à ſe invicem retrahuntur, quo ipſo non tantum unio denegatur, ſed etiam, quod maxime notandum, fibræ reliquæ adhuc unitæ, vehementer tenduntur graviterque irritantur, idque convulſiones, in partibus illis nervoſis admodum periculoſas, neceſſario poſt ſe trahit. Idem quoque in culpa eſt, quod à vulneribus inteſtinorum, imprimis grandioribus & multiplicibus, convulſiones enormes viſcerum internorum, vomitibus præcipue ſe prodentes, nec non inflammationes & ſphacelationes tam ſubito oriantur, ut iiſdem remediis, etiamſi optimis, reſiſti vix queat. Ex plexu quippe meſenterico, in centro hujus ſito, nervi denſiſſima ſerie ad inteſtina decurrunt, & inteſtinorum tunicis intertexuntur, quibus adeo læſis & laceratis, imprimis ob tenſionem reliquarum adhuc integrarum, fieri non poteſt, quin totus ille plexus, & conſequenter univerſus alimentorum canalis, nec non reliqua viſcera, de nervo vago & intercoſtali participantia, in conſenſum trahantur, & ſpaſmis, in partibus interioribus, ob turbationem totius œconomiæ animalis, ſumme periculoſis agitentur. Nec omnino negligenda eſt, copia inſignis vaſorum ſanguiferorum, ſubſtantiam inteſtinorum numeroſiſſimis ramificationibus perreptantium. Iſta quidem ob exiguitatem, niſi in vulneribus majoribus rami majores & copioſi lædantur, tantum hæmorrhagiæ periculum non generant, attamen inflammationes & ſphacelationes ſubitaneas, in partibus nervoſis periculoſiſſimas efficere ſolent. Accedit, quod vulnera iſta, licet curam admitterent, ſi paterent, &

medicamenta applicari possent, locus tamen eorum, per continuam intestinorum gyrationem, sine intermissione mutatus, ob situm profundum sæpissime inveniri nequeat. Extractionem enim & perlustrationem intestinorum, gravia symptomata præsentia, aut timenda maxime impediunt. De cetero per aperturam contenta eorum, necessario in cavitatem effunduntur. Hoc ipso, si in tenuibus subsistit læsio, æger nutrimento suo defraudatur, & succi isti elapsi, sive alimentitii, sive excrementitii, viscerum corruptionem & putredinem efficiunt, eumque lenta morte extingunt, nisi locum inveniat materia exeundi, quod tamen non juvat, quin simul vulnus consolidandi detur occasio. Ex his rite consideratis, facile erit concludere, quantum vulnera intestinorum generent vitæ periculum, & quam pauci exinde evadere possint.

Thes. IV.

Hoc tamen non obstante, exempla quædam, eaque rariora, apud auctores passim occurrunt, quibus vulnera intestinorum, tam tenuium, quam crassorum sanata recensentur. Ileon totaliter præcisum & transversim resectum, e vulnere, ad ulnæ quoque sextæ partis longitudinem prodiisse, & ita fecibus per hanc viam eliminatis, ægros tales, spe omni & auxilio destitutos, vitam per plures annos conservasse, duplici exemplo à B. Bohnio de Vuln. lethal. p. 147. ex Blegny Zodiac. Gall. & Fernel. Pathol. allato, confirmatur. Pariter Mangettus Bibl. Med. Pract. L. I. p. 1155. refert casum, feminæ à marito in hypochondrio dextro, supra os ileum cultro vulneratæ, quæ denudato, per dilatationem vulneris externi, intestino læso, eoque interposita lardi recentis lamella, cuti alligato, non tantum feliciter curata, sed binos quoque liberos post illud tempus enixa est. Dubium autem admodum videtur in hoc exemplo, an ileon vel colon tactum, non modo ex loco vulnerato, qui dicitur regio hypochondriaca dextra supra os ileon, sed etiam ex egressu fecum alvinarum e vulnere, quales in tenuibus non reperiuntur, nisi forte ileon sauciatum fuerit in ipso termino, ubi penetrat in colon. At multo curiosius est, quod idem l. c. affert exemplum, ubi vir quidam in epigastrio dextro, non procul ab umbilico, globulo e sclopeto immisso vulnus accepit maximum, quo disruptis præter tegumenta, tendinibus musculisque, recto, transversali & obliquis, ac ingenti hæmorrhagia, dejectionibus infernis & supernis, frequenti syncope & prostratione virium subsecutis, nulla omnino spes reconvalescentiæ residua fuit. Hunc tamen, excreto per alvum globulo, quinto morbi die cum fecibus, à clystere sollicitatis, servatum, ac post mensis unius periodum plane liberatum fuisse, ibidem relatum legimus, ubi utilis simul admonitio additur, nunquam omnino deserendum esse ægrotantem, dubiamque spem certa desperatione esse potiorem.

Vide-

Videtur autem globulus hic, intactis tenuibus, penetrasse intra cavum coli, quod in regione sinistra hypogastrica, notabilem arcum efformando, ad intestinum rectum abit, quia alias difficilis fuisset excretio ejusdem, per infusum clysterem. Plures autem sunt eorum casus, in quibus intestina crassa, imprimis colon, vulnerata, cum abdominis integumentis ita concreta sunt, ut, vulnere externo una cum interno coëunte, aut, isto pro excretione excrementorum, aperto manente, in vita superstites manserint. Tale etiam est nostrum, in præsenti descriptum & delineatum exemplum, quo tanto magis res ista extra omnem dubitationis aleam ponitur.

Thes. V.

Hactenus enumerati & plures ab auctoribus observati casus, non immerito in medicorum æque, ac Jureconsultorum animis excitarunt dubium, utrum intestinorum vulnera per se & absolute, an vero per accidens lethalia sint pronuncianda? Huic difficultati ut occurrant, distinguere docent medici inter vulnera ipsa, prout illa sunt vel superficialia, vel penetrantia, magna vel parva, simplicia vel multiplicia, intestinis tenuibus vel crassis inflicta, pro quorum varietate omnino periculum variare, manifestum est. Sane levioris notæ esse vulnera minora, præ majoribus, simplicia præ multiplicibus, superficialia præ penetrantibus, quilibet videt. Interim tamen & illa, pro situ & læsione vasorum nervorumque diversa, in deterius vergere posse, inferius constabit. His vulnerum differentiis addere quidam solent distinctionem inter longitudinalia & transversalia, quam tamen celebratus Bohnius l. c. vel ideo rejicit, quoniam ad horum conglutinationem non dantur remedia efficaciora, quam illorum, adeoque eundem ancipitem eventum promittunt. Maxima præterea diversitas occurrit inter ea, quæ instrumentis findentibus, aut pungentibus, aut perforantibus inducuntur. Unde illa, globulis e sclopeto immissis facta, ceteris paribus, ob contusionem, conquassationem & lacerationem, præ illis, quæ instrumentis secantibus, & hæc rursus præ illis, quæ punctim infliguntur, periculosiora observantur. Instrumenta enim acuta intestina perforantia, interdum non directe, sed oblique inter tunicas incedendo, intra intestinorum cavitatem penetrant, unde vulnuscula talia citius concidunt & conglutinantur, effusione contentorum impedita. Ea forsan est ratio, quod cultrivori à variis scriptoribus allegati, cultris, ventriculi tunicis perforatis, exteriora versus prorumpentibus, nihilosecius servati sint, cum alias vulnera ventriculi penetrantia & magna multo magis, quam intestinorum, funesta, imo absolute lethalia æstimentur. Ita omnino intestina crassa, præ tenuibus, vulnerata faciliorem sanationem promittunt, quia tenuium substantia magis nervosa, situs anfractuosus & im-

plicatus, motuſque periſtalticus continuus, plus conglutinationi reſiſtunt, cum e contrario craſſa, ob texturam magis carnoſam, ſitum directum & externis integumentis propiorem, motumque debiliorem, eidem magis faveant. Nihiloſecius tamen & horum vulnera, pro circumſtantiarum varietate, æque funeſta & abſolute lethalia eſſe poſſunt, uti infra patebit. Hæ ipſæ autem differentiæ vulnerum inteſtinalium, vix ſufficere videntur, ad difficultates, in renunciatione vulnerum lethalium occurrentes, tollendas, quoniam ſupra non parva tantum, ſed etiam magna, non ſuperficialia ſolum, ſed quoque penetrantia & perforantia, imo inteſtina totaliter reſecantia, etiam ſclopeto explofo inducta, tam tenuium, quam craſſorum, ſanata perſpeximus.

Thes. VI.

Quid igitur de vulnerum inteſtinalium lethalitate decernendum erit? Ergone omnia inteſtinorum vulnera, e numero abſolute lethalium erunt eximenda? Ita quidem non cauſarum modo Patroni, ſed ipſi quoque medici inferre ſolent. Inficiandum enim nullatenus eſt, dari vix poſſe in abſtracto definitionem, vulnerum inteſtinalium abſolute lethalium, generalem atque completam, quæ omnibus dubiis, & caſibus iſtis extraordinariis ſatisfaciat. At hac ratione nulla omnino forent vulnera abſolute lethalia, nec cordis, nec cerebri, nec aliarum partium nobiliorum, quandoquidem recenſeantur quoque ab auctoribus exempla, vulnerum in illis organis feliciter curatorum. Referenda autem illa ſunt, cenſente Celeberr. Wedelio Diſp. de Fundament. Lethalit. Vulner. §. 28. inter rariora & contingentia, ex divina quidem voluntate, à quibus non licet facere inductionem, utpote à particulari ad univerſale. Uti enim, pergit idem, centum veneno potionatis, ſi unus evaſerit, nemo induceretur, ut credat, innoxium & ſibi fore venenum, ita & hic ſe res habet. Attamen in concreto ipſiſque ſubjectis, determinari omnino poteſt, & debet horum vulnerum lethalitas abſoluta. In his quippe non in genere de lethalitate, ſed quomodo in hoc vel illo individuo ſe habeat, judicatur. Eamque ob cauſam in tali cauſa, ubi lethalitas impugnata eſt, optime reſponſum à Facultate Lipſienſi, d. 7. Jul. 1668. Status controverſiæ & nervus quæſtionis nunc non eſt, an vulnera ventriculi in genere ſint lethalia, ſed quæritur, an à vobis deſcriptum vulnus ventriculi, in hoc individuo lethale ſit habendum, referente Welſchio de Vuln. lethal. p. 105. Magna enim occurrit diſparitas inter homines, tum ratione ætatis, habitus corporis viſcerumque, aliarumque circumſtantiarum, quantenus homines robuſti atque athletici graviores læſiones facilius ſuſtinent, & bonitate naturæ, viriumque robore inde evadunt, iis, qui tenerioris & debilioris ſunt conſtitutionis, ex eadem cauſa ſuccumbentibus. Neque exinde inferre licet, hos non ob vulnus, ſed

sed potius ob habitum corporis teneriorem, & quodammodo morbosum periisse, quia, monente Celeberr. Stahlio, diss. de Vuln. lethal. inter percussionem & mortem, nulla alia causa intermedia intercessit. Nisi ergo status vulnerati, ante acceptam plagam sit plane morbosus, & talis quidem, qui ei per se mortem certam attulisset, ejusmodi vulnus omnino lethale pronunciandum erit. Imo nec hoc quidem ad lethalitatem tollendam sufficit, quia fatum hoc ipso accelerator, quemadmodum & ille, qui senem decrepitum, ob legem inevitabilem brevi moriturum occiderit, homicidii pœnam effugere nequit. His itaque positis, quilibet facile perspicere potest, ab exemplis rarioribus, vulnerum intestinalium curatorum, non valere conclusionem ad alia, quin potius in casibus specialibus, omnes circumstantiæ rite sint perpendendæ. Quod enim à natura, casu, & quidem rarissime fit, pro regula medicis inservire nullatenus potest. Utiliter tamen hos monet, ut cautos & circumspectos se gerant, tum in curandis ejusmodi ægris, tum in sectionibus demortuorum, tum maxime in lethalitate horum vulnerum determinanda, nec quicquam in eo temere, & sine gravissimis causarum momentis committant.

Thes. VII.

Hæ propemodum sunt regulæ generales, in judicio de vulnerum lethalitate, efformando attendendæ, quibus præmissis, accedimus ad eas, quæ specialius vulnera ipsa intestinorum concernunt. Ut autem clarius pateat, quænam ex his lethalia, quæ vero minus talia sint censenda, non inutile erit, casus antea citatos, in quibus illa sanata vidimus, cum aliis conferre, quia contraria juxta se posita magis eluceſcunt. Pleraque autem memorata exempla haud dubie mortem certam attulissent, nisi speciales circumstantiæ concurrentes eadem sustulissent. Vidimus enim supra vulnera intestinorum, quibus fibræ tunicarum transversim in illis resecantur, ob tractionem & crispationem nunquam, nisi interveniente aut omento, aut integumentis abdominis, aut alio, per se consolidari, adeoque necessario convulsiones, inflammationes & sphacelationes, in tenuibus imprimis subitaneas efficere. Faciliorem tamen curam eorum reddit, vulneratio intestinorum in loco, externo vulneri proximo, aut non adeo remoto, quod vel solum in casibus recensitis vitæ periculum, alias certissimum, avertit. Quæcumque adeo vulnera intestinorum compagem destruunt, & graviorem vasorum sanguiferorum atque nervosorum læsionem efficiunt, ita, ut effusio sanguinis copiosa, nulla ratione sistenda, aut inflammatio & sphacelatio subitanea, & convulsiones subsecutæ, vitæ terminum brevi inducant, lethalia per se omnino pronuncianda erunt. Idque tanto magis, si situs horum vulnerum profundus, & à loco externo remotus, omnem medicamentorum applicationem denegat. eamque ob causam nuper à facultate, nostra vulnus duplex intestini jejuni,

juni, alterum pollicis transversi longum, alterum minus, cum insequentibus mox vomitibus ac convulsionibus continuis, altero die mortem asferens, absolute lethale renunciatum merito est. Non quidem sola brevitas termini insecuti vulnera intestinorum reddit lethalia, non levis tamen ex eo oritur præsumptio, vulneratum ex accepta plaga periisse, nisi manifesta testimonia, constitutionis morbosæ, aut potius curæ neglectæ, & diætæ pravæ, quorum maxime respectus habendus est, contrarium suadeant. Quamobrem potentissimus Borussiæ rex, ad terminandas sæpe inutiles, & supervacaneas de lethalitate lites, lege sancivit, vulnera omnia intra novem dies mortem inferentia, lethalia renuncianda esse, nisi circumstantiæ manifestæ curam neglectam arguant. Nostrum nunc non est, de hoc ferre judicium, sed potius ex fundamentis medicis declarare, quænam vulnera intestinorum, absolute lethalium nomine merito veniant.

Thes. VIII.

Ut igitur in specie de vulneris cujusdam, intestinis inflicti, lethalitate accurate judicari queat, requiritur ante omnia sectio & inspectio medici aut chirurgi, in Anatomicis optime versati, quod nisi factum, difficillimum sane est, de vulnerum illorum lethalitate certi quicquam statuere. Propterea innumera apud scriptores Forenses occurrunt responsa, quibus vulnerum non solum intestinorum, sed aliarum quoque partium, ob inspectionem insufficientem, lethalitas dubia renunciata est. Ideoque sapientissime in foro nullatenus acquiescitur, in depositione medicorum singularium, multoque minus chirurgorum, de vulnerum lethalitate, sed integrorum potius collegiorum decisio exposcitur, antequam certi quicquam de eo decernatur. Sectione vero & relatione rite peracta, fontes à Cl. Krausio, in dissert. de Vuln. per se lethal. annotati, ex quibus in genere signa lethalitatis hauriri debent, in specie quoque ad intestinorum vulnera dijudicanda faciunt, pars nimirum læsa, vulnus ipsum, cura & demum vulnerati persona. Quoad partem læsam, multum omnino interest, utrum intestinum tenue, aut crassum, & quo in loco illud læsum sit. Intestina enim tenuia, per antea enumeratas rationes, si in loco remoto & profundius hærente, vulneribus, imprimis magnis, aut pluribus afficiantur, nullam consolidationis spem promittunt, adeoque vulnera talia ex se lethalia censeri debent. Imo non tenuium tantum, sed crassorum quoque plagæ, tales quidem, quæ functionem eorum destruunt, & ob situm profundum, remediorum applicationem nullam admittunt, adeo, ut effusio excrementorum in cavitatem continua nulla ratione impediri queat, à lethalitate absolvi non possunt, quoniam, licet non citam, lentam tamen mortem, eandem tamen certam inducunt. Præter partem læsam, etiam vulneris ipsius conditio monstrat, lethalene illud sit, an secus. Non minus, cura quoque & ægri ipsius constitutio in au-

auxilium trahi debent, quæ plenius evincunt, utrum inteſtini vulnus per ſe & abſolute, an vero propter neglectam curam, & errores in morbo commiſſos, factum ſit lethale. Ubi tamen ſedulo diſpiciendum, an hæ circumſtantiæ tales ſint, quæ ægrum, per ſe hoc vulnere non interiturum, ſua culpa interfecerint, an potius, his licet nullatenus intervenientibus, vulnus per ſuam naturam mortem intuliſſet. Quibus adeo, ut par eſt, accurate examinatis, & rite inter ſe collatis, facile erit de vulnerum in inteſtinis lethalitate ferre judicium.

EXPLICATIO FIGURARUM.

A. B. C. Inteſtinum colon inverſum in hypochondrio ſiniſtro ex abdomine propendens.

a. Orificium ſuperius, verſus inteſtina tenuia patens, quo fœces alvinæ excernuntur.

b. Orificium inferius, ad inteſtinum rectum ducens.

c. d. Vulnus externum a latere conſolidatum, & cum margine vulneris inteſtini concretum.

e. Umbilicus.

f. f. Glandulæ copioſæ, per interiorem ſuperficiem extra converſam turgentes, & verrucarum inſtar eminentes, in portione inteſtini ſuperiori rariores, in inferiori copioſiſſimæ, adeo, ut totum inteſtinum glanduloſum videatur.

FINIS.

Landesbibliothek Oldenburg



QUÆSTIO

CXXIX.

QUÆSTIO
MEDICO-CHIRURGICA,

Quam Præside

M. FRANCISCO MERY,

Proponebat

ADRIANUS MALAVAL

Baccalaur. Parisienſ. 1734.

An tenuium inteſtinorum vulnus lethale?

Landesbibliothek Oldenburg

L

Celeris purus homo fortunatam hanc annorum decurrebat seriem, quam nec fœdebat hiems gelida, nec torrida torquebat æstas: res non erat labore duro parta, sed prodigus ager, munificentissimi Creatoris bonitate, parabat sine arte mensam; aëre puro dies lucebant sereni, noxque soluta curis breves spargebat umbras: torus erat pudicus, non tristis; dabat leges prudens simplicitas, mens erat quieta, & salubre corpus viribus fruebatur ingenuis: non sidere maligno dira sæviebat morborum cohors, nec supremum diem, criminis vectigal, horrebat juventus virilis nescia vulnerum. At ex quo ingrata gens, omne ausa scelus, supremæ Majestati æqualem se credere non horruit, fatale illud, *Morieris*, juravit Omnipotens. Jam jam ultione justa irati numinis persequente fontes, quam subito (horrendum dictu) totius naturæ mutata facies! Aut igneus æstuat aër, aut gelido quassata frigore torpent membra: incultam segetem recusat tellus, solertique versatum manu pestiferum sæpius depromit gramen. Terra, pontus, aër, quidquid tandem in humanæ gentis commodum salutemque dederat summus opifex, furoris divini nunc minister, maledictique obsignatum caractere, hominem undique ineluctabili vulnerat telo. Homo ipse profundioribus jam tenebris obcœcata mente, hominis adest hostis infensissimus. Ruit in pejus, huncque fallacibus inhonestæ voluptatis raptum illecebris, morbos mortemque appetere quis non crederet? De homine actum erat, nisi medicinam creasset Altissimus, & medicum, qui nunc prudenti consilio morborum furores debellaret peritus, nunc docta manu & solerti, præsens vulneribus ferret auxilium. At quam tristis heu! nimium docet temporum series arte docta nonnunquam plus valere malum, & sæpius exstare vulnera, quæ brevi sequitur mors ineluctabilis. Sic Hippocrates [a] tenuium intestinorum vulnus lethale pronuntiat. Caveas tamen, ne te incautum hujuscemodi vulneribus medicas afferre manus pigeat, quorum medelæ non obstat, nec structura partium, nec repetita pluries experientia felix.

II

A pyloro ad anum unicus proprie in conspectum venit canalis, mille inflexus circumvolutionibus reflexusque, qui intestinorum nomine designatur: hæc intestina, pro volumine diverso diversaque densitate, in tenuia distinguuntur & crassa, quæ quidem cum textura & compositione inter se discrepent, utraque triplici nomine partiri placuit authoribus. Tenuibus

[a] Aphor. XVIII. sect. 6.

ergo assignantur *duodenum*, *jejunum*, & *ileum*, per crassa vero *cæcum* intelligas, *colon*, & *rectum*. De crassis silemus ad propositum non pertinentibus, quædam de tenuibus delibaturi. Quadruplici tunica constat quodlibet intestinum, quintuplici, si tunicam Ruyschii cellulosam admittere placet. Prima & exterior à peritonæo producta communis nuncupatur: stamine celluloso armatur intus, quod cellulosam Ruyschii efformat tunicam: hæc mesenterio continua est, facileque in pinguibus animalibus detegitur flatu, pinguedine referta. Secunda carnea est sive musculosa, duplici conflatur fibrarum ordine. Hic externus, internus ille. Uterque licet sibi invicem ita stricte annectatur, ut vix separari valeat, diversam tamen obtinet texturam; externus longitudinalis conspicitur & gracilis, internus crassior, quasi totidem circuli segmenta, totum intestini canalem transverse peragit. Sub nomine nerveæ nascitur tertia, asperſa glandulis, vasculis conspicua, cellulisque instructa pluribus; majori cæteris donatur amplitudine, unde apparent rugæ, & valvulæ nascuntur. Quarta tandem sive interior vocatur villosa: mollioris est substantiæ, nerveæ qua sustinetur, magnitudinem adæquat, variasque ipsius ubique abducit cellulas. Vasorum fines sanguiferorum, lacteorumque principia sustinet; hinc examine facto accuratiori cribrum merito diceres. Hæc de omni intestino: quædam nunc de quolibet intestino tenui observare juvat.

III.

Duodenum, à longitudine duodecim quasi digitorum, statim atque à pyloro ortum traxit, retrorsum primo & oblique descendendo paululum incurvatur; postea versus renem dextrum secunda, ut ita loquar, flectitur curvatura; renali tandem arteria venaque renali & cava salutatis, sensim sine sensu ante aortam extremasque dorsi vertebras à dextra ad sinistram ascendendo, novo flexu, qui ut extrema pars duodeni haberi potest, sinistrum versus renem excurrit oblique. Tribus vel quatuor circiter à pyloro digitis, prominente uno hiatu, cholidochi pancreaticique ductus osculа recipit. Musculosam duodeni tunicam cæteris multo crassiorem aspicias. A nervea ejusdem intestini villosaque tunicis plurimæ nascuntur plicaturæ, quas valvularum conniventium insigniunt nomine. In principio duodeni valvulæ apparent nullæ, complures in progressu. Arteriam à cœliaca sibi propriam vindicat duodenum. Jejunum, quod sæpe vacuum conspicitur, ab ultima proficiscitur duodeni curvatura. Hinc à sinistra ad dextram paululum deflexum, circumvolutionibus variis superiorem regionis umbilicalis partem potissimum occupat. Tunicæ jejuni eadem fere pollent textura ac duodeni, sed crassa minus: valvulis præstat conniventibus, quam latitudine & numero plures, à se invicem nullatenus fere recedunt. Qua autem arte certo innotescere valeat jejuni finis & principium ilei, res sat obscura: à colore hic intenso magis, illic minus, dis-

diſcrimen illud emanare cenſent alii; alii à valvularum obliteratione repetunt. Rectius, ni fallor, ſi jejuno ileoque in quinque partes æqualiter partitis, duas tribueris jejuno, tres ileo conceſſeris. Ileum infra umbilicalem regionem juxta oſſa ilei ſitum imprimis animadvertitur: jejuni circumvolutiones a lateribus & inferiori parte ita obvolvit ileum, ut a ſiniſtra ad dextram per hypogaſtrium ſerpens, ibi renem dextrum pauliſper infra deſinat, valvulaque præſtanti, quam valvulam Coli Bauhini appellare placuit, novo veluti pyloro craſſis annectatur inteſtinis. Tenuium inteſtinorum ſubſtantiam vaſa perreptant numero copioſiſſima: arterias ſuppeditat meſaraica ſuperior, ad hepar & portam abeunt venæ; pari vago & intercoſtali debentur nervi, lacteis luxuriant inſuper lymphaticiſve. Ea ſunt, quæ in hujuſcemodi inteſtinorum ſpecie obſervanda poſſimum veniunt, in quorum vulneribus triſtem, heu! quotidie ſucceſſum ſortitur chirurgia vel peritior. Nulla-ne ergo remanet ſpes? trucique vultu, vulnerato ſemel crudelis ſemper mors prænuntianda? abſit. Horrendum, ingens licet immineat periculum; macte animo, laboremque non recuſes pavidus. Tenuium inteſtinorum vulneris medelæ nec repugnat partium conditio, nec experientia reluctatur.

IV.

Vulneris nomen latiori acceptum ſignificatione ad quamcumque partium corporis disjunctionem ſolutionemve continui deſignandam uſurpatur: apud medicos tamen invaluit uſus, hanc dumtaxat ſolutionem continui titulo vulneris inſignire, quæ in partibus corporis mollibus, non ab omni indiſcriminatim ſolvente cauſa, ſed à corporibus duris & gravibus, quocumque inflictis modo applicatiſve ortum duceret; hinc violata partium mollium unio, quæ à clandeſtinis fluidorum intra corpus vel genitorum, vel accedentium ab extra ictibus manat, vulnus proprie non eſt, ſed ulcus appellabitur: cum autem vulnera non à diverſis ſolum corporum, à quibus infliguntur ſuperficiebus diverſas obtineant formas, ſed tum natura & numero partium vulneratarum, tum ſymptomatum, quæ vulnera concomitantur, majori vel minori ferocitate differant plurimum; principes idcirco quædam ſtatutæ ſunt vulnerum differentiæ. Vel ergo impactum corpus acie aut acumine inſtructum reperitur, cedendoque aut pungendo partium unionem frangit; vel nec acumine præditum, nec acie, mole ſimplici ac forti motu contundendo, partes ſecundum ſuſceptam motus lineam à vicinarum contactu removet. Si primum, vulnus dixeris inciſionem aut puncturam. Si poſterum, contuſionem appellaveris. Et iterum vulnus aut cutem tantum extimam aperit, penetratve profundius, nulla tamen ab eo inducta carnium deperditione, non apertura majoris momenti vaſorum illata, nullo ingruente gravi ſymptomate, & ſimplex nuncupatur: aut carnis ſubjectæ non mediocris adeſt jactura, vas plurimi ponderis reſecatum,

vul-

Landesbibliothek Oldenburg

vulneratus tendo, dolor sævit, longe lateque serpit inflammatio, & compositum nominatur. Tenuium intestinorum vulnus hic loci latiori acceptum significatione fatemur ultro, & per hujusmodi vulnus quamlibet tenuium intestinorum continui solutionem intelligimus, quæcumque sit unionis violatæ causa: oriatur ergo ab externo corpore gravi impetu vibrato, à tacitis fluidorum intra corpus latenter agentium ictibus trahat originem, proficiscatur tandem ab imperita chirurgi manu, ut in variis, quas diversæ postulant herniarum species, operationibus, *bubonocele* præsertim, occidit sæpius, hanc solutionem continui, sive sit simplex sive composita, vulnus appellare placet, cujus medelæ non repugnat partium natura. Absit negare velimus à tenuium intestinorum vulneribus compositis præsertim periculum imminere, & quidem præsentissimum. Nonne etenim vulneratis tenuibus intestinis, bilis cum succo chyloso in cavitatem abdominis partim depluens, corruptionem partibus contentis importat? Ignoratur-ne hæc intestina motu gaudere *peristaltico* fortiori, læsaque, contenta tanto vehementius extra cavitatem protrudere? quis nescit ab eorum læsione inflammationes suboriri sæpius, spasmos, convulsiones? compertum tandem nonne est tria hæc intestina, utpote minus musculosa, difficilius coalescere? Quid inde? vulnus erit periculi plenum, non lethale. Manum semper operi admoveat chirurgus. De educendis peregrinis quibuslibet corporibus vulneri inflixis sollicitus primo, partes divisas, si externe promineant, suo loco reponat. Partium labra ad intimum, quantum patietur substantiæ jactura, urgeat contactum, roborantibus modo, putrefactionemque arcentibus remediis utatur prudens, modo, prout postulaverit temporum opportunitas, lenientibus demulcentibusque spasmos astringentia misceat & consolidantia. Venæsectionibus sæpius repetitis compescatur inflammatio, tenuissima diæta & fame, ut ita loquar, emaciandus æger, ne major fæcum proventus adveniens, & unionem prohibeat & augeat symptomata. Sic sæpius vel in magnis etiam vulneribus muscularium ope fibrarum coalescent partes, vel si majus sit substantiæ dispendium, „ quod carnis deest partibus, (ut ait „ Magister in arte medica magnus Hecquetus [*b*] noster) ex partium vi„ cinia suppletur, quæ suas partibus vulneratis mutuando applicandoque „ carnes, gluten commodant, mutuoque adhæso concessu, cicatrici tem„ pus suppeditant, modum, materiem, instrumentum". Nec ab opere deterreat chirurgum materia e vulnere depluens, musculosarum tenuitas fibrarum, nervearum numerus, motusque partium unioni resistens. Nonne vesica motu donatur & quidem plurimo, salibus urinæ potentissimis alluitur indesinenter, totaque membranacea fere & nervea conspicitur. Quam tamen graviter erraverint, qui ipsius corporis & fundi vulnera lethalia decantabant, sat superque demonstravit, tam felici successu in operatione lithotomiæ per altum apparatum, in fundum vesicæ, larga sæpius à peritissimo doctore Douglas incisio peracta. Mutata parte de intestinorum vulneribus res

[*b*] Comment. in Hipp. sect. 6. Aphor. XVIII.

res narratur. Sed tenuium inteſtinorum vulneris medelæ non obſtare partium texturam, tutiſſimus eſt demonſtrandi modus, teſtem appellemus experientiam.

V.

Duobus circiter ab hinc annis in mulierem ſeptuagenariam, orbatam viſu infirmaque admodum gaudentem valetudine, celebrata eſt *bubonocele* operatio. Male affectum erat inteſtinum tenue *gangrænaque* ſuſpectum. Lotum illud calido vino ſpirituque vini irroratum, in abdominis cavitatem reponitur. Quæ graviſſima inteſtini ſtrangulationem comitata fuerant ſymptomata, poſt operationem ſubito remiſerunt. Hora ab operatione una laxata eſt alvus; per novem dies, nullo exaſperante febrili motu, tranquilla remanſit ægrota: at die decimo excrementa per vulnus erupere bilioſa. Materia erat & adeo luxurians, ut totus omnino fœdatus eſt lectus, & acris ita, ut extima cute abdomen & crura ſpoliaverit. Per ſex vel ſeptem hebdomadas per vulnus prodierunt fœces; at duobus circiter menſibus exactis, conſolidatum eſt vulnus, hodieque ſat firma fruitur valetudine mulier. Viginti jam elapſi ſunt anni, ex quo eadem operatione tentata eſt mulier vetula. Ipſo tempore operationis, diebuſque primis ſequentibus, quæ in operatione relata modo acta diximus, ſunt pariter obſervata. At ſeptimo mane, lintea cujuslibet generis materia ſtercorali & bilioſa contaminata invenit chirurgus. His e vulnere extractis, materia ejuſdem naturæ, quantitate notabili, cum impetu proſilit foras. Diebus quindecim abſque ulla ſenſibili mutatione idem permanſit ſtatus: tunc ſolidiorem adepta ſunt conſiſtentiam excrementa. Die vigeſimo per anum determinata ſunt paululum, vividiorique donatum colore apparuit vulnus. Vigeſimo-octavo tandem, nulla jam per vulnus prodeunte materia, octo dierum ſpatio, ita felici obductum eſt cicatrice, ut optime convaluerit mulier. Nonne per omnes belgicæ regiæ civitates famoſus fuit circulator ille, qui ut facilius ſtrangulationi inteſtinorum in herniis ſuccurreret, larga inciſione ſecabat inteſtinum, illudque contentis per aperturam vacuatam in abdomen reponebat. Audaci hujuſcemodi methodo & temerariæ inſiſtendum licet non ſit, cum in pluribus tamen felicem habuerit exitum, tenuium inteſtinorum vulnus lethale non affirmandum demonſtrat evidenter. Nec reponat aliquis nos in referendis curationibus, à nobis dumtaxat cognitis, totos incumbere. Authores, & quidem melioris notæ adire non pigeat, *Seidelium*, *Hollerium*, *Gemmam*; felices pariter expertos fuiſſe ſucceſſus comperiemus. „ Cuidam (inquit *Hollerius*) „ perforatus venter acuto enſe, inteſtina tenuia vulnerata & pars craſſorum. „ Exierunt inteſtina per vulnus & ſtercus: deſperatus erat à medicis, ſed „ longa cura convaluit ". Sic ſuam aperit mentem *Gemma*. „ Vidi quibus „ inteſtinorum portiones ſatis effatu dignæ, tum per abſceſſus tum per vul„ nera ſunt ablatæ, & tamen vivunt, unamque in rebus deſperatiſſimis di-

[c] Vide Schenkii Obſ. Med. L. 3. de vuln. inteſt.

„ vinæ bonitatis & fortitudinis gratiam profitentur : assertioni tandem no-
„ stræ metam imponet atque coronidem *Seidelius*. Sic loquitur. Pertuso per-
„ sectove tenui quopiam intestino lethale est, inquit *Hippocrates* Aph. 18.
„ Sect. 6. Huic aphorismo plane adversum ac repugnantem casum paucis an-
„ te annis observavi in cive quodam Gryphswaldensi sexagenario, cui cum
„ diebus tribus continuis alvus obstricta esset, & vehementissimis circa umbi-
„ licum doloribus infestaretur, portionem purgantem exhibui, qua prima
„ vice nec alvum deposuit, nec dolores quicquam remiserunt. Eadem vero,
„ tribus diebus exactis, repetita, & alvus laxata est, & dolore sublato,
„ tumor quidam in epigastrio circa inguen dextrum erupit. Tonsor ad eum
„ vocatus, tumorem convenientibus remediis maturatum scalpello aperuit,
„ ex quo pus sanguini permixtum effluxit. Octavo die post apertionem tu-
„ moris, cum ulceri medicamenta mundificantia & detergentia linamento
„ excepta admoveret, potus, una hora postquam ab ægro assumptus esset,
„ per vulnus emanare cœpit tanto impetu, ut simul linamentum e vulnere
„ propelleret. Sequentibus diebus etiam panis, caro, & reliqui solidiores
„ cibi, aliquo modo alterati per idem vulnus effluxerunt. Hac re territus
„ æger jam plane de salute sua actum esse censuit. Cum vero aliquot diebus
„ potione ex radicibus & herbis quibusdam constringentibus ac consolidanti-
„ bus præparata uteretur, & vulneri exterius sarcotica adhiberentur, primo
„ cibus, deinde etiam potus paulatim substitit, ac vulnus intra sex septima-
„ nas integre ac perfecte sanatum est". At, objiciet aliquis, quot tamen vulneratis semel tenuibus intestinis, morte præcipiti rapiuntur quotidie? illud fatemur iterum atque iterum. Hinc tenuium intestinorum vulnus periculi semper & aleæ plenum. Sed etiamsi unus dumtaxat nobis suppeteret casus constans felixque, in quo vulnus tenuium intestinorum medelam admisisset, concludere merito possemus. Ergo curationi vulnerum tenuium intestinorum nec textura partium repugnat, nec reluctatur experientia.

Ergo tenuium intestinorum vulnus non lethale.

FINIS.

DE

CXXX.

DE VULNERE HEPATIS CURATO CUM DISQUISITIONE IN LETHALITATEM VULNERUM HEPATIS.

Præside

CAR. FRID. KALTSCHMIDT,

Resp.

ADAMO JOANNE WEDEKIND.

Jenæ 23 Novemb, 1735.

Landesbibliothek Oldenburg

§. I.

VIr Juvenis optimæ notæ Joachim Rœder, Lubecenſis, præterito Anno Chriſti 1734. die 23. Aug. ad me defertur vulneratus, curamque medico-chirurgicam poſtulat, quam adhibitam brevi diſſertatione complecti conſtitui.

§. II.

Vulneratus 25. annos expleverat, temperamento gaudebat cholerico-ſanguineo, vitæ genere uſus erat modeſto, nec à regulis diæteticis abhorrente. Corpus gracile animum, quantum vulnus patiebatur, inveſtiebat conſtantem, humores ſpondebat incorruptos.

§. III.

Vulnus in regione epigaſtrica duorum digitorum latitudine à cartilagine enſiformi in linea alba tranſverſim apparebat, longitudine ſua latitudinem trium digitorum ſuperabat, copioſumque fundebat ſanguinem obſcurum & craſſum.

§. IV.

In dextro vulneris fine ligamentum hepatis rotundum læſum comparebat, accuratiori inſpectioni hepar ad pollicis latitudinem, ſecundum vulneris externi directionem, leviter vulneratum & in cruore vulneris pulſus patebant, duoque filamenta lacerati peritonæi ſe offerebant, cumque ex dimenſione vulneris pateret, utrumque muſculum rectum dimidiam partem eſſe diſſectum, reſilientes diſſectæ fibræ aperturam ſatis amplam efficiebant.

§. V.

Æger mox ànxietate præcordiorum & lipothymia correptus triſtem præ ſe ferebat faciem.

§. VI.

Hepatis igitur vulnus multorum oculis ſe objiciebat in parte hepatis concava per tantum abdominis hiatum facillime cognoſcendum, nec tamen omnia poſtulata à multis ſigna apparebant. Et quænam? Vomitus bilioſi & cruenti & ſimiles alvi dejectiones, nec ſequebatur per Dei gratiam hæmorrhagia lethalis.

Landesbibliothek Oldenburg

§. VII.

Sed non neceſſario hæc tria ſigna adeſſe debere in omni vulnere hepatis & experientia & ratio docet. Vis experientiam : lege ſummæ auctoritatis atque experientiæ viri Friderici Hoffmanni caſum III. P. III. decad. 1. ubi de vulnere hepatis, ægro, undecimo poſt acceptum vulnus die, purpura vivis erepto hæc habes ſub finem hiſtoriæ morbi : *Täglich hatte er* (vulneratus in hepate) *biß auff einen* ſedem naturaliter *welchen ein* clyſter emolliens *auch den andern gleich zuwege gebracht, hergegen nicht einmahl einen* vomitum *auch keinen* conatum. Vis rationem : ſi vomitus cruenti accedere debent & ſimiles alvi dejectiones, neceſſario per poros bilarios læſos ſanguis ex vaſis ſanguiferis laceratis ad ductum cholidochum & per hunc aut ex hoc ipſo læſo ad inteſtinum duodenum, & hinc ad ventriculum retrudi aut ad inteſtina devolvi debet, id quod in gravioribus imprimis iis hepatis vulneribus evenire ſolet, ubi inſtrumentum lædens altius penetravit in hepar, vulneris autem orificium ſanguine coagulato obturatum ad tempus, ſanguinis ex vaſis interioribus profluvium ad patulas in ductum cholidochum vias urgere. Si autem in ſuperficie tantum vulneratum eſt hepar, ita, ut cruori foras liberior quam in partes interiores pateat via, imo nec adeo multa nec adeo magna læſa fuerint vaſa, non eſt quod negemus, vulnus hepatis oculis obvium, licet non omnia in quibuſdam hepatis vulneribus apparentia adſint ſigna, ſed id, quod oculis obvium, plura non requirat ſigna.

§. VIII.

Nec hæmorrhagiam lethalem neceſſario ſubſequi omnia vulnera hepatis, eadem experientia eademque ratio confirmant. Id quod tamen infra monebimus fuſius, ubi in lethalitatem vulnerum hepatis diſquiſitio fuerit facta.

§. IX.

Poſtulabat igitur vulneris noſtri cura, ut (1) præſentia periculoſa ſymptomata fugarem (2) ſolutionem continui reſtituerem.

§. X.

Præſentia ſymptomata erant (1) hæmorrhagia (2) lipothymia (3) anxietates præcordiorum, (4) dolores abdominis.

§. XI.

§. XI.

Ad compescendam hæmorrhagiam injectio statim fiebat ex spiritu quodam rectificatissimo, cum liquore styptico Dippelii, applicatisque vulneri linteaminibus ⌐~ cochleariæ & matricali imprægnatis, ligaturaque debita munitis, aperta simul vena media dextri brachii, cum pedes id medelæ genus recusarent.

§. XII.

Admoto naribus aceto spicato exhibitaque potiuncula confortante semimortuus ad se redibat, animumque resumebat constantem, anxietates præcordiorum, doloresque abdominis superstites querens.

§. XIII.

Neque hæc duo poterant adeo veloci mutatione fugari. Dissecta enim linea alba musculique abdominis ascendentes, descendentes transversales & recti cum peritonæo, nec non ligamentum hepatis rotundum utique à fibris dissectis & resilientibus tensionem passa dolores, &, quantum hi musculi ad respirationem conferunt, nunc ejusdem difficultatem anxietatesque præcordiorum producebant.

§. XIV.

Interim blande resolventibus, temperantibus & bezoardicis mediis, quantum status præsens requirebat, succurrebam, nec sacculos paregoricos vulneri imponendos omittebam, abdomen sæpius spiritu nervino simul fovendo

§. XV.

Nox imminebat, ubi æger per aliquot horas placida fruitur quiete, expergefactus non nisi de dolore abdominis à vulnere versus umbilicum conquerens, pulsus tamen simul duritiem sentit. Continuatis autem bezoardicis mediis adjectis traumaticis variæ formæ per diem melius se habet, paucumque quem permittebam, capit cibum.

§. XVI.

Vulnus tempore matutino apertum coagulato repletum sanguine admittebat tamen injectionem balsamicam ex essentia myrrh. succin. balf. peruv. & copaib. Æger inverso situ in abdomen provolutus, cum constanter hoc situ uti nollet, tentabatur, an quid extravasati sanguinis cum Mixtura injecta

jecta proflueret, cujus circiter ʒij proveniebant. Facta denuo injectione applicatoque emplaſtro ſtyptico Crollii & ſuperimpoſitis ſacculis reſolventibus hac vice æger quieti reſtituebatur, tempore veſpertino eadem ratione vulnus tractatum & deligatum ſanguinem non amplius plorabat.

§. XVII.

Secundam igitur noctem eadem tranquillitate tranſegit, niſi quod tuſſicula quietem aliquando interturbaverit alvumque reddiderit.

§. XVIII.

Tertia die ſanguis coagulatus cedere vulnuſque ad maturitatem accedere cœpit, neque methodo cœpta pergere dubitavimus, ægro levato quodammodo, præter tuſſim: qui morbi ſtatus eandem & ſequenti nocte & die tenebat faciem.

§. XIX.

Nox tamen inquieta ſequitur, abdomen tumidum indureſcit, dolores à vulnere verſus umbilicum pergunt, anxietas præcordiorum augetur, calorque intenditur, & alvus obſtruitur, & urina ex fuſco rubra apparet, ſine ſedimento.

§. XX.

Alium, niſi tuſſim, hæc ſymptomata non agnoſcebant fontem. Diaphragma enim ſurſum cum impetu per vices commotum hepar eodem motu poſt ſe trahebat. Quo fiebat, ut ligamentum rotundum læſum tenderetur, irritationemque graviorem pateretur, hinc dolor verſus umbilicum, quorſum tendit hoc ligamentum. Accedit, quod eadem fabula in læſo peritonæo luderetur, doloreſque circa vulnus augerentur, affluxus itaque major humorum concitaretur, tumorque abdominis durus produceretur, & reſpiratio impediretur, hinc anxietas præcordiorum ſequeretur.

§. XXI.

Membranaceæ & nervoſæ igitur hæ partes irritatæ reliquum genus nervoſum vaſculoſumque in conſenſum trahentes, & ad fortiorem inordinatumque motum &conſtrictionem invitantes, circulum ſanguinis intendunt, febremque inducunt.

§. XXII.

Quinta igitur die cum primo diluculo vulnus conſiderarem, ligamentum hepa-

hepatis tumidum doloroſumque fibrillaſque diſciſſas corruptas, hepatis vulnus cruentum, incorruptum tamen, pulſu ſub cruore curioſo ſpectaculo vibrante, inveniebam.

§. XXIII.

Ligamentum igitur hepatis circum circa turundis firmabam cum eſſentia myrrhæ, ſuccini, balſ. peruv. & oleo terebinth. applicatis, ſinguliſque 4. horis id repetebam, vulneri hepatis eſſentiam myrrhæ cum melle roſato cum ſiphone admovebam, turundamque molliſſimam filo ligatam, ne in cavitatem abdominis caderet, cum balſamo de Copaiba applicabam, vulnus abdominis linteaminibus diſcerptis ſpirituque matricali madefactis replebam, emplaſtro diach. ſimpl. firmabam, ſinguliſque 4. horis repetebam & ad aerem temperandum inter ligandum carbones ignitos admovebam, ſacculoſque emollientes & reſolventes imponi curabam. Abdomine ſimul ſæpius cum ℥ bez. & cochl. inuncto. & clyſtere emolliente & leniente adhibito.

§. XXIV.

Internis medicamentis mixturæ ſc. bezoardicæ & traumaticæ pulverique bezoard. reſolv. addebam emulſionem refrigerantem potiunculamque confortantem & anodyna.

§. XXV.

Quæ ſolerter adhibita per diem, nox ſequebatur placida & quieta. Hora tertia nocturna, ubi denuo vulnus deligabam, pus laudabile ab omni parte propullulans fibrillas & peritonæi & ligamenti rotundi corruptas ſponte abſtergebat removerique faciebat, & optimam de recuperanda ſanitate ſpem dabat. Æger omnia recenſita ſymptomata remota commonſtrabat, erectaque fiduciam teſtabatur fronte. Dolores fugati, tumor maximam partem remotus, partes corruptæ ſeparatæ, ſuccus nutritius præſens, pulſus bonus, alvus aperta & urina turbida mox ad naturalem magis accedens, omnem mali ominis metum ejiciebant.

§. XXVI.

Sequenti igitur ſexto die erecto ſitu ægrum conſtituebam cum levamine. Tempore matutino & veſpertino ipſum deligabam, iiſdem adhibitis injectionibus balſamicis, & applicato balſamo de Copaiba. Nec bonum diem pejor ſequebatur nox, quam totam ſomno peregit placido.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XXVII.

Ita decimus præterlapsus dies, ubi hepar restitutum ligamentumque rotundum sanatum secure vulnus externum claudi posse promittebat.

§. XXVIII.

Nec ad id perficiendum opus erat futura cruenta, cum tanta lymphæ gelatinosæ affluëret copia, quæ citissime hiatum replere & carne occludere poterat, dum modo id permittere ob læsiones interiores e re fore crederemus.

§. XXIX.

Continuatis igitur balsamicis supra laudatis decimo quinto die cicatrix perfecta nec indecora comparebat, pauciscque diebus post, ut æger libero frueretur aëre, permittebam.

§. XXX.

Hæc sunt quæ circa curam vulneris obvenere, ad cujus veritatem commonstrandam non est ut multa verba faciam, cum restitutus sanitati non solum adhuc in nostra Salana cum laude nobilem se gerat civem, sed & tot tantique testes tempore curationis præsentes fuerint & adhuc sint, ut ad eorum fidem provocare queam.

§. XXXI.

Instituti igitur ratio postulat, ut eorum causa, qui vel. levissimahepatis vulnera absolute lethalia pronunciant, & hoc ex capite aut Rœderi nostri hepar non læsum fuisse, aut eum necessario mori debuisse perseverant, in lethalitatem vulnerum hepatis inquiram.

§. XXXII.

Hepar viscus illud maximum, rubicundum, in dextro hypochondrio situm bilisque secretioni destinatum, superius convexum, inferius concavum, esse mere vasculosum nemo non ex recentioribus anatomicis affirmat.

§. XXXIII.

Vasa autem hepatis sunt vel sanguifera vel bilaria. Sanguifera sunt vel arteriosa vel venosa.

§. XXXIV.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XXXIV.

Arteria hepatica magni non est momenti, & provenit ex cœliacæ dextræ ultimis ramificationibus nec penetrat in intimam hepatis substantiam, sed hepar ingressa in minutissimas dividitur ramificationes, & terminatur in capsula Glyssonii.

§. XXXV.

Capsula Glissonii est ea membrana, quæ cingit primarium vasorum venosorum in hepate, venam nimirum portæ & poros bilarios.

§. XXXVI.

Ex venis scilicet viscerum infimi ventris in unum truncum in superiore hepatis parte coalitis oritur cavitas illa quæ porta salutatur: ex hac quinque primarii, duo in dextram, reliqui tres in sinistram hepatis abeunt partem, maximamque hepatis partem constituunt, innumeros minores in ramulos divisi, officium arteriæ exequentes, aliquali etiam oscillatione gaudentes.

§. XXXVII.

Excipiuntur hi à ramulis ex tribus ramis à vena cava oriundis, quorum unus dextræ duo sinistræ parti se insinuant.

§. XXXVIII.

Ad hæc simul notandum, spissiorem esse sanguinem hepaticum reliquo sanguine, cum in liene copiosissima illa vasa lymphatica, in ductum thoracicum devoluta maximam lymphæ partem eo abducant, unde spissior redditus sanguis ita constitutus ad hepar defertur.

§. XXXIX.

Ad vasa bilaria pertinent vesicula fellea, ductus cysticus, ductus hepaticus, ejusque rami pori bilarii dicti & ductus cholidochus, quæ omnia substantiæ sunt membranaceæ. Pori bilarii ex ultimis venæ portæ ramis lateraliter oriundi ad ductum hepaticum abeunt. Vesicula fellea, ille, ut Glissonius ait, condus promusque humoris fellei, figuræ propemodum ovalis aut potius pyriformis ad magnitudinem ovi fere accedit, & 4. tunicis constat, in inferiore hepatis seu concava parte pendula. Ductus cysticus est canalis pennæ gallinaceæ fere æqualis, & ex vesicula fellea ad ductum cholidochum pergit. Ductus hepaticus est illud vas quod ramulis suis minori-

noribus ex vena porta bilem collectam ductui cholidocho & cystico infert, qui canalibus duobus antecedentibus amplitudine par, terminatur in duodeno circa initium jejuni intestini. Plura vide de his in Glissonii anatomia hepatis aliisque anatomicis, cum hic instituti ratio prolixiores ambages prohibeat non anatomiam hepatis, sed lethalitatem vulnerum in eo tradituri.

§. XL.

Ligamenta hepatis sunt tria, duo lata suspensoria, unum rotundum. Ex latis unum hepar diaphragmati annectit, alterum hepar eidem diaphragmati & cartilagini ensiformi alligat, priori minus. Rotundum, per quod umbilico annectitur, ex vena umbilicali post partum deligata oritur.

§. XLI.

Vulnus est vel per se vel per accidens lethale.

§. XLII.

Per se lethale dicitur vulnus, quod omnem adhibitam vel actu vel potentia humanam artem eludit, sed machinam humanam per se & sua natura destruit.

§. XLIII.

Per accidens lethale dicitur vulnus, quo machina humana ita læsa non est, ut adhibitis sufficienti cura & mediis æger sanari non potuisset, hinc ubi mors subsecuta, vel medici, vel ægri, vel chirurgi, vel adstantes, vel absentia medici & medicamentorum vulneratos morti tradiderint, cum alias ejusmodi vulnus medelam semper admiserit.

§. XLIV.

Addunt quidam medici forenses quandoque, ubi de vulneribus per se lethalibus loquuntur, quod vulnus hoc vel illud per se & absolute lethale sit, & si quicquam ponderis in hoc verbo, absolute, quærendum esset, hæc distinctio ita mihi maxime congrua videretur, ut id genus vulneris per se lethale pronunciari deberet, quo ita machina humana læsa deprehenderetur, ut secundum artis regulas mors facillime læsionem sequi potuerit imo debuerit, quamvis aliquando peculiaris constitutio & robur optimum vulnerati, eundem morti subtraxerint, ut ergo tale vulnus per accidens quasi fiat non lethale. E contra id vulneris genus pro lethali per se & absolute pronunciari posset, ubi nullum nec in arte nec in vulnerato præsidium mortem fugare posset, sed læsio omne auxilium & constitutionem

nem plane eluderet, imo manus auxiliatrices licet properantes, non expectaret.

§. XLV.

Ad examen igitur vulnera hepatis si revocamus, ea vel altius penetrant in substantiam hepatis, multaque & majora lædunt vasa sanguifera, aut vesiculam felleam, aut ductum cysticum, aut cholidochum, aut porum bilarium; vel sunt superficiaria & saltem minora sanguifera attingunt vasa, & poros bilarios.

§. XLVI.

Ea quæ altius penetrant in hepar vasaque majora attingunt, necessario mortem inferunt, hinc per se & absolute lethalia merito pronunciantur. Hæmorrhagia enim tanta necessario sequitur, quæ mortem vel ante medentis adventum accelerat, aut certe sisti omnibus adhibitis remediis nequit, imo sanguinem in abdominis effundit cavitatem, ubi corruptioni inflammationique obvius vulneratum de medio tollit.

§. XLVII.

Et ita Hippocratis sententia assumenda: ubi libro VI. Aphorism. LXVIII. ait: cui vesica perfecta fuerit, aut cerebrum, aut cor, aut septum transversum, aut tenue quoddam intestinum, aut ventriculus, aut jecur, lethale est. Ubi necessario de gravioribus saltem vulneribus loquitur: quis enim Hippocrati affingere vellet, quod omnia harum partium vulnera pronunciare lethalia, aut vocem διαχοπέντι de levioribus intelligi vulneribus voluerit?

§. XLVIII.

Vesicula fellea læsa mortem per se non infert, collapsa enim hæc nec ex tensione, nec alia ratione adhibitis debitis remediis, gravia & mortem minantia symptomata inducere potest. Bilis enim per ductum hepaticum ad cholidochum sufficiens deferri potest, extravasata autem in cavitatem abdominis tam præsentaneum periculum inferre nequit, cum bilis & sua natura & omnium practicorum consensu ad corruptionem non æque ac sanguis inclinet, id quod & de ductu cystico, easdem ob caussas valere arbitror, cum, læso eo, bilis ex ductu hepatico in cholidochum & hinc in duodenum derivari, & vasa hæc rescissa præcludi possint.

§. XLIX.

Aliter sentiendum est de ductibus cholidocho & hepatico. His enim

vulneratis, bili in duodenum transitus præcluditur, hinc chylificatio, hinc sanguificatio, hinc nutritio sublatæ, mortem prænunciant.

§. L.

Ligamentum hepatis suspensorium majus gravius vulneratum, ob difficilem aditum, substantiam nervoso-membraneam maxime sensilem ponduſque hepatis annexum, inde irritationem oriundam, cum consensu per connexionem diaphragmatis, hujus itaque motum spasmodicum facile inde provenientem, imo inflammationem, affluxu majori per dolorem versus has partes concitato & stasi orta, vulnus per se lethale pronunciat: leviter autem tactum, cum tam gravia symptomata per se producere nequeat, nec mortem per se inferet.

§. LI.

Ligamentum hepatis rotundum meliora spondet fata, quamvis quidam, si discindatur aut disrumpatur, pro mortifero habeant. Ubi Glissonius in anatomia hepatis. „C. 2. ait: quidam affirmant ligamentum „hoc, casu aliquo præcisum aut disruptum, citra aliam ullam noxam „mortem afferre. Quod mihi minus verisimile videtur, nisi simul forte „convulsio contigerit, quæ tendinosis & nervosis partibus facile supervenit.

§. LII.

Et sane ligamentum hoc neque ad hepatis substantiam neque nexum neque functionem tantum confert, ut discissum tale periculum minetur. Ego, nisi symptomata quinto die ægrum nostrum oppugnantia cessassent, ligamentumque meliora dedisset signa, id ipsum ad instar alius nervi ipse discindere non dubitassem ad finiendam irritationem, unde dolores versus umbilicum proveniebant. Læsum itaque hoc levius vel gravius mortem non producit.

§. LIII.

Tertio ligamento læso, cum id magis antrorsum situm sit, facilius succurrere, optimis balsamicis defendere, irritationem mitigare, inflammationemque arcere possumus, nec tantum per connexionem, quantum latum suspensorium, inferre potest periculum, hinc per se, lethale per se vulnus non patitur.

§. LIV.

De hepatis vulnere profundiore igitur actum, & læsis vasis majoribus vel

vel ligamentis. Videamus & superficiaria, leviora. Et hæc lethalia pronunciare, conscientia, ratio & experientia prohibent.

§. LV.

Res utique conscientiæ est judicium medicum de lethalitate vulneris ferre, cum judex effatum medici & supplicium sæpius credulitatem judicis innocentem sequatur. Cum tamen sedulo attendendum sit, ne innocens moriatur aut reus absolvatur. Conscientiæ igitur medici propriæ vulnus infligi per lethalitatem vulnerum hepatis superficiariorum affictam ex sequentibus patebit.

§. LVI.

Ratio nobis hæc dictitat. Si ejusmodi leviora vulnera lethalia esse debent vel ob hæmorrhagiam, vel ob alia graviora symptomata tristem sortiri eventum debent. Hæmorrhagia lethalis ex minoribus vasis subsequi per se non potest, cum utplurimum stillicidium sanguinis ex ipsis sponte desinat, & si hoc non fieret, facilius tamen in leviori hepatis vulnere vasa obstrui ac in aliis possunt partibus. Partim ob pauca præsentia vasa arteriosa (§. 35.) & hinc minorem sanguinis impetum fluxumque tardiorem, partim ob sanguinis spissitudinem, & hinc ad coagulum proclivitatem vel levissimo adstringente admoto. Alia autem graviora symptomata ex leviori ejusmodi vulnere in se spectato provenire nequeunt, cum hepar ob nervorum penuriam non tantum viscus cum aliis comparatum minus sensile sit, sed & ad leve vulnus levis injectio balsamica sæpius sufficiat, ut graviora præcaveri queant symptomata aut si etiam acciderint (cum ob variam vulneratorum dispositionem vulnera hepatis raro sine omni eorum insultu curentur) medelam tamen admittunt, testante hoc ipso casu.

§. LVII.

Speciosius argumentum alii desumunt à principiis bilis resolutionem præstantibus, & hinc nutritionem & consolidationem impedientibus. Ast & ad hoc respondere non difficile erit. Admotis enim debitis adstringentibus vasa bilaria æque ac vasa sanguifera obstructa bilem ex ejusmodi vasis stillantem præcludunt, cumque post vulneris maturationem in vasis sanguiferis sanguis coerceri possit, in vasis quoque bilariis bilem occludi posse sole meridiano clarius est.

§. LVIII.

Accedit experientia propria & aliorum. Ad propriam, quæ tertia vice confirmata est, testes provoco, Patronorum & amicorum vel meorum,

vel

vel Rœderi noſtri minimum triginta plurimoſque adhuc præſentes, qui oculis ſuis & hepatis vulnus & medelam inſpicere potuerunt. Ad aliorum potius in propria cauſſa experientiam virorum prima laude dignorum provocare placet.

§. LIX.

Partis III. decadis I. caſus III. in medicina conſultatoria Hoffmanni reſponſum facultatis medicæ Halenſis pro more eleganter & ſolide elaboratum legitur, ſupra jam laudatum de vulnere hepatis ſuperveniente purpura alba ægro undecimo die mortuo. Neque tamen vulnus lethale ibidem judicatur, experientiæque & rationis ſuffragio confirmatur, ægrum purpura epidemica tum temporis mortuum, ubi etiam plures citantur auctores.

§. LX.

Hildanus centuria II. caſu 34. hominem febri maligna mortuum memorat, qui ante obitum querelas egit multas, quod nunc duorum medicorum induſtria reſtitui non poſſet, cum ante aliquot annos ſolius chirurgi opera tanto hepatis ſanatus eſſet vulnere, ut fruſtum ipſi hepatis fuerit abſciſſum. Poſt mortem veritatem ex cicatrice in hepate inventa dicerunt medici, antea dubii hærentes.

§. LXI.

Ammannus in medicina critica caſu 61. facultatis medicæ Lipſienſis affert reſponſum, ubi chirurgus inſcitiæ accuſatur, vulnus hepatis per accidens lethale habetur, & varia quoque refert exempla reſtitutorum vulneratorum in hepate, imo qui fruſta hepatis amiſerint. Poſſemus ex Betino, Quercetano, Foreſto, Glandorpio, Budæo aliiſque varia adhuc producere, niſi ſuperfluum id videretur, cum autores hi in plurium manibus ſint, & vix unus & alter ex medicis forenſibus ſuperficiaria hepatis vulnera lethalia proclamaverit.

§. LXII.

Addo duo experimenta, quæ hoc ipſo anno in canibus feci, præſentibus viginti & pluribus amicis, ubi alteri hepar per vulnus abdominis protractum cum forfice ad digiti latitudinem diſcidi canemque ſanavi, & poſt aliquot ſeptimanas trucidavi, amiciſque commonſtravi vulnus optime ſanatum. Alteri per abdomen apertum hepati protracto fruſtum abſcidi, ad magnitudinem avellanæ minoris, iisdem præſentibus amicis. Canis hæc ſanata bis jam partum edidit, nullique alacritate cedit.

§. LXIII.

Landesbibliothek Oldenburg

§. LXIII.

Hepar autem brutorum ejuſdem ſubſtantiæ atque officii cum humano eſſe quis negat? cur tamen idem felicius ſanari deberet, ac in homine optimæ alias ſanitatis, optimique temperamenti? Eadem quoque bilis adeſt in canis ac in hominis hepate, nec tamen nutritionem impedire, & hepar corrumpere eandem ipſa hæc teſtantur experimenta.

§. LXIV.

Accedit quod homo regimine ad id curæ genus neceſſario cum ratione uti poſſit, bruto id negligente, homo internis etiam medicamentis optime poſſit contra fatum muniri, quæ bruta cum quiete neceſſaria reſpuunt.

§. LXV.

Vulnera igitur hepatis profunda vaſa majora ſanguifera lædentia nec non ductus cholidochi & hepatici, graviora ligamenti hepatis ſuſpenſorii majoris, ſunt per ſe & abſolute lethalia. Superficiaria autem & ea, quæ veſicam felleam, aut porum bilarium aut ligamentum rotundum, aut illud, quod ad cartilaginem enſiformen tendit, lædunt, non lethalia; ſed ſi funeſti quid acciderit, per accidens tamen vulnus lethale judicandum erit.

§. LXVI.

Hæc ſunt, quæ de cura vulneris & diſquiſitione ſpeciali in lethalitatem vulnerum hepatis in medium proferre volui, nec dubito fore pleroſque, qui mecum conſenſerint, brevi de aliis vulneribus fuſius diſſerturus.

§. LXVII.

Unicum monere liceat, quod à variis auctoribus ventilatà ſint vaſa hepatico-cyſtica, quippe quæ immediate ex vena portæ in veſiculam felleam bilem deferrent, ductum cyſticum prætergreſſa. Et hinc dubium oriri poſſet de lethalitate, læſi ductus hepatici. Ii enim, qui aſſumunt vaſa hepatico-cyſtica, nobis objicere poſſunt, tantum bilis in veſiculam felleam per ea ſecerni, quantum ad perficiendam chylificationem in duodenum derivari debet, hinc ductum hepaticum abſque lethalitate diſcindi poſſe. Reſpondetur autem quod (1) nondum evictum ſit, dari ejuſmodi vaſa hepatico-cyſtica, de quo Heiſterus in nota XVIII. fuſe differit, cum plurimos hujus rei ſtatores ramuli ſanguiferi ad tunicam vaſculoſam veſiculæ felleæ abeuntes deceperint, (2) ſi etiam concedimus, in plurimis tamen ſubjectis eadem

abesse accuratissimorum anatomicorum suffragio confirmatur, & bobus hæc ipsa saltem attribuuntur. (3) Hæc tamen non sufficiunt ad tantam bilis quantitatem in vesiculam felleam secernendam, quæ satis esset ad aliqualem repletionem vesiculæ felleæ, ut inde per pressionem, tempore chylificationis, quantitas sufficiens in duodenum derivari possit. Hinc utique lethalitas læsi ductus hepatici sive præsentibus sive absentibus iisdem vasis satis patet.

FINIS.

CXXXI.

DISSERTATIO

EXHIBENS

UTERUM GRAVIDÆ UNA CUM FOETU VULNERATUM.

Auctore

J. MARTINO REICHARD.

Argentor. 1735 Auguſt.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

PRÆFATIO.

Quemadmodum summus rerum opifex in creatione humani generis infinitam suam misericordiam, atque omnipotentiam satis abunde manifestavit, ita non minus illam in conservando eodem quotidie adhuc testatam facit. De qua mirabili conservatione præcipui testes esse possunt medici, quibus nimirum sæpius stupenda periculosissimorum, & prorsus incurabilium visorum affectuum, nihilominus sanatorum, exempla obveniunt, ita ut cæcus esse debeat, qui non digitum Dei Omnipotentis subesse animadvertat. Missis jam affectibus internis, ex quibus quandoque ægri contra omnium spem feliciter evadunt, tantum de vulneribus dicam, quæ ab observatoribus tanquam admiranda prodigia literis consignata sunt. Sic rarioribus annumerandum est, gladium totam thoracis, vel abdominis cavitatem penetrasse, absque ulla partium nobilium contentarum læsione, quasi, *ut Pechlinus* in Ephem. Vuln. Thorac. p. 3. *monet*, e machina adesset Deus, aut ictuum moderator Genius, quo in grave quidem, sed non protinus lethale, vulnus nocendi transiret libido. *Fuerunt aliqui, qui a profundo pulmonum vulnere, alii, qui a ventriculi, intestinorum, vesicæ &c. gravioribus vulneribus convaluerunt: imo dantur monstrosa ac plane miraculosa exempla hominum, quibus cerebrum sine vitæ dispendio transfossum est. Cujus generis casum aliquem jam suo tempore annotavit Galenus* de usu Part. L. 8. C. 10. *de adolescente, qui, vulnere in alterum anteriorum ventriculorum cerebri accepto, superstes mansit: quod ipsum aliis adhuc exemplis confirmat Wedelius* in Diss. de fundam. lethal. Vuln. *ubi testatur: cerebrum vulneratum, & frusta integra ex eo exemta esse, ægris evadentibus tamen. A quibus vero exemplis, quia ad rariora & contingentia ex divina voluntate pertinent, non licet facere inductionem, tanquam a particulari aliquo ad universale.* Uti enim, *bene monente Wedelio*, centum veneno potionatis, si unus evaserit, nemo inducetur, ut credat, innoxium & sibi fore venenum, ita & hic res se habet. Hinc non de nihilo quidem est, sed operæ pretium & illa annotare, & in fastos medicos referre, aft cum grano salis potius illa legenda, cum pia reverentia Divini numinis, quam temeraria illatione. *In quorum miraculosorum casuum classem etiam præsentem, de quo agere mihi constitutum est, referendum esse, nemo dubitabit, cum singularis Dei providentia tam in matre quam fœtu satis conspicuam se reddiderit. Maxime igitur dignus mihi visus fuit, quem Thematis Inauguralis loco eligerem, ac annotationibus quibusdam breviter illustrarem. En itaque ejus historiam admirandam, cujus completum diarium B. L. tradere, ac symptomata, quomodo de die in diem se invicem insecuta sint, una cum remediis convenientibus tam internis quam externis adhibitis exhibere equidem possem; quia vero cancellos, quibus Dissertatio mea*

includi debet, transcendere nolui, illam tantum in compendium redactam sisto. Faxit Divina Clementia, ut labor, quem suscipio, cedat in sanctissimi sui nominis gloriam, & proximi emolumentum.

HISTORIA.

ANno 1733. d. 16. Novembr. Uxor Cauponis cujusdam, in oppidulo Episcopi Villa, Germ. *Bischweiler* dicto, duo milliaria ab hac urbe distante, temperamenti sanguineo-cholerici, ætatis annorum circiter triginta, & jam aliquot liberorum mater, in fine ultimæ graviditatis, cum jam octo dies ultra computum suum numerasset, in alio hospitio, ubi cum marito in amica & jucunda societate lætabunda cœnavit, ab ebrio quodam interveniente, post aliqua verborum litigia, ictu sclopeti minoris, *Pistohl* nominati, globulis plumbeis, quos *Schroot* & *Posten* vocant, admodum onusti, per apertam fenestram percussa ita vulnerabatur, ut plures globuli in scapulam sinistram, brachium sinistrum, & infra illum, nec non in coxam ejusdem lateris, ut & unicus in manum dextram penetraverint, qui, licet plerumque tam profunde se immerserint, ut instrumentis effodi non potuerint, levia tamen & carnosa tantum vulnera inflixerunt. Præter hæc vulnera leviora præcipuum reperiebatur in latere abdominis sinistro, circa illam regionis hypogastricæ partem, ubi operatio paracenteseos institui solet, latitudine manus sub umbilico, oblique versus dextram, cujus finis cum specillo scisitatorio non potuerat attingi. Non obstantibus vero tot vulneribus vulnerata se vulneratam esse ignoravit, donec sanguinem, cujus magnam copiam perdiderat, in terra & vestibus animadverteret: quo viso etiam in lipothymiam incidit, mox tamen ad se ipsam rediit. In auxilium medicus ordinarius Dn. Lt. *Geissel*, amicus meus singulariter æstimandus, cujus præmaturum obitum lugeo, atque chirurgi illius loci vocabantur, qui, dum inter scisitandum fœtorem quasi excrementorum perciperent, & vomitum, quem vulnerata statim post læsionem passa est, alius post factam explorationem subsequeretur, metum læsi alicujus intestini concipiebant, qui vero, cum fœtor sub ulteriori exploratione cessaret, rursus evanuit: rediit interim alius vomitus, quem, quum V S. nem administrare vellent, motus ad partum excipiebant, perque totam noctem continuabant. Altero mane, hora septima, doloribus partus paulum remittentibus, patiens de vago dolore abdominis pungente querebatur; post horæ vero semiquadrantem dolores partus denuo fortiter, sed per pauciſſimum temporis spatium, urgebant; mox enim membranis fœtum cingentibus ruptis, aquisque intus contentis effluxis, paulo post, & momento citius, sanum ac bene formatum filiolum in lucem edebat. Dum vero adhuc inter spem & metum de læso quodam

dam inteſtino verſarentur medentes, emplaſtrum vulneri abdominis ſuperimpoſitum probe inſpiciebant, an ſub niſibus ad partum nihil de fœcibus alvinis ſe illi appoſuiſſet, quod, cum non animadverteretur, omnem læſionis hujuſmodi timorem prorſus fugavit. Sed mox, ubi læſio quærenda eſſet, innotuit: nempe recens nato infante conſueto balneo à ſordibus adhærentibus abluto, vulnus à globulo plumbeo ciceris majoris magnitudine inflictum ſuper infantili dextri lateris clavicula in conſpicuum venit, ex quo fruſtulum linteaminis induſii materni vi machinæ igniyomæ decerpti, ac illuc delati, extrahebatur, globulus autem demum 24.to ejuſdem menſis ex cute fere papyracea facta exſcindebatur. Clarum igitur & manifeſtum hinc fiebat, globulos à ſclopeto explosos non tantum per integumenta & muſculos matris, ſed etiam per ſubſtantiam uteri in cavum ejus, penetraſſe, ac membranas perforando, ipſi incluſo fœtui vulnus inflixiſſe. Poſt hanc gravem vulnerationem vulnerata ea, quæ ſequuntur, ſymptomata ſucceſſive plus minuſve paſſa eſt: ratione mentis illa erat admodum tædioſa, & inquieta, cum ſomno interrupto: ſenſus fuerunt hebetati; patiens objecta externa minus curabat: loquebatur quidem multa & varia, ſed ſine delirio. Ratione corporis dolorem capitis obtuſum ſentiebat, cum æſtu, & calore febrili, qui noctu præcipue augebatur, & ſitim ingentem pediſſequam habebat: interveniebant phlogoſes: pulſus admodum variabat, illo mox forti, celeri, frequente & duro, mox inæquali, mox tremulo, interdum plane intermittente, exiſtente: urina erat intenſe rubra, cum nubecula alba fundum petente: facies conſpiciebatur pallida, quandoque tenuis, & quaſi Hippocratica: pectoris magna erat anguſtia: lac magna copia in mammas infuſum iterum diſcutiebatur, infante nutrici tradito: in manu uſque ad cubitum ſenſus formicationis percipiebatur: manus & ungues pallebant, ac tendinum quandoque ſubſultus animadvertebantur: dolor ante partum vagus poſt illum in loco ſtato atque fixo ſub umbilico ſentiebatur: & quemadmodum parturiens poſt vulnerationem aliquoties vomuit; ita poſt partum vomitus reiterabantur, cum quorum uno vermis ſimul ejiciebatur. Abdominis tumor, fœtu licet excluſo, magis magiſque increvit, & alterna vice iterum decrevit: flatus anoterici ſæpe aſſurgebant: borborygmi murmurabant, & diarrhœa, quæ d. 18. Nov. incepit, ad 24. ejuſdem puerperam defatigavit, ita interdum, ut una nocte ſex ad novem ſedes tam æruginoſas, quam bilioſas dejecerit, cum teneſmo, & ardore inteſtini recti, nec non virium ſumma proſtratione: lochia ab initio inſufficienter & grumatim ſaltem prodeuntia poſtea penitus ſuppreſſa d. 1. Dec. redierunt, & uſque ad ultimum ejuſdem & menſis & anni diem, ſæpius licet interrupta, fluxerunt: ſudor largus, iſque primus, quem in tota vita experta eſt, aliquot poſt partum diebus erupit, cujus ſuppreſſio præcordiorum anxietates & dolores abdominis produxit: vulnus ipſum, quod nunc parcius, nunc longius, ſuppurabatur, & eſcharam formabat, dolori-

lorificum fiebat: varices iliacarum externarum in geſtatione geniti, & negotio partus peracto evaneſcentes, nono puerperii die rurſus intumuerunt: appetitus erat mox bonus, mox nullus: febris, quæ hactenus continuæ ſimplicis genium habuit, Typum tertianæ continuæ d. 26. Nov. aſſumſit: tuſſis præcedebat purpuram, cujus puſtulæ tam albæ pellucidæ quam rubræ d. 28. ejud. cum euphoria eruptæ d. 5. Dec. exſiccari cœperunt, cum virium & appetitus reditu. Eodem die annotabatur intumeſcentia in parte exteriori vulneris admodum dolorifica, cum inſignibus ventris doloribus comitata, ac per totam noctem vulneratam valde inquietam reddens. Subſequebatur tandem d. 6. Decembr. ſub alvi exoneratione e vulnere effluxus materiæ purulentæ, & ſanguinolentæ, fontis ſalientis inſtar, quantitate menſuræ unius cum dimidia, cujus acredo nulla, conſiſtentia non nimis tenuis, fluxilis tamen fuit, ratione odoris ab initio intolerabilem fere fœtorem ſpargens, poſtea minus olens, & ratione coloris albicantior, quoad conſiſtentiam magis cocta apparens; hinc vulneris apertura turunda ex rad. gentianæ claudebatur. A tam larga vero puris excretione puerpera nullo modo delaſſata fuit, pulſu manente æquali, appetitu bono, & mole abdominis vix aliqualiter imminuta. Ante excretionem materiæ dolorem in vulneris cavo admodum urentem ſentiebat. Vulneris inciſio tanquam ſumme neceſſaria quidem proponebatur, ſed vel leviſſima etiam ab ægra rejiciebatur. Sic quoque conſilium decubitus in latus ſiniſtrum, pro materiæ effluxu promovendo, non adeo ſtricte obſervatum eſt. Decocta duo, quæ eodem ſcopo injecta ſunt, nihil puris educebant, intus retenta; die vero 10. Dec. tumor quaſi novus & mollis, ad tactum dolens pollicem ſub apertura vulneris apparuit, & haud multo poſt materiæ effluxus largiſſimus rediit, qui impoſterum ita continuabat, & variabat, ut omnibus fere diebus aliqua, ſed mox in parca, mox larga, mox largiſſima copia, materiæ portio evacuaretur, variante ſimul colore, odore, & conſiſtentia. Obſervatum quoque fuit, quod ægra hunc effluxum inclinatione corporis promovere potuerit. Quumque propter continuo ſtillantem materiam juſtus de fiſtulæ in parte vulnerata generatione metus conciperetur, inciſio denuo commendata eſt, quam vero ut permitteret ægra, nullis argumentis potuit perſuaderi. Circa initium ſequentis Anni 1734. materia quædam mucido tenax ex utero profluxit. Medio Januarii prima iterum vice, præcedente horrore febrili, & tranſpiratione ſatis larga, menſes experta eſt, quos mucida fluxio uterina excepit, quæ vero circa finem hujus menſis una cum febricula hactenus ipſam tenente ceſſavit, ita ut Orthoſtadia facta munia domeſtica ſubire potuerit. D. 4. Februarii vexata fuit motibus febris catarrhalis, tunc temporis epidemice graſſantis, mox largo ſudore ſolutis. Purgationes menſtruæ tam hoc menſe, quam ſequentibus, rite & ſtatuto tempore perficiebantur, id vero notatu digniſſimum eſt, quod tunc pars ſanguinis menſtrui una cum pure ex vulnere emanaverit, quod ipſum phænomenon tamen,

licet

licet menſes adhuc hodie legitime fluant, non ſemper obſervatum eſt. D. 13. April. huc loci ſe contulit, ac diverſa diverſo tempore à medicis atque chirurgis conſilia expetiit, à quibus vulnus fiſtuloſum repetitis vicibus examinatum, ac deprehenſum eſt, quod materia ex illo effluxerit quandoque fœtida, quandoque odoris expers, quoad conſiſtentiam mox bene cocta, mox lacti ebutyrato ſimilis, una etiam vice eſcharæ longitudinis minimi digiti, & latitudinis articuli ſpeciem præ ſe ferens, qui ipſe puris effluxus per compreſſionem abdominis in latere oppoſito promoveri potuit. Reſpectu ipſius fiſtulæ annotata longitudo ſex ad ſeptem pollicum, cavitas latitudine varians, in parte ſcil. antica, & poſtica, paulo amplior exiſtens, in medio vero, circiter ſub linea alba, tam anguſta, ut ſtylus vix, ac non niſi obſervata illa encheireſi, ad quam calculi veſicæ ſcrutatores attendunt, intrudi potuerit: deinde ratione directionis fiſtula erat tranſverſalis, paululum aſcendens, & interiora abdominis petens, mox aliquatenus deſcendens, & tandem iterum verſus ſuperiora vergens, ita ut fiſtulæ extremitas ſeu fundus in ileo dextro ſit, ubi ſtylus immiſſus per integumenta digito tangi poteſt, & ratione altitudinis orificium fiſtulæ ad aliquot lineas ſuperet. Ipſe quoque uterus per vaginam tam digito quam ſpecillo exploratus eſt, & mediante illo orificium reſpectu vaginæ rectilineum, ac ad omnia latera fere immobile deprehendebatur, mediante vero ſtylo ſciſcitario uſque ad fundum uteri intruſo explorabatur, an aliqualis motus communicationis reciprocus inter hunc & ſtylum fiſtulæ inditum percipi poſſet, ſed nulla communicatio detecta eſt. Rebus igitur ſic ſtantibus, cum nulla ſine inciſione perfecta cura ſperanda eſſet, eo magis, cum introitus fiſtulæ admodum anguſtus præmaturæ coalitionis metum injiceret, & ſtylus in fundo fiſtulæ manu externe tangeretur, inciſio illa, quam Galli *contr'ouverture* nominant, commendata eſt, cui vero, cum in anteceſſum certiſſima per eandem obtinenda reſtitutio promitti nequiret, cannulam flexilem ex auro fabrefactam cannulæ plumbeæ, quam hactenus in vulnere fiſtuloſo geſtavit, ſubſtituendam, & repetitas injectiones balſamicas, ac mundificantes præferre maluit, quibus in hunc uſque diem tanto cum ſucceſſu uſa eſt, ut cannula jam tertia vice decurtatione opus habuerit, ipſaque ab illo tempore bene ſe habuerit, uſque dum circa finem præterlapſi anni denuo febre miliari epidemice graſſante corriperetur, eaque tam graviter laboraret, ut nemo non de ſalute ejus deſperaret, ſed ſingulari Dei gratia ex hoc etiam periculo evaſit, & adhuc dum, excepto continuo & moleſto puris per cannulam auream effluxu, integra valetudine perfruitur.

Landesbibliothek Oldenburg

CAPUT PRIMUM.

Vulnerum uteri lethalitatem examinat.

§. I.

QUandoquidem de quodam uteri vulnere ſpecialiori, eoque rariori, agere mecum conſtitui, haud abs re futurum arbitror, ſi antea quædam de vulneribus, eorumque lethalitate in genere præmiſero, quo eo melius deinde de particularibus judicium formari poſſit. Eſt vero *vulnus morbus ſolutæ unitatis, recentis, & ſanguinolentæ, in partibus mollioribus, a corpore duro, acuto, & moto.*

§. II.

Differunt autem vulnera multifariam, multiſque modis: quæ differentiæ deſumuntur vel à *forma*; quo ſenſu dantur vulnera magna, & parva, ſuperficialia, & profunda, recta, & obliqua, ſimplicia, atque compoſita &c. Vel à *cauſis*, ſeu inſtrumentis lædentibus; quædam enim cæſim fauciant, quædam punctim; alia contundendo, rumpendo, mordendo, dilacerando, corrodendo, unitatem ſolvunt: alia ſunt ſclopetaria, venenata &c. Vel dividuntur iſta ratione ipſarum *partium læſarum*; quo reſpectu alia ſunt *externa*, quæ artus & ſuperficiem corporis tangunt, alia ſunt *interna*, quæ partes nobiliores internas fauciant. *Externa* ab Antiquioribus in varias ſpecies ſubdiviſa ſunt, nempe (1) cuticularia, *Blutrünſtige Wunden*, quæ cute ſaltem rupta à ſtillante ſanguine madent. (2) carnoſa, *Fleiſchblutende offene Wunden*, quæ diſciſſis muſculis hiatum quendam carnis vel mox ab initio, vel poſt apertum tumorem, producunt, (3) athletica, *Kämpffer und Lähmende Wunden*, de quibus pluribus conferri poteſt *Ammannus* Med. Crit. Caſ. 17. Huc pertinet illa de externis vulneribus diſtinctio, quæ apud chirurgos Argentinenſes in uſu eſt, dum diſtinguunt inter *Null, kleine Wunden, oder kleine Blutruntz, und groſſe Wunden, oder groſſe Blutruntz*, ac per iſtud tantum leviſſimam vulnerum carnoſorum, & contuſionum ſpeciem intelligunt, per illa vero; *Wann ein arm, oder bein entzwey geſchlagen, daß aber keine lähmung darauf folgt, oder anderer Leibs-Schaden*, & per hæc: *wann ein arm oder bein davon zu kurtz worden, oder eine lähme, oder anderer Leibs-Breſten erfolgt.* Quod interna vulnera ſpectat, illa ſunt majoris momenti, atque funeſtioris eventus: etenim maxima etiam eſt differentia vulnerum, ratione prædicendi eventus, tam boni, quam mali; hinc enata eſt diviſio

inter

inter vulnera *tuta* sive *levia*, ad quæ imprimis exteriora illa pertinent, de quibus modo dixi; *periculosa*, quæ medio loco se habent; & *lethalia*, quæ magis ad mortem, quam salutem hominis tendunt.

§. III.

Hæc vulnera lethalia iterum distinguuntur in vulnera *per se* & *per accidens* lethalia. Vulnera per se lethalia deprehenduntur vel (1) *ex necessitate*, *simpliciter*, *absolute* & καθ' ἐξοχήν talia, i. e. quæ ex nuda aliqua materiali necessitate, semper, brevi, & sine alterius causæ interventu, mortem causantur, & cum tota peritia Hippocratis, & Galeni curari non possunt; vel (2) non necessario, sed *utplurimum* tamen & frequentius *lethalia* i. e. quorum curatio ut plurimum male succedit, quæ tamen non semper interficiunt, vel quæ exemplis quibusdam contra omnium expectationem sanata demonstrari possunt, communiter tamen cum lethifero eventu se determinant. *Per accidens* lethalia sunt, quæ curari potuissent, nisi hoc vel illud interveniisset, quod tamen non essentiale isti læsioni fuit, sed accidentale vel committendo, vel omittendo advenit.

§. IV.

Neque silentio præterire possum illam distinctionem, quam faciunt inter vulnus *lethale* & *insanabile*. Quid per illud intelligatur, jam explicitum est. Hoc vero duplici sensu sumitur, quatenus interdum vulnus sanabile ex incuria medicorum & chirurgorum, aut ægrotantis, & adstantium, erroribus insanabile redditur, vel quatenus, omni licet necessaria industria undique adhibita, in se & sua natura insanabile est, & manet, vulnerato nihilominus per plures annos superstite; & interdum plane ex alia causa, quam insanabili vulnere, succumbente e. g. quando vulnus intestinorum in fistulam degenerat, per quam fæces alvinæ per multos annos excernuntur. Circa has vero divisiones notandum est, quod mire inter se confundantur. Sic quidam vulnus utplurimum lethale cum illo per accidens lethali male commiscent: alii vulnus per se lethale, & illud, quod simpliciter & absolute lethale nominatur, perperam conjungunt, cujus tamen veram differentiam aperte demonstrat Illustre olim Lipsiensium Sidus *Bohnius* in aureo Tract. de Renunc. Vuln. cap. 2. qui propterea ad evitandam hanc confusionem, & ne homicidarum defensoribus occasio detur, medicorum interpretationes distorquendi, consultius fore putat, vulnera tantum in per se & per accidens lethalia distinguere. Quo tamen respectu terminus *absolute lethale* in certis casibus admitti possit vid *Zittmanni* med. forens. p. 700. seq. Dolendum vero est, in tali judicio confusionem regnare, ubi non de Lana Caprina, sed de sanguine

humano agitur. Conf. *Tulpius* Obſ. L. 4. c. 7. qui conſcientioſe hac de re loquitur.

§. V.

Fontes, ex quibus certa indicia & ſigna prognoſtica lethalitatis in genere hauriuntur, non quærendi ſunt in vana de dierum criticorum præſertim noni, in vulneribus efficacia, doctrina, uti quidam errore populari decepti terminum lethalitatis ad certum diem aut reſtringunt, aut extendunt, quem ſi non attigerit vulneratus, vulnus pro abſolute lethali habendum, quem vero ſi ſuperaverit, vulnus ex lethalium claſſe eximendum ſtatuunt. In qua erronea ſententia fuit Celebb. Medicorum Biga, *Wedelius in Diſſ. de fundam. lethal. Vuln.* & Welſchius *de Vuln. lethal. c. 6. Quam* quæſtionem D. D. *Knauth in Diſſ. de efficacia dierum criticorum in Vul. de lethalitate dubiis* ſub præſidio modo laudati *Wedelii* habita eruditis ventilandam propoſuit, ac ſolide demonſtravit: vanum eſſe, & ab indole dierum criticorum penitus alienum, in determinanda vulnerum lethalitate vel illethalitate quicquam illis efficaciæ tribuere. Cum quo conſentit *Detharding Diſſ. de neceſſ. inſp. Vuln.* Potiori jure illa indicia ex aliis circumſtantiis deſumuntur v. g. ex vulneris quantitate, qualitate, & figura, nec non partis vulneratæ textura, ſitu, & uſu, atque ipſius vulnerati ætate, corporis naturalis diſpoſitione, morbis antecedentibus, vel præſentibus, aut demum ſupervenientibus ſymptomatibus; *confert* enim juxta *Celſum Lib. 5. Cap. 26. aliquid & ætas, & corpus, & vitæ propoſitum, & anni tempus, quia facilius ſaneſcit puer, vel adoleſcens, quam ſenior, valens, quam infirmus, neque nimis tenuis, nec nimis plenus, quam ſi alterum ex his eſt, integri habitus, quam corrupti.* Singulas vero haſce circumſtantias non examinabo, quia inſtituti mei ratio illud non poſtulare videtur, ſed remitto Lectorem ad medicos Forenſes, qui eas ex profeſſo examinarunt, imprimis *Bohnium l. c. cap. 3. & Teichmeyerum Med. Legal. Cap. 22. Qu. 4.* tangam modo ratione qualitatis, quia propius ad ſcopum meum accedit, *armorum genus*, quibus vulnera infliguntur, aſſerendo, quod vulnera ab *inſtrumentis ſclopetariis* inflicta præ reliquis fatalia, atque periculoſiora ſint, non quidem ob hanc rationem, quod iſta ſint *venenata*, & quæcumque globis ſclopetariis facta vulnera aliquod empyreuma ex pulvere pyrio, vel globis plumbeis impreſſum, quod *ambuſtionem* dicunt, habeant, uti quidem voluerunt *Alph. Ferrius* Neapol. Tr. *de Archibuſorum vulneribus*, & J. F. *Rota* Bononienſis *de belli tormentorum vulneribus*, quos vero L. *Botallus*, Aſtenſis, *de curand. vuln. ſclop.* multis argumentis in contrarium prolatis refutavit, quæ argumenta collegit, pluribuſque aliis additis ſententiam de venenata globorum ſclopetariorum exploſione feliciter exploſit Feliciſſ. quondam civitatis hujus Practicus H. *Nicolai* in Diſſ. Inaug. *de vuln. ſclopet.* atque docte tam ex pulveris pyrii ingredientibus, nitro, carbonibus, & ſulphure, quam

quam ex ipsa materia glandium demonstrat, nullum eorum quicquam in se veneni habere, & ambustio etiamsi aliquando sclopetorum vulnera comitetur, hoc tamen non per se, sed tantum per accidens obvenire, quod proinde ad essentiam rei non pertinet: sed potius majus, quod hisce vulneribus inest, periculum dependet à summa glandium rotundarum emissarum violentia, qua partibus, in quas impingunt, penetratis, cutem, carnem, vasa, & ossa collidunt, contundunt, ac vehementer dilacerant, atque, quoniam parum sanguinis, nisi vasa majora lædantur, effluit, sanguis stagnat, & sic doloribus, inflammationibus, gangrænæ, & sphacelo, viam facilem sternit. De qua eminenti & periculosiori, ratione dictorum effectuum, sclopetorum qualitate, præ aliis instrumentis acutis, & minime conquassantibus, fusius agit *Bohnius l. c. c. 3. p. 39.*

§. VI.

Fontes vero, ex quibus in specie certa indicia, & signa lethalitatis per se talis prognostica depromuntur, sequentes esse possunt. I. Quæcumque vulnera corporis nostri organum, vel partem ad vitam simpliciter necessariam notabiliter, atque profunde, lædunt, ejusque actionem tollunt, vel instrumenta ad nobiliorum organorum functionem necessaria destruunt. II. Quæcumque vulnera enormem effusionem sanguinis, & reliquorum humorum vitalium, post se trahunt, vel uno impetu, vel successive, & quidem in loco inaccessibili, qui nullam medicamentorum, imo ne manuum quidem applicationem admittit. III. Quæcumque vulnera primo aspectu mox periculosa habita, & omni cum cura, ac solertia, à medico, chirurgo, adstantibus, ægroque ipso tractata sunt, & nullo plane præcedente errore nihilominus funestum sortiuntur eventum, hæc omnia per se sunt lethalia, quia sine alterius causæ interventu, proxime, per se, & immediate, mortem causantur.

§. VII.

Hisce de lethalitate vulnerum generaliter præmissis, quærendum nunc esset, *ad quamnam speciem lethalitatis vulnera uteri sint referenda?* Antequam autem hanc quæstionem decidam, visceris hujus aliqua præmittenda erit descriptio, non quidem ex omni parte absoluta, quippe à tot Celebb. Anatomicis multoties tradita, sed talis dumtaxat, quæ scopo meo conformis sit. Scopo autem meo conforme est, ut exhibeam differentias, quæ intercedunt inter *uterum non gravidum*, & *gravidum*, non tamen omnes, sed itidem istas tantum, quæ eidem scopo conveniunt. Ut igitur à *situ* incipiam, uterus non gravidus in pelvi inter vesicam & intestinum rectum situs est, vel potius delitescit, ita, ut ossis sacri initium non transcendat: quando vero gravidus redditur, mirum quantum assurgit,

sic, ut fundus ejus postea ad umbilicum, & quandoque ulterius extendatur, ac totam pelvim non modo impleat, sed etiam intestina tenuia, & reliqua viscera sursum reprimat.

§. VIII.

Secundo loco ratione *capacitatis* admodum differunt; uterus enim, qui ante imprægnationem angustissima cavitate donatus fuit, & vix fabam majusculam capere potuit, ille post imprægnationem tantam acquirit capacitatem, ut plures sæpe fetus in eadem hospitari possint, de quo memorabilis est historia *Hildani* de muliere, quæ una vice novem, altera duodecim fetus edidit, & ad genua usque propendentem habuit uterum, quem in fasciis collo humerisque appensis gestare coacta fuit. Sic etiam in graviditate spuria uterus quandoque insigni aquarum & molarum copia repletur, uti Dexterrimus Universitatis hujus Anatomicus H. A. *Nicolai*, præmatura eheu! morte nobis ereptus, Præceptor, atque Patronus meus etiam post cineres colendus, viduæ hujus loci sexagenariæ uterum stupenda distensione cartilaginem Xiphoidem attingentem dissecuit, ex quo tanta aquarum profluxit quantitas, ut sedecim mensuras Argentinenses expleverit. vid. Diss. ejus *Decad. Obs. Anat.* exhibentem; ejusdemque laudati viri Celeb. Proavus M. *Sebizius* raram de fœmina quadam Argentoratensi reliquit observationem, quæ ventrem supra modum tumidum ultra decennium habens tum hydrope uterino laboravit, tum uterum molis carnosis numero septuaginta sex refertum gestavit.

§. IX.

Tertio insignis differentia ratione *substantiæ*, & *texturæ* uterinæ occurrit. In statu non gravido uteri substantia est mediocriter dura, albicans, firma, densa atque compacta; in gravidis vero crescente fetu sensim laxior, mollior ac spongiosior evadit: neque spongiosa tantum redditur, sed etiam sinuosa, cellulosa, & multis cryptis, sinubusque referta, in quam peculiarem structuram nemo, uti de se ipso testatur, melius inquisivit *Vatero* Fil. *Diss. de utero gravido*, & *in Epist. ad* Ruyschium, *in qua de musculo orbiculari in fundo uteri detecto gratulatur*, cui vero in Responsione ad hanc epistolam non prorsus suffragatur *Ruyschius*, qui potius uterum, si non in totum, saltem maxima ex parte *vasculosum* esse statuit. Consentiunt vero cum *Vatero*, quos citata Diss. allegat, *Fantonus Anat. Corp. hum.* Dissert. 10. & *Littrius Acad. Reg. Sc.* 1720. quorum vestigia legit *Garengeot. Splanchnol. P.* 1. *cap.* 42. ubi substantiam uteri spongiosam, atque innumeris cellulis, illis, qui in liene adsunt, similibus, refertam esse asseverat. Quod autem compacta uteri substantia in laxiorem & spongiosio-

gioſiorem tranſmutetur, illud ab uterinorum vaſorum & multitudine, & prorſus peculiari decurſu, quam maxime dependet.

§. X.

E vaſis hiſce, quibus præditus eſt uterus, numeroſis, arteriæ ſociatæ venis ab *hypogaſtricis* & *ſpermaticis* vaſis proficiſcuntur : illorum ramificationes ipſum uteri corpus perreptant, & in omnibus ejus partibus internis æque ac externis diſtribuuntur, multiſque anfractuoſis ductibus atque inter ſe plicatis plexubus etiam ad partem inferiorem uteri, nec non ad vaginam, excurrunt : hæc vero in utroque latere, poſtquam ovariis ovuliſque proſpexerunt, per ligamenta lata ad ipſum uteri fundum penetrant, ac non tantum inter ſe, ſed etiam cum reliquis, innumeris anaſtomoſibus juncta ſubſtantiam uteri ductu ſerpentino perreptant : quibus vaſis Celeb. Pariſienſium Anatomicus *Winslous* addit *ligamenta* ſic dicta *rotunda*, quæ, quoniam nil aliud ſunt, quam faſciculi vaſorum, potius *ligamenta vaſcularia* appellanda eſſe ſtatuit *in Expoſ. Anat. Traité du bas-ventre* §. 514. Omnia hæc vaſa adſunt quidem in utero non gravido, differunt tamen maximopere ab iis, qui in gravido utero conſpiciuntur; & primo quidem in eo, quod, cum in virginibus & fetum non geſtantibus fœminis exilia, & minoris amplitudinis ſint, in gravidis poſtea, ubi humores largius ad nutritionem fetus confluunt, tam in longitudinem, quam maxime latitudinem explicentur, ac quaſi in ſinus dilatentur, ita, ut minimi etiam vaſorum ramuli majorem ſtylum admittant; majores vero in tantam amplitudinem dilatatos vidit *Regn. de Graaf. de Org. Mul.* c. 8. p. 130. ut facile digitum in eorum cavitatem immittere potuerit; & *Acta Berol.* An. 1717. Nov. p. 343. Vaſa, quæ extra graviditatem pili craſſitiem habent, in ſtatu graviditatis calami ſcriptorii magnitudinem æquare teſtantur : deinde etiam differunt vaſa ratione anfractuoſi & ſerpentini decurſus, quippe qui anfractus in gravidis majores adhuc cernuntur, & magis explicantur, eum in finem, ut, utero tempore geſtationis mirum in modum extenſo, vaſa ſimul diſtendi queant, abſque tanto diſruptionis periculo, quantum à vaſis in longitudinali linea exporrectis facillime metuendum fuiſſet, uti docte demonſtravit Exc. *Nicolai* Diſſ. *de Direct. Vaſ.* eorumque ſententiam refellit, qui ex admiranda horum flexuum fabrica negotium menſtrui fluxus quatenus menſtrui explicare volunt.

§. XI.

Quemadmodum autem ab hac vaſorum multitudine, anfractuoſo decurſu, & turgeſcentia, Uterus ſpongioſiorem obtinet ſtructuram, ita ex iiſdem cauſis evenit, ut idem viſcus, non obſtante maxima extenſione, non, uti alia corpora, extenuetur, ſed potius incraſſetur; quam vero litem

litem jam meam non facio, contentus, Lectorem ad præcipuos hac in re Antagoniſtas, *Mauriceau*, *Tr. des malad. des femmes groſſes* Lib. 1. c. 4. qui majori extenuationi favet, & ad *Henr. à Deventer Nov. Lum. Obſtetr.* c. 9. qui præ aliis pro majori uteri craſſitie militat, ablegaſſe, & verbulo tantum indigitaſſe, uterum gravidum, quo magis extenditur, eo magis circa fundum & corpus ſuum incraſſari, ſaltem priſtinam craſſitiem retinere, circa orificium autem, quo propius tempus partus accedit, eo plus extenuari. Quo loco non omnino præterire poſſum illam differentiam, quam modo laudatus *Deventer* ex proportione mutationis, quæ intercedit inter uterum gravidum, & non gravidum, ibidem explanavit, in eo conſiſtentem, quod in priori fundus ſupra ligamenta lata extenſione ſua ſuperet octies vel duodecies expanſionem uteri infra ligamenta ſiti, quum in utero non gravido ſpatium, quod inter illa ligamenta & orificium uteri intercedit, bis dimenſione ſua ſuperet illam fundi portionem, quæ ſupra ligamenta poſita eſt. Quæ ipſa clariora redduntur ex figuris uterorum in alterutro ſtatu conſtitutorum loco citato appoſitis.

§. XII.

Denique non omittenda eſt illa differentia, quæ ratione peculiaris *Toni*, ſeu mirificæ illius *vis elaſticæ*, qua uterus præditus eſt, occurrit, quæque dependet à *ſubſtantia carnoſa*, membranis interjacente, multiſque fibris muſcularibus ſtipata, quam *Diemerbroeck* Anat. L. 1. cap. 24. in cadavere puerperæ duodecim, & *Mery* Hiſt. A. R. Sc. 1706. in alius 4 poſt partum horis demortuæ demonſtravit, quamque Accuratiſſimus *Salzmannus*, Patronus atque Præceptor meus ob multa, quæ in me extare fecit, merita, æternum Colendus etiam obſervavit in Theatro hujus Lycæi Anatomico vid. doctiſſ. ejus *diſſ. de utero*. Fibras haſce muſculares *Bergerus de Nat. Hum.* L. 2. c. 1. triplicis generis eſſe aſſerit, nimirum rectas, tranſverſas, & obliquas. *Ruyſchius in Tr. de muſculo in fundo uteri reperto* has fibras ita inter ſe diſtinguit, ut aſſerat, alias confuſo ordine & perplexe uterum perreptare, & verſus cervicem decurrere, alias vero ingenti congerie orbiculatim, imo inſtar retis contextam in uteri potiſſimum fundo conſpici; quam differentiam quoque admittit *Hecquet*, medicus Pariſienſis, in peculiari *de Ruyſchiano uteri muſculo* conſcripta Epiſtola, & Tractatui Gallico. *Remarques ſur l'abus des purgatifs, & des amers*, appoſita: merentur autem notari, quæ de his fibris ſcribit Anatomicorum princeps *Winslow* loc. cit. §. 623. *L'épaiſſeur des parois de l'uterus* paroit *être entrelacée dans l'état de groſſeſſe de fibres particulieres, dont les plus internes étant dans cet état arrangées en maniere de tourbillons, ont donné lieu à M. Ruyſch, d'en faire une deſcription particuliere ſous le nom de muſcle orbiculaire de l'uterus.* Quod uterum non gravidum ſpectat, hæc vis elaſtica in ipſo quidem actu non deprehen-

henditur, sed tantum in potentia adest; rationi tamen consentaneum videtur, ipsi tempore mensium aliquam elasticitatem concedendam esse: dum enim largus illo tempore sanguinis ad uterum affluxus fit, vasa necessario distenduntur, à qua distensione fibræ etiam musculares non possunt non extendi, quæ postea cessante mensium fluxu iterum contrahuntur. Clarius vero, & ad oculum demonstrari potest in utero imprægnato, quippe qui statim hanc vim post factam conceptionem exserit, dum leni compressione ovulum blande amplectitur, quod postquam radices egit, ille deinde incipit expandi, quæ vero expansio non tam ab ovuli intus turgescentis activitate fit, quam potius ob vasorum uterinorum ab humoribus largius eo confluentibus repletionem, indeque factam elongationem: diductis autem à se invicem vasorum propaginibus ubivis substantiæ carnosæ intertextis fibræ musculares iisdem cohærentes etiam à se invicem discedunt, sensimque, accedente fetus incremento, latius diducuntur, ac tandem incredibilem in modum expanduntur, adeo interdum, ut ab excessiva tali extensione uterus plane rumpatur, & fetus ex eodem in abdomen prorumpat, de quo plures casus apud rei medicæ scriptores notati sunt, licet etiam fetus multum ad talem rupturam contribuat. Conf. Diss. D. D. *Pistor* exhibens *fetum e rupto utero in abdomen prorumpentem.* Qua occasione non reticere possum singularem illam uteri rupturam, quæ tactu *duplex orificium* exhibuit, quam D. D. *Fried*, *Reipubl. Argent. Obstetricans Juratus*, *& Practicus Feliciss. Patronus*, *Præceptor ac hospes meus*, *quem Parentis loco venerari pietas jubet*, in parturiente quadam observavit, & cujus causam inde deducit, quod fetus à situ perpendiculari paululum discedens, in partus laboribus, capitis sui pondere, partem lateralem, orificio vicinam, tam diu continua pressione attenuaverit, usque dum aliqua ruptura contigerit, quæ speciem orificii cujusdam artificialis, quod tamen post puerperium rursus obliteratum fuit, efformavit.

§. XIII.

Hanc vero extensionem, vi potentiæ elasticæ factam, insequitur iterum *contractio*, dum scil. partus tempore fibræ distentæ ad rationes distantiarum suarum iterum resiliunt, & sarcinam intus contentam excernunt, qua excreta, & sanguine puerperali abundanter effuso, istæ una cum vasis penitus coarctantur, & ad pristinum parvitatis spatium rediguntur, hoc tamen cum discrimine, ut, cum minor sit musculi uterini potentia ad uteri potentiam comparata, in quantum fibrarum longitudinalium distantia minor facta fuit in musculo uterino, quam in tota ipsiusmet uteri compagine, has quidem fibras fetus expulsioni, illas vero solis secundinis extrudendis destinatas esse *Ruyschius*, & *Hecquet* loc. cit. ac *Vaterus* in Ep. supra allegata statuant, proinde ex hoc fundamento asserant, placentam musculo orbiculari relinquendam esse, siquidem iste proprio co-

natu eandem propellere valeat, nihilque plane periculi à placenta aliquandiu relicta immineat: quam ſententiam uti *Leporinus in peculiari Tract. de hoc muſculo* edito in genere confutavit, ita in ſpecie contra iſtam hypotheſin militat diverſa ſedes placentæ, quæ, licet plerumque & ſecundum naturæ curſum fundo, ejuſque muſculo invento appoſita ſit, ſæpius tamen aliis etiam locis, uti ipſe *Ruyſchius* fatetur, adhæret, ubi veto nullatenus ſoli naturæ relinqui poteſt, præſertim, quando ſitum ſuum ſuper orificium internum obtinet, in quo caſu, quoniam tempore partus, orificio aperto, larga hæmorrhagia uterina exoritur, illius ſeparatio in tantum, in quantum fetus eductio illud exigit, quantocyus fieri debet, ea methodo, quæ in Diſſ. D. D. *Brunneri de partu præternaturali ex placenta ſuper orificium uteri internum* deſcribitur. conf. van *Hoorn* in Libello Obſtetric. *Siphra & Pua* inſcripto P. 1. Cap. 7. Spatium vero illud temporis, intra quod hæc contractio abſolvitur, mirum in modum variat, ita, ut uterus juxta *Regn.* de *Graaf de Org. Mul. cap.* 8. *p.* 128. die poſt partum decimo ſexto, *Deventer* die octavo vel nono, *l. c. cap.* 9. Riolanum *Antropol. L. 6. cap.* 1. viginti quatuor horis poſt partum ad priſtinos limites redeat; ſecundum *Solingen* autem *in Encheir. chir. cap.* 34. & van *Hoorn. l. c. p.* 1. *cap.* 16. *p.* 66. nec non crebriorem experientiam obſtetricalem in pluribus illum ſtatim, & proxime poſt partum ad ſui contractionem reniti, & pervenire, certum eſt.

§. XIV.

Hæc de uteri ſtructura ſufficiant. Regredior jam ad quæſtionem §. 7. propoſitam, ſcil. *ad quamnam lethalitatis ſpeciem vulnera uteri ſint referenda?* Ubi ſtatim ex inſigni, quæ inter uterum gravidum, & non talem, intercedit, differentia, patet, hunc præ illo prærogativam quaſi habere in eo, quod non tam facili negotio lædi poſſit, quia Sapientiſſimus Creator in profundo admodum ſitu eum poſuit, atque oſſeis mœnibus undiquaque circumvallavit, niſi quis illum caſum excipere velit, quo uterus ex parte ſuperna vulneratur, in quo caſu tamen, cum nobiliores uterum circumjacentes partes ſimul lædi neceſſe ſit, iſtius lethalitas per ſe manifeſta redditur. Uteri autem vulnera ſolitaria omnino rariora ſunt, & ſi vas quoddam ſanguiferum magnum eminenter læſum fuerit, per ſe lethalia iſta evadere pronunciat Celeb. Fridericianæ Prof. D. D. *Alberti* Patronus ac Præceptor meus venerandus, Juriſpr. Med. Tom. I. cap. 14. §. 64. Quamprimum vero ſemine virili Arvum hocce naturæ fœcundum redditum fuit, ac ſupra oſſa pubis elevatur, verſus umbilicalem regionem, nemo non videt, illud externis læſionibus atque injuriis quam maxime expoſitum eſſe. Aſt, quo facilius præ altero gravidus læditur uterus, tanto majori cum periculo illius læſiones conjunctas eſſe, ex innumerabili vaſorum in amplos ſinus degenerantium, tamque miris anaſtomoſi-

mosibus inter se communicantium copia, cujus modo aliqualem dedi descriptionem, abunde satis colligi, & tanquam ex vero fonte, qui secundus ex illis est, quos supra indicavi, hauriri posse, plures Authores asserunt, utpote Ill. *Boerhave Aph. de cognosc. & cur. morb.* §. 170. Heister *Chir. cap.* 1. Juncker *Consp. Chir. Tab.* 61. Alberti *l. c.* Bohnius *l. c. S. II. cap.* 5. *p.* 160. quorum postremus vulnera, quæ etiam *extra vasorum majorum diramationes* utero gravido infliguntur, & matri & fœtui lethalia agnoscit.

§. XV.

Quam ipsam sententiam sequentia etiam exempla corroborare videntur, quorum primum invenitur in Tr. gallico, (cujus etiam *Bohnius* l. c. meminit) *l'Art de faire les raports en chirurgie* inscripto, atque à Cl. *Devaux* chir. Paris. edito, *edit. ult-quæ* 1730. *Parisiis prodiit*, *p.* 175. 176. hisce verbis: *Rapporté par moi Maitre Chirurgien Juré à Paris, que ce jourd'hui* 8 *Mars* 1695. *l'on m'est venu chercher avec empressement, pour panser Jeanne Ravichot, femme de Jacques Berthot, dit Jolicœur, soldat au Regiment des Gardes, grosse de huit mois, laquelle venoit d'être blessée d'un coup d'épée au bas-ventre, à trois travers de doigts de l'ombilic, pénetrante dans la capacité, & perçant la matrice, aussi bien que le fœtus contenu en icelle. La blessée étant morte de la perte du sang, avant que j'aye eu le tems de mettre aucun appareil sur la playe, il m'a été ordonné par M. le Commissaire A... sur les neufs heures du soir, de venir faire l'ouverture de son cadavre, au moyen dequoi j'ai découvert, que le coup d'épée porté à la mere, après avoir percé la matrice près de son fond, s'est perdu dans la poitrine du fœtus, & a occasionné un très grand épanchement de sang dans le bas-ventre, ce qui a causé la mort tant à la mere qu'à l'enfant.* Alterum exemplum mihi præbet observatio, quam *Ad. Brendelius E. N. C. Cent.* 3. & 4. *Obs.* 147. inseri curavit de ancilla quadam, quæ, cum ex compressu gravida facta esset, ad evitandam pœnam nefando ausu stylum acutum per vaginam & cervicem uteri aliquoties immittit, eoque cum secundinas, tum in istis inclusum embryonem trajicit, quo facto profusissima hæmorrhagia oborta, subsequente febre intensa, & inflammatione, tandem deliriis correpta ac convulsionibus misere agitata extincta fuit. Merentur legi, quæ hac de re *Clar. Erndtelius in Itinerar. Angl. p.* 91. 92. 93. ex *Guid. Patini* literis, gallico idiomate scriptis Ep. 191. seq. Edit. Paris. 1692. adducit, ubi *Patinus* meminit obstetricis 1660. suspendio publice punitæ, quæ perforato fœminæ cujusdam gravidæ per idoneum instrumentum utero, fetum enecavit, abortum procuratura, ast successu tam infelici, ut correpta convulsionibus mater miserrime expiraverit; quæ nequissima obstetrix in confessione coram criminali judicio pluribus fœminis hoc modo interdum satis feliciter abortum effeciisse fassa est. Probat quoque *Patinus* ex *Tertulliani Lib. de anima cap.* 25. tale instrumen-

tum, quod Ἐμβρυοσφάκτην appellat, jam ejus tempore ad fœtum in utero jugulandum adhibitum fuisse. Quando autem laudatus *Erndtelius* addit: se concipere satis commode nequire, qua ratione vulnerari tam crudeliter uterus, maxime sensibile viscus, queat, salva & superstite matre; tunc facile, quomodo concipi posset, explicare vellem, nisi consultius esset illud æterni silentii sipario involvere, quam palam facere. Et utinam non adhuc hodierno tempore detestandæ hujus methodi exempla prostarent!

§. XVI.

Quemadmodum vero ex hisce exemplis quidam suam de absoluta lethalitate vulnerum uteri, imprimis gravidi, opinionem statuminare annituntur, ita e contrario alii dantur, qui vulnera ejusdem utrinque considerati pro per accidens lethalibus venditare volunt, & quidem sequentibus rationibus inducti: *imo* quia *uterus sit pars non absolute ad vitam necessaria*, sed tantum propagationi sobolis prospiciens, uti *Hildanus* vult, *Resp. ad Deusing.* & *Franckenau Sat. Med. 6. 7*; quod equidem valet de virginibus, quæ nondum menstruatæ fuerunt, ac fœminis, quæ tempus menstruationis jam superaverunt; falsum vero est, si illas intelligimus, quibus menstrua vel actu vel potentia fluxerunt, quippe quarum sanitas & per consequens etiam vita maxime à mensibus, ex orificiis præcipue vasorum uteri ordinate fluentibus, dependet. conf. *Sinibald Geneanthr. L. 4. Tr. 1. cap. 2.*

2°. *Quia uterus plane deficere possit, ac defecerit salva vita*, quale exemplum fœminæ sine utero à nativitate viventis producit *Reald. Columbus de re Anat. L. 15.* Verum à visceris absentia ad ejus necessitatem ad vitam non valere consequentiam, testantur defectus capitis, cerebri, cordis, hepatis lienis, pulmonum, renum &c. quos singulatim annotavit *Franckenau loc. cit.*

3°. *Quoniam uterus per sectionem & ligaturam penitus possit extirpari*, qualia novendecim uteri vel ex procidentia, vel gangræna, vel aliter vitiati totius citra valetudinem exsecti exempla ex aliis autoribus recenset *Casp. Bauhinus App. ad Roussetum* de ὑστεροτομοτοκίᾳ. Qui plures extirpatorum uterorum observationes nosse satagit, plaustra illarum inveniet apud laudatum *Franckenau Sat. II.* it. in E. N. C. hinc inde, nec non ex recentioribus in *Henr.* von *Sanden* Prof. Regiom. Diss. *de prolapsu uteri inversi, ab excrescentia carneo-fungosa in fundo ejus interno, ex potu infusi crepitus lupi enato.* Cui vero volupe est, methodum & omnes in extirpando utero observandas cautelas addiscere, evolvat *Bleguy Zod. Med. Gall. A. 1. M. Dec. Art. Hern. curat. c. 4.* Ast hallucinationem hos Autores commisisse, & portionem tunicæ rugosæ ac laxatæ vaginæ prolapsam, vel excrescentiam carneam e vagina aut utero enatam pro ipsa uteri substantia habuisse, statuit *Bartholinus Hist. Anat. Cent. 2. Hist. 58.*

ubi

ubi notabilem consignavit historiam sub titulo *excrescentiæ uteri prolapsum mentientis.* Cum quo consentit *Job.* van *Mekren Obs. Med. Chir. cap.* 54. Maxime vero deridet *Kerkringius* fabulosas de utero extirpato historias, quod mulieres, quam uteri re vera exsecti credebantur, aliquot annos post pepererint, de quo lepidam historiam recenset *Spicil. Obs. Anat. Obs.* 53. quamvis *Mizaldus Cent.* 1. *Memor.* fœminas cæso utero & vixisse, & concepisse, pro certo asseverare non erubescat. Uterum autem ipsum sine vitæ periculo posse exscindi, perito Anatomico intolerabile censetur, teste *Barbette chir. l.* 1. *c.* 8. & judice *Ruyschio* hæc operatio *plane detestabilis* dicenda est, qui etiam omnes chirurgos serio ab ea dehortatur. *Pertinet* potius *hæc operatio*, (verba sunt Exc. *Salzmanni* Diss. de utero) *quemadmodum etiam illa lienis, & Partus Cæsarei, ad classem istarum, de quibus in theoria ultro citroque facile disputatur, ubi vero ad rem & praxin devenitur, plerumque præstat τὸ ἀπέχειν, siquidem tanta vasorum copia hoc viscus perreptat, ut ejus abscissio, si non lethalis, periculosissima tamen existat.* Hinc etiam *Dionis Cours d'Operat. Dem.* 3. *p.* 265. inquit. *Pour moi je croirai l'extirpation de la matrice mortelle, jusqu'à ce que j'en sois desabusé par quelques experiences.*

§. XVII.

Provocant 4°. pro vulnerum uteri, in specie gravidi, illethalitate probanda ad *sectionem cæsaream* cum successu, vivente & matre, & fetu, institutam, qualia felicis eventus exempla plura leguntur apud *Rousset Tr. de ὑστεροτομοτοκία*, &, qui ejus librum latinitate donavit *Casp. Bauhinum in App.* ad eundem; *Fienum Chir. L.* 8. Roonhuysen *Obs. Chir. L.* 2. *Obs.* 1. Vaterum *in Diss. de Partu Cæsareo*, quem D. *Lanckisch* in fœmina Zittaviensi feliciter instituit, *Bartholinum de insolitis partus viis c.* 12. *Teichmeyerum*, qui *in Med. Legal. cap.* 3. *Quæst.* 3. Sectionem hanc à D. D. *Frobenio* Med. Königseensi felicissimo cum successu consummatam esse testatur, *Gouey dans la chirurgie véritable Part.* 5. *p. ult.* de la *Motte Traité des Accouch. l.* 4. *c.* 12. *obs.* 335. Ruleau *Tr. de l'Operation. Cæsar.* Quo loco non alienum puto L. B. Casum typis, quantum novi, nondum expressum communicare, quem D. D. *Gœckelius* p. t. Medicus noricus Dno. D. *Friedio*, nunquam sine encomio à me nominando communicavit. *Anno* scil. *hujus seculi undecimo fœmina rustica è ditione Oberkirchensi, transrhenana, plus minus tricenaria, & jam* 2. *aut* 3. *liberorum mater favente lucina facta, denuo gravida, tempore partus apropinquante, per biduum gravissimis, licet genuinis, doloribus vexata frustra ab obstetricibus ulterioris opis ferendæ nesciis tractatur, hinc chirurgum è vicino & haud ignobili loco Renchen dicto vocari jussit, qui artis obstetricandi minus gnarus statim operationem Cæsaream proponit, atque consentiente tandem parturiente, manum temerariam cultrumve admovens miseræ inter mille dolores, & tantum*

tum non lethales anxietates ac lipothymias, abdomen tres latos digitos ab umbilico per transversum recto ductu ab uno latere ad alterum, hinc ipsum uterum, non sine læsione alicujus intestinorum, quod eventus docuit, dissecat, infantem adhuc vivum, ast mox mortuum ex utero una cum secundinis eximit, tum acu & filo integumenta discissa per suturam interpolatam consuit, & post multas septimanas integrum vulnus usque ad unius digiti lati circumferentiam in linea alba apertam remanentem, nec à quibus etiam tentaret, remediis, claudendam, consolidat, cujus postmodum pertæsus ægram plane deserit, contentus, eam orthostadiam rursus vidisse; quod vulnus deinde in fistulam degeneravit, ac, si non turunda aliqua claudebatur, alimenta assumta dimidium digesta reddidit: igitur radicis gentianæ frustulo sæpius renovato obturabatur, citra ullum tamen, licet per 6. menses continuasset, effectum: menses sponte, & ordinario tempore ac modo redierunt, & assumta per ordinarias vias, foramine obturato, excernebantur. Intestinum, quod læsum fuit, tandem cum integumentis rursus connatum est. Patiens postea aliud consilium à D. D. Gœckel *Patre, Archiatro t. t. Badensi, post Wirtembergico petiit, quod eo tendebat: fistulam hanc ut incurabilem esse solicite tractandam, ac turunda sæpius nova, & fascia circa totum abdomen circumjecta, deligatam servandam, sin autem aliquando rursus sit conceptura, metuendum fore, ne in partu sit peritura, quod ipsum etiam altero anno post, cum gravida fieret, & pareret, evenit.* Huc etiam referri possunt illi casus, quando uteri gravidi e sede sua ad inguina prolabuntur, & speciem herniæ efformant, quælem *Nic. Polius* & *Sam. Meigerius* in fœmina Niessensi Silesiaca 1531. & aliam in uxore Vietoris 1610. Wittebergæ observatum *Sennertus Instit. L. 2. P. 1. c. 9.* sub classe *herniarum uterinarum*, quæ nulla alia re, quam sectione Cæsarea curari poterant, descripserunt: conf. *Hildani obs. chir. cent. 3. de nova, rara, & admiranda herniæ uterinæ, atque hanc justo tempore subsequentis Partus Cæsarei Historia.* Quæ omnia exempla possibilitatem operationis Cæsareæ confirmare videntur, quam etiam una cum necessitate ejusdem in certis casibus *Slevogt in Diss. de Partu Cæs.* Becker *de παιδιοκτονία inculpata*, nec non *Devaux in pecul. Diss. Chirurgiæ* Dni *Verduc.* inserta, aliique stabilire contendunt. Præ aliis autem *Ruleau l. c. P. 1. c. 6. p. 61. seq.* totus in eo est, ut demonstret, vulnera tam abdominis & peritonæi, quam ipsius uteri minime esse lethalia, & sicuti illorum læsiones plane non mortales esse, ex gastroraphia, & herniotomia probat: ita in specie de vulnere uteri ita ratiocinatur: *La playe, qui est faite à la matrice dans l'operation Cesarienne, quoi qu'elle soit d'une grandeur considerable, n'est pas si dangereuse, qu'on se le persuade, parce que l'enfant & les secondines étant sortis de la matrice, & n'ayant par ce moyen, rien qui l'empêche de s'aprocher & de s'unir; elle se resserre, & se rejoint encore mieux après l'enfantement, que ne fait pas l'abdomen, comme dit Galien, & elle n'a pas besoin de couture pour s'unir, cette union se faisant naturellement.*

§. XVIII.

§. XVIII.

Affirmantium horum autorum ſententiam e contrario ſtrenue impugnant, eorumque fidem dubiam reddunt *Mauriceau Tract. cit. L. 2. c. 32.* Cui pollicem premit *Dionis* tam in Tr. quem *Cours d'operations* nominat *Dem. II. p. 136.* quam in altero *Trait. des Accouch.* dicto *L. 3. c. 28.* quippe qui ſecundum laudatum *Devaux dans la Diſſertation concernant la chirurgie des Accouch.* nil aliud eſt, quam *un abregé de Mauriçeau.* vid. *Nouvelles literaires du Pere du Mollet p. 461.* Sic etiam propter dolores, convulſiones, largiſſimam hæmorrhagiam, & alia ſymptomata, quæ *Slevogt l. c.* recitat, hanc ſectionem tanquam ſæpius funeſtam deprehenſam rejiciunt *Parœus de hominis generat. c. 31.* Jac. Guillemau *de la Groſſeſſe & Accouch. L. 2. c. 28.* Peu *Pratiq. des Accouch. L. 2. c. 13.* Solingen *Ench. chir. P. 3. c. 43.* & D. D. *Burlet* Medicus Pariſ. *in approbatione libello* Dni *Ruleau* præfixa. In quo ſententiarum divortio mihi optime placent ſequentia, quæ de la *Motte in Præf. p. 11. 12.* ediſſerit: *Si je n'ai tenté en aucune occaſion l'operation Ceſarienne, ce n'a point été à cauſe, que M. Mauriçeau la condamne abſolument, & que M. Peu ne la conſeille pas, puiſque contre leurs ſentimens la poſſibilité de la faire ſe prouve aſſez par les femmes, qui en ſont échapées, après l'avoir ſoufferte; mais il eſt très rare que l'on ſoit obligé de la faire, parce que l'Art, qui eſt perfectionné juſqu'au point où il eſt à préſent, rend le ſecours de cette operation preſque toujours inutile. Cependant, ſi un vice de conformation empêchoit l'introduction de la main, comme il eſt raporté par M. M. dans la 26. de ſes obſervations, je ne feroi aucune difficulté de la mettre en pratique.*

§. XIX.

Tandem 5°. ii, qui contra lethalitatem vulneratæ matricis militant, alia etiam gravidarum exempla producunt, quibus violento modo inflictæ plagæ minus lethales fuerunt. Talem cruentam hiſtoriam ex medici Auguſtani *Achillis Gaſſari* communicatione recenſet *Joh. Langius Ep. Med. L. 2. Ep. 39. Quum maritus*, inquiens, *cui nomen Andr. Rempter erat, ira percitus uxoris ſuæ ilea dextra cultro capulotenus trajeciſſet, ejuſque inteſtina elapſa Mauricius Orcheotomus accerſitus calidis fotibus elota repoſuiſſet, epigaſtrii vulnus conſuit; tum miſera facta puerpera, ſexto à conceptu menſe, & tertio poſt vulnus inflictum die, puerum occiſum enixa eſt, cujus dextram ſupremam calvariæ adhuc cartilaginoſæ partem, ſævus ille homicida verius, quam parens, uſque ad ſiniſtri oculi ſupercilium vulneraverat, mater vero chirurgi opera convaluit.* Rarius adhuc ejuſmodi vulnerationis exemplum annotavit J. M. *Hoffmann Anat. Pathol. Specim. 9. §. 21. de Religioſo quodam Capucino, cujus mater ipſo gravida ex vehementi ad bacillum*

extre-

extremitate acutum allisione non uterum sibi solum, sed fetus etiam thoracem sub papilla dextra pertuderat, matre post consolidationem viva remanente, ut & cicatrice in dicto Religioso relicta conspicua. Cujus quidem historiæ minus accurate descriptæ fides sit penes autorem. Omnem vero humanum captum transcendit, omnemque fidem superat, quod *Mart. Crusius Annal. Suevic. Francof. 1596. editorum Part. III. Lib. XI. cap. V. p. 614.* ita recenset: *circa hoc tempus* (loquitur de Mens. Sept. 1530.) *in oppido Owa, sub arce Teccensi sito, bubulcus quidam degebat, cui nomen erat Ulricus Jæger, dictus Schlafflang. Hic uxorem habebat, nomine Catharinam, quæ modo 1559. Maii 10. defuncta est. Hæc cum esset gravida, fetusque nondum ultra 6. hebdomades existimaretur vitam habere, à quodam tauro, gregis marito, ira percito, ita altero cornuum in latere arietata fuit, ut eo perrupto interanea & incluſus chorio, vel secundinis fetus una in lutum plateæ prolapsa sint. Accersitus est Balneator oppidi, Joh. Hummelius, qui hæc cuncta in pelvi posuit, lacte abluit, & mundavit. Etsi autem nulla spes cuique erat, nec de fetus, nec de matris vita; tamen ipse, cum mater sic peteret, fetum cum adjuncto pondere cuncto paulatim corpori ejus (pedibus mulieris sursum, capite deorsum, conversis) rursus indidit, ventrem decem & novem futuris consuit. Interea fuit mulier ea patientia, ea magnitudine animi, ut chirurgum, circumstantesque homines & calamitate ejus trepidantes ac dolentes consolata sit, jusseritque bono animo esse, se omnia hæc quamvis dura & acerba toleraturam æquo animo. Non tantum hæc ita dextre sunt peracta, sed ipsa etiam per Dei gratiam convaluit, infantemque justo tempore in lucem edidit, puellam, quæ sacro lavacro tincta Annæ nomen accepit, & amplius 8. annos vixit.*

§. XX.

Adductis autorum pro & contra lethalitatem vulnerum uteri disputantium argumentis tam ex ratione, quam experientia petitiis, mea jam interponenda est sententia, quæ eo redit, quod vulnera hæc in genere secundum distinctionem §. 3. traditam referenda sint ad vulnera quidem *per se lethalia*, non vero ad illa, quæ absolute & ex pura necessitate, sed tantum *utplurimum talia* sunt. Differt autem periculum, prout uterus læsus vel gravidus est, vel non gravidus: hic, licet difficulter ac vix sauciari possit §. 14. quando tamen sauciatur, ob minorem vasorum capacitatem tantam non involvit lethalitatem, quantam gravidus, cujus læsiones periculosiores sunt, quo maturior est embryo, & quo magis tempus partus appropinquat. Quod vero vulnus uterinum casus præsentis, quod pro *accidentaliter illethali* habeo, lethalem eventum non obtinuerit, uti tamen ut plurimum in aliis contingere solet, illud primo ab eo dependet, quod gravida in ultimo graviditatis termino constituta, & partus statim, ac presso quasi pede, læsionem inflictam secutus fuerit; quo ipso factum

factum est, ut uterus vi mirificæ illius potentiæ elasticæ §. 12. descriptæ, & fibrarum suarum beneficio se contraxerit, quam contractionem excepit coarctatio vasorum, quæ, licet hoc tempore summe turgida sint §. 10. cito tamen, excluso partu, collabascunt, corrugantur, & in angustius spatium rediguntur, quibus coarctatis nimio sanguinis fluxui obex positus, & ita hæmorrhagia lethalis, quæ, vasis post vulnerationem apertis manentibus, certissime oborta fuisset, & læsam in repentinæ ac inevitabilis mortis periculum conjecisset, aversa est. Id quod à contrario & tristi gravidarum exemplo probari potest, quæ abortum patiuntur, dum, à qualicumque causa avulsa tantum ex parte placenta, in nimiam hæmorrhagiam incidunt, quæ nulla arte, nisi perita & subita fetus immaturi eductione, per quam utero locus datur se & sua vasa contrahendi, sistitur. Firmissime igitur persuasus sum, quod quemadmodum vulneratæ uterus extra statum graviditatis ictu sclopeti hujus nullo modo vulneratus fuisset, ita illa longe majori periculo exposita fuerit, si id ipsum infortunium in medio gestationis, vel etiam ultimis mensibus contigisset, uterus vero in statu dilatationis suæ permansisset. Quapropter haud incongrue communis illa loquendi formula huc applicari potest: *Es war glück und unglück beysammen, oder, es ist kein unglück so groß, es ist wider ein glück dabey.*

§. XXI.

Deinde non excludo alias causas, inter quas præcipua est *insigne naturæ robur*, quo eadem in optimo ætatis suæ flore & sanitatis vigore polluit, quippe quod in curandis & morbis & vulneribus sæpius plus præstat, quam medicus, & medicamenta, id quod verbis *Celsi* supra confirmavi. Præcipue vero, & quod primo loco ponendum erat, τὸ θεῖον non negligendum est, ad quod jam Ethnici in talibus casibus respexerunt, ac, sicuti illud in omnibus fere morbis animadvertitur, ita imprimis hic admitti potest, & debet, ubi tot circumstantiæ occurrerunt, quæ malum gravius & periculosius reddere potuissent, quales sunt graviditas ad terminum protracta, armorum genus periculosissimum, (quod §. 5. latius deduxi,) vulnerum multitudo &c. totque symptomata concurrerunt, quorum unum sæpius ad hominem jugulandum sufficit, utpote inflammatio uteri, diarrhœa choleriodes, vomitus, (funestissimum inflammationis uteri signum) lochiorum suppressio, summæ præcordiorum angustiæ, ipsa tandem febris exanthematica miliaris, (pestis puerperarum,) anno insequente denuo invadens, diæta minime ordinata, regimen perversum, ac neglectus usus fere omnium sex rerum non naturalium: quæ cuncta in interitum læsæ conspirarunt, quibus tamen non obstantibus ex singulari numinis providentia mortis periculo erepta est, ita, ut mutatis mutandis huc trahi possit, quod Poëta apud *Hildanum* obs. chir. cent. 1. obs. 13. canit.

Non audita loquor : narranti credite , vidi
His oculis , tetigi non dubitante manu.
(Fæmina erat prægnans ,)
Acer erat Juvenis , medio cui vulnus adactum
(Ventri , ac cum fetu læsa fuit Pariens.)
Est capiti , cerebri parsque recisa fuit.
(Hique) (vivunt
Ille tamen vivit , si credas , arte melampi
Id factum , peccas ; hic medicina silet ,
Monstra , sed , in morbis : Arabum flos ille sophorum ,
Quod , fieri , dixit , re patet apse palam.

CAPUT II.

Disquirit quomodo aquæ , non obstante membranarum fœtum cingentium , à globulo transmisso , facta læsione , in Partu sese sistere potuerint ?

§. I.

FEtus utero inclusus membranis , aquas quasdam continentibus , cingitur , quæ per totum gestationis tempus molles atque rugosæ sunt : advenientes vero ad partum dolores ceu tot uteri contractiones spasmodicæ ejus contenta , fetum nimirum , deorsum versus orificium illius pellunt ; hic circumfluentium aquarum portionem anticam membranis orificio jam incumbentibus impingendo , eas adimplet , expandit , hinc tensas nunc & læves efficit , ac sic pathognomonicum illud Partus imminentis signum , quod obstetricantes : *aquas se sistere* , appellitant , producit.

§. II.

Membranæ fœtum humanum cingentes duæ sunt , *Chorion* , quæ exterior est , & *Amnion* , quæ interius priori firmiter connectitur : tertia vero *Allantoidea* brutis tantum competit.

§. III.

Aquarum scaturigo non ab urina per urachum in membranas defluente ; neque à sudore fetus , sed juxta *de la Motte loc. cit. L. 1. c. 24.* à sanguine placentæ , ope glandularum , separato , & mediantibus vasis lymphā-

phaticis, quorum magnam copiam, demonstrante *Mery* se vidisse contendit, in cavum membranarum deducto petenda est; quod & conceptus fatuus semper cavitate aqua repleta donatus confirmat. Objici posset: continuum aquarum affluxum, sine effluxu, nimiam illarum producere copiam, ad quod respondet *de la Motte* per fictitiam aquarum in & extra corpus fetus circulationem: verum meliori jure illarum agglutinatio in cute fetus, à calore partis promota, indeque nascens, & fœtum plus minus semper obducens limus, (cujus originem simplices obstetriculæ largiori esui Casei, durante graviditate, adscribunt,) nimiam copiam absumere dicitur.

§. IV.

Quod usum harum aquarum attinet, eas nutritioni fetus inservire quidam sibi persuadent; quam sententiam *M. Mappus in Diss. de aquis, in quibus tempore gestationis fetus quasi natat* 1685. hic loci habita, & Celeb. *Salzmannus* in egregia Diss. *de circulo sanguinis in fetu* solide examinarunt. Sed fœtum magis à sanguine materno nutriri, inter alia argumenta etiam hoc probat, quod mater extra uterum gemellos lacte proprio sufficienter per aliquod tempus nutrire possit. Potius hæ aquæ aliis usibus inserviunt, dum (1) tempore graviditatis motui fetus libero inserviunt, (2) impulsionis extraneæ & violentæ vim, ne fœtum lædat, infringunt (3) in Partu præcipue fœtui viam aperiunt, dum à doloribus ad Partum in membranas impulsæ has extendunt, orificio impingunt, illud æque ac latera vaginæ, nec non hujus introitum ita dilatant, ut miraculi instar, pars, quæ paucum ante temporis spatium ne acus quidem cuspidis immissionem permittebat, nunc prægrandi fetus capiti exitum facile concedat. Exitum hunc, quando natura facillimum reddere vult, aquas membranis inclusas extra corpus muliebre protrudit, quo omni nunc obice ablato, & membranis in loco amplissimo positis, ac ab irruente magis magisque aquarum copia attenuatis, hincque disruptis, post insequentem mox aquarum effluxum, caput infantile fores jam pulsans in lucem mittatur. Fit sæpissime hoc in casu, ut caput fetus portione Amnii, quam *galeam* vocant, obductum sit, quod Galli per verba *l'enfant est né coeffé*, Germani: *das kind hat das glück-häublein mit zur welt gebracht*, exprimunt, ac nonnulli inde fortunatam neo-nato futuram vitam prædicunt; quam tamen fortunam non tam de futura, quam de præterita, imo præsenti, magis intelligendam esse *Mauriçeau L. 2. c. 3. p. 218.* bene monuit. Hunc aquarum, quem ipsa experientia docuit, usum, alii ampliorem reddere, & illam genitalium, ad partum facilitandum, tam necessariam humectationem lubricam apponere volunt: verum, præterquam, quod mucus tunc temporis emanans, non, uti *Mauriçeau l. c. c. 3. p. 212.* falso prætendit, sit aquarum in membranis contentarum per eas transudans & à calore loci inspissata portio, sed potius humor e glandulis, (quas,

licet sine fundamento, *Naboth* Ovaria, *Desmoues* autem & *Henrici* vesiculas seminales, observante *Heistero*, *Compend. Anat.* nominant,) orificii uterini internis secretus, & huic scopo unice destinatus; facile ea, quæ in partu difficili contingunt, contrarium probant, ceu in quo, uti præmaturus aquarum effluxus illius metuendi signum certissimum est, quamvis continuo & guttatim quasi eæ exstillent, ac ita genitalia satis superque humectent, fetus exclusionem eo minus facilitant, quo magis sceletis, & ossei statuis uterinis (consentiente D. D. *Orth. in Diss. de fetu* 46: *annorum* sub Præsidio R. J. *Camerarii* Tubingæ habita) occasionem largiuntur.

§. V.

Duplices harum aquarum species obstetricantes observant, alias *spurias*, *wilde wasser*, alias *veras*, *rechte wasser*, nominant; hæ partum, ejusque dolores proxime, aut ad summum octiduo antecedunt, &, ob iis conjunctam membranarum dilacerationem, partes fetus tactui nudas sistunt; illæ duabus tribusque septimanis, imo mense uno & altero ante partum levi dolore dorsi prægresso, cum fragore, nonnunquam satis sonoro, affatim prorumpunt, atque ab urina, cum non, uti hæc, retineri possint, eundemque cum veris odorem, colorem atque saporem possideant, facile distinguuntur; nullos partus dolores veros pedissequos habent, & his tandem accedentibus, à veris aquis sese naturaliter sistentibus, æque ac effluentibus, demum excipiuntur. Spuriarum harum aquarum scaturiginem *Mauriçeau Obs.* 19. & 148. quidem peculiari hydropis uteri speciei & *L.* 1. *c.* 23. nec non *obs.* 611. 688. & in Append. *obs.* 694. tenuitati, debilitati, ac insequenti rupturæ membranarum, in parte earum altiori, adscribit; sed, cum accuratior placentæ post talem aquarum effluxum ac insequentem demum partum eliminatæ perscrutatio doceat, illam e connatis duplicibus, majore altera, altera minore, placentis, qualibet propriis suas & duas membranas distinctas possidente, fabrefactam, sicque gemellorum placentæ persimilem esse; asserere hinc audeo, aquas spurias conceptum gemellorum, mox unius quidem obliterationem, sed ejusdem secundinarum, & aquæ inibi contentæ conservationem, imo & adæquatum augmentum præsupponere. Circa graviditatis vero terminum, fœtum viventem mole sua spurias has secundinas ita comprimere, ut illæ impetui resistere nesciæ rumpantur, & aquas contentas effundant, quo partu demum adveniente, veræ aquæ eo melius sese sistere possint.

§. VI.

Ex hisce allatis, quæstionis supra propositæ solutio facilior, unaque objectionis, quæ contra possibilitatem tensionis in partu membranarum pridie globulo trajectarum moveri potest, refutatio firmior erit: fundamen-

mentum objectionis in eo positum est, quod membranæ, partus tempore acu saltem transfossæ, tam amplam mox ab aquarum intus contentarum pondere aperturam accipiant, ut totalis earum effusio statim contingat & sic ulterior membranarum tensio, aquarumque repræsentatio impossibilis reddatur. Verum, cum, ut experimentum hoc succedat, membranarum tensio, earum in loco declivi perforatio, orificii uterini larga apertura, ac capitis infantilis remotus in hoc incubitus requirantur, facile patet, qua ratione, cum omnia hæc requisita in casu præsenti abfuerint, contrarium contigerit: mulier nimirum, graviditatis termino jam absoluto, caput infantile orificio uterino quam proxime admotum, ac totam ejus peripheriam accurate intus expletam habens per uterum vulneratur, globulusque sclopeti membranas transit; hæ nondum tensæ in superiori tantum parte læsæ, nec ullis ad partum doloribus jam tum præsentibus, majorem, quam à globulo transeunte factam, non acquisiverunt aperturam, hinc & perpaucam quoque aquarum copiam effuderunt: succedentibus vero altero die doloribus ad partum, uteri inde fundus deorsum depressus, membranas posticas, hæ aquas retro fœtum positas, hic aquas ante illum fluctuantes in membranarnm portionem anteriorem impellens, harum tensionem, quam *aquas sese sistere* appellant, naturali lege nullatenus infracta, produxit.

CAPUT III.

Fistulam post vulnus relictam pertractat.

§. I.

ANtequam fistulam, quam fœmina, de qua hactenus egi, patitur, examinem, generalis aliqua fistularum descriptio erit præmittenda. Definio itaque fistulam, quod sit *ulcus sinuosum, plus minus callosum, cujus aditus angustus, fundus vero profundus est, cum uno vel pluribus cuniculis, & cum vel sine dolore materiam purulentam colore, odore & consistentia pro diverso tempore & loco variantem fundens.*

§. II.

Differunt fistulæ inter se multis modis. v. g. *ratione sinuum* aliæ sunt simplices, quæ unam tantum, aliæ multiplices, quæ plures cavernas habent: *ratione decursus* sunt vel recti, vel tortuosi: *ratione partis affectæ* & loci in quo terminantur, ad partes musculosas, sanguineas, nervosas, lymphaticas, glanduloſas, & osseas vergunt, unde etiam differentia oritur

tur *ratione materiæ effluentis*; dum istæ vel pus album, laudabile, & bene coctum, vel sanguinolentum, vel materiam spissiorem, vel limpidam, vel ichorosam, vel nigricantem & fœtidam (cariei signum) fundunt: *ratione calli* vel modo circa orificium fistulæ vel per totum ejus tractum, & respectu duritiei magis, vel minus, callosæ sunt; & tandem quoque *ratione doloris* fistulæ vel gravius, vel levius, afficiunt.

§. III.

Dignoscuntur fistulæ vel à callo, qui veræ fistulæ essentialis est, vel ex ichore cum pure magis vel minus mixto, quippe qui in omni fistula observatur.

§. IV.

Causæ fistularum sunt vel *internæ*, vel *externæ*: illæ ab humorum stagnatione oriuntur, qui, dum diu subsistunt, acredinem concipientes, partes vicinas transeunt, fibrillas disrumpunt, cavitatem ampliorem sibi reddunt, sicque fistulam producunt: quæcumque igitur ad generationem aliorum ulcerum concurrunt, illa quoque ad fistulas contribuunt. Ad externas causas referuntur ulcera; (præsertim male tractata, tam in partibus mollioribus, quam offeis, ubi caries dicuntur,) contusiones, puncturæ, nec non vulnera maxima profundiora, inque primis sclopetorum, quorum globuli referente *Bohnio* de off. med. dupl. p. 2. cap. 4. miros & tortuosos adeo tractus utplurimum describunt, ut horum circuitus atque anfractus stupescat aliquando curiosior oculus, offendens ultimum globuli terminum & interaneorum intermediorum læsionem vulneri externo minime congruam, seu adæquatam. Sic *Marchette observ.* 56. fistulas quinque à trajectione globi plumbei bombardæ per obliquum facta enatas consignavit: nimirum, quando instrumentum, quo vulnus infligitur, non recta via, sed oblique transit, dum quis positura ac situ non recto, sed inflexo ac curvo vulnus accipit, tunc facile humores ex vasculis læsis effluentes stagnant, inque materiam purulentam degenerant, quæ pondere suo peculiarem saccum & cavernas sibi format, atque diutius remanens de die in diem acrior redditur, vicina vasa corrodit, eoque ipso sui nutrimentum accipit, unde effluxus materiæ major fit, à cujus pressione, una cum accedente aëre externo, callus & per consequens formalis fistula generatur.

§. V.

Quod denique prognosin fistularum spectat, omnes & singulæ curatu difficiles sunt, magis tamen illæ, quæ ad interiora pertingunt, ac ob profunditatem sacci, quo medicamenta deferri non possunt, & partium nobilitatem, secure incidi nequeunt; quæ angustum orificium habent; quæ plures

sinus

sinus & cuniculos formant; quæ inveteratæ, nimis callosæ, vel carioſæ sunt; quæ in subjectis cacochymicis generantur; minus vero istæ, quæ extrinsecus visui obviæ, superficiales & cutaneæ sunt; ubi incisio facile perfici potest; quæ ampliora habent orificia; quæ recentes sunt, vel in subjecto ceterum sane oriuntur; nullæ tamen unquam perfecte sanantur, nisi callus auferatur. In *Cura* igitur absolute requiritur, ut callus absumatur, fistula probe per injectiones mundificetur, incisio, si necessaria, instituatur & tandem convenientibus sarcoticis consolidetur.

§. VI.

His in genere prælibatis, *prima* quæstio, *unde fœminæ episcopivillanæ fistula suam traxerit originem*, facile decidi potest scil. (1) inde, quia vulnus à globulis plumbeis e sclopeto emissis, multosque anfractus describentibus inflictum est, (2) quia sellæ insidens situm aliquo modo inflexum & curvum habuit, (3) quia profunda nimis fuit vulneratio, dum usque in cavum uteri ac ipsum fœtum penetravit (4) quia post partum uterus se contraxit, hacque contractione orificium vulneris uterini interius occlusit, ut ita humores ex vasis in graviditate admodum repletis magna in copia effusi per cavum ejus & vaginam effluere non potuerint, sed in confiniis uteri per 21. dies subsistentes, vicinis partibus arrosis, incrementum materiæ purulentæ causati sint, quæ in loco admodum declivi latitans, cum neque per superiora, neque per inferiora rite evacuari potuerit, fistulam produxit.

§. VII.

Secundo moveri posset quæstio: *annon fistula hæc præcaveri potuerit?* Circa quam notandum est, ad præservationem fistulæ requiri legitimam vulneris antecedentis tractationem, quæ in unione partium separatarum, earumque conglutinatione consistit; id quod solius naturæ opus est: chirurgi vero officium exigit, ut impedimenta removeat, partes v. g. heterogeneas, si quæ adsunt, eximendo, vulnus à sordibus mundificando, generatum pus ab acore defendendo, liberum affluxum ei conciliando, aërem externum arcendo, & labia adducendo. Quum vero patiens fœmina datis consiliis obsequium non præstiterit, decubitum in latus affectum, pro liberiori materiæ latitantis effluxu, non legitime observaverit, nec explorationem cum specillo omni tempore, & balsamicas injectiones vix admiserit, nullamque orificii in dies angustioris facti propositam incisionem permittere voluerit, proinde chirurgus officio suo rite fungi non potuerit, plane mirum non est, quod vulnus fistulæ naturam induerit, atque chirurgo nil aliud relictum sit, quam dilatatio vulneris per turundam, ad liberum fluxum servandum, atque liquorum pro mundificando vulnere injectiones. Posset autem objici: turundas immissas forsan fistulæ occasionem dedisse, præcipue cum e radice

gen-

Landesbibliothek Oldenburg

gentianæ factæ fuerint, quippe à quarum usu *Bassius in Bericht von* Bandagen, (uti *Belloste dans le chirurgien d'Hopital*, & *Verduc chir. L.* 1. de omnibus turundis in genere perhibent,) fistulas produci posse affirmat, quoniam scil. tales turundæ vulnera obturent, teneras fibrillas nimis comprimant, eoque ipso impediant, quo minus succus nutritius in istas deduci possit, qui dum in fibris stagnet, callum efficiat, porro multos dolores creent, materiam purulentam non absorbeant, sed potius illi exitum præcludant, ut vi ponderis sui deorsum tendat, ac partibus à se invicem separatis cavernas efformet. Sed liceat ad hanc objectionem regerere, turundam ex gentiana paratam non prius applicatam fuisse, quam post primum, eumque largiorem puris effluxum, incipientis jam fistulæ indicium; deinde hæc ipsa turunda nullam plane noxam inferre potuit, dum non totam vulneris cavitatem implevit, sed tantum orificio accommodata fuit, ne illo clauso materiæ effluxus impediretur, qui etiam juxta recensitam historiam adeo non impeditus fuit, ut potius omnibus fere diebus, & pluries larga in copia, evacuaretur.

§. VIII.

Tertio disquirendum est, *qualem directionem habeat hæc fistula, & in quæ corporis parte nunc desinat?* Fert quorundam sententia, illam in ipsa uteri substantia terminari, quia sanguis tempore menstruo sæpe una cum pure ex orificio fistulæ effluxit, & stylus, qui pro explorando fundo in fistulam intrusus est, profundius penetravit, quam ipsorum musculorum abdominis crassities esse potest. Verum, quamvis non diffiteri possim, vulnus ab initio uterum transiisse; foramen tamen ejus ex parte interna rursus occlusum esse, multo minus negari potest, quia nulla materia purulenta per orificium uteri ejusque vaginam unquam emanavit. Quod vero argumentum primum attinet, ille sanguis non quolibet mense observatus est; deinde illum à vasis epigastricis derivare possum, quæ per læsionem sclopetariam sauciata, & post partum iterum contracta, tempore mensium, quo, uti omnia reliqua, quæ uterum circumjacent, vasa, ob largum humorum affluxum admodum turgent, sese aperuerunt, ac sanguinem suum per orificium fistulæ effuderunt. Quod alterum argumentum de stylo spectat, illi oppono, quod idem stylus postmodum, præsertim, quando sub exploratione patiens in tergo decumbebat, transversim per integumenta in latere oppositio tangi potuerit: quibus addo, quod si uteri substantia modo ex parte fistulosa quadam impuritate affecta fuisset, jam diu acrimonia ejus reliqua substantiæ portio perforari, & ita materia purulenta per orificium uteri excludi debuisset. Quæ cum ita sint, & materia insimul alba & copiosa profluat, fistulam hancce tantum in partibus musculosis subsistere, atque terminari, probabilius concludi posse; autumo.

§. IX.

Landesbibliothek Oldenburg

§. IX.

Quæritur tandem *quarto* & ultimo loco, *quale prognoſticon de ſtatu præſenti fiſtuloſo formari poſſit?* Id quidem ex generali prognoſi, quam ſupra attuli, patet, quod cura hujus fiſtulæ admodum ſit difficilis, nec illa ſine inciſione, *contr'ouverture* dicta, funditus ſanari poſſit. Illam vero in ſubjecto hoc ſecure poſſe inſtitui, veroſimile omnino videtur ob rationem modo traditam, quia ſtylus in dextro latere, ac fundo fiſtulæ ope digiti ſentitur, in ſiniſtro autem latere orificium ejus vix à conglutinatione prohiberi poteſt; ſi enim hæc inciſio à perita artificis manu lege artis inſtitueretur, tunc ſaccus fiſtulæ detegi, ab impuritatibus ſuis optime mundificari, ac ita patiens, exemta ſimul turunda ex orificio, quo coaleſcat, perfectæ ſanitati reſtitueretur. Quum vero ægra ob aliqualem eventus incertitudinem ferrum averſetur, remedio palliativo, ſcil. *Cannula aurea*, per quam quotidianæ injectiones fiant, contenta eſſe debet, quæ quia jam tertia vice abſciſſa eſt, ſpem facit, ſinum forſan ſenſim ſenſimque breviorem fieri poſſe. Neque inutile erit, ſi conjungatur uſus *Balneorum* tam naturalium quam artificialium, quorum efficaciam in ſanandis fiſtulis ex *Aquapendente* commendat *Solingen Chir. p. 3. cap. 3.*

§. X.

Et hæc ſunt, quæ de caſu hocce rariſſimo exponere volui. Animus quidem erat, plures, quas ex eodem elicui, quæſtiones proponere, atque explicare, ſed, quia labor, quem ſuſcepi, ſub manibus crevit, & aliæ circumſtantiæ majorem prolixitatem concedere nolunt, B. L. rogito, velit levidenſes hoſce conatus æqui bonique conſulere. D. O. M. vero, cui pro conceſſis viribus ſubmiſſas ago gratias, meis conatibus in poſterum ita benedicat, ut exoptatus nunquam non obtineatur.

SUPPLEMENTUM.

CUm auctor clar. diſputationis & ipſum utilem ſui laboris partum, & hanc quaſi continuationem raræ curationis perhu manitermecum communicaverit, hanc latine verti, & priori diſſertationi pro corollario adjeci.

Menſes ab eo tempore, quo vulnus paſſa eſt, & juſto ordine & legitima copia redierunt, ita tamen, ut nunquam non, per fiſtulæ oſtium ſe cruore aliquo proderent, integro fere die prius, quam per vaginam ſequerentur. Tubulum immiſſum vulneri, pure etiam quotidie mundari oportuit. Verum triennio poſt infortunium acceptum elapſo, dolor ſatis vehemens in profundiori ſede fiſtulæ exoriens coegit feminam, ut cannulam breviorem redderet: quo facto & dolor ſubſedit, & reliqua in priorem ordinem redierunt. Alte-

rum triennium vix elapsum erat, quin similis fere dolor, denuo fistulam decurtare juberet, simili cum levamine. Verum nunc unice sudor aliquis sanguineus sub fine mensium ad aliquot guttulas adparuit. Iterum annus præterierat, & aliquanto plus, cum oblita mali ægra cannulam in vulnus reddere neglexit: & interim ita fistula se arctavit, ut omnino reponere nequiret: ita integre sanata femina, nulla nunc superstite fistula, ad hunc usque diem vegeta vivit. Menses quinquagesimo tertio anno, quem degit, pergunt fluere, neque tamen aut ordine integro, aut copia priori: neque eadem nunc alacritas mulieri superest.

Fetus, qui in utero materno vulneratus, quadriennio sanus vixit, & febre epidemica quassante exstinctus fuit. Neque ab eo partu aut utero concepit mater, aut peperit.

Heilbrunn 8 April. 1755.

FINIS.

DISSER-

Landesbibliothek Oldenburg

CXXXII.

DISSERTATIO
CHIRURGICA,
DE
ARTERIÆ CRURALIS VULNERE
PERICULOSISSIMO FELICITER SANATO.

Præside

LAURENTIO HEISTERO.

Proponebat

JOAN. ANDREAS REINIG

MAGDEBURGENSIS.

Helmstad. 22 Decemb. 1741.

Landesbibliothek Oldenburg

DISSERTATIO
CHIRURGICA,
DE
ARTERIIS CRURALIS VULNERE
PERFECTO FELICITER SANATO.
Praeside
LAURENTIO HEISTERO.
PUBLICE DEFENDET
JOAN. ANDREAS BEHNIG
ALTORFINUS.
Ad d. [illegible]

PROOEMIUM.

BENEVOLE LECTOR.

ACcedente temporum illa periodo, qua literarum mearum moderatores, more consueto, absoluto studiorum curriculo, me privilegia ac honores doctorales capere admonerent, de argumento quodam pro inaugurali disputatione cogitanti mihi multum animus obloquebatur. Anceps enim erat atque dubius, imo nescius, quænam illa foret materia, quæ pro hoc scopo obtinendo esset idonea atque sufficeret. Cum animus itaque modo hinc, modo inde volveretur, factum est, ut casus quidam chirurgicus gravissimus & notatu, ut mihi saltem videtur, haud indignus, quem superiori vere una cum aliis commilitonibus ab Excell. Domino *Præside* curatum, hac in urbe vidi, *de arteriæ nimirum cruralis vulnere* gravissimo atque periculosissimo, mihi præ aliis arrideret. Quod argumentum igitur eo lubentius illustrandum atque de eo disputandum elegi, quo magis, à natura quasi, me ad chirurgiam, partem illam medicinæ antiquissimam atque præstantissimam ferri, viderem. Scio equidem, fore permultos, qui mihi obganniant, dari adhuc quam plurima alia themata, hoc longe præclariora, imo inauguralis argumenti loco, casum potius medicum quam chirurgicum, quia summos in medicina honores ambio, præstitisse. At quis est, qui non videat, hos ex eorum esse censu, qui nobilis artis chirurgicæ contemtores, imo juratos quasi hostes se profitentur, & qui putant nullum aut saltem perquam exiguum chirurgiæ in medicina usum esse, aut chirurgiam medico indignam, atque ad chirurgos curationes chirurgicas esse relegandas. At hinc illa labes, hinc tot acerbæ multorum lacrymæ, qui, cum ab ejusmodi medicis, in chirurgia hospitibus, salutem sperare non licet, tandem ad rudes tonsores, balneatores, histriones, imo ipsos sæpe carnifices confugiunt; à quibus vero mirum in modum sæpius ejusmodi miseri excruciari atque pejores sæpe, quam antea fuerunt, derelinqui solent. Et qui, quæso, hoc aliter fieri potest? ejusmodi enim homines, texturæ ac fabricæ corporis humani utplurimum prorsus rudes atque ignari, partes læsas nullo modo legitime possunt restituere, quarum structuram, compositionem ac naturam nesciunt. Neque prudentes illud ab iis desiderare jure possunt: quippe quibus utplurimum institutio & discendi occasio, sæpe sumtus, sæpe ingenii vires desunt, ut hæc acquirant, quæ ad chirurgum genuinum, qualem nos volumus, constituendum efformandumque, summopere sunt necessaria. Non illum enim chirurgum hic intelligimus, quem rudis quædam empiria, levia imo levissima quædam vulnera curare condocuit,

quemque in aliis rebus ad chirurgiam pertinentibus, ubique cœcutientem deprehendimus; sed illum potius chirurgum appellandum esse putamus, qui in difficilioribus casibus chirurgicis, imo in ipsis, qui vitæ jacturam minantur, (si ullo adhuc modo sanari possunt) ea remedia easque curationes, quæ manu fiunt, prudenti consilio atque manu adhibet, quibus æger, miserrime sæpe vexatus, imo morti quam proximus, conservari potest. Quod difficilis hæc omnino res sit & arduum opus, singulari tamen etiam cum honore conjunctum, quivis studio medico atque chirurgico modo leviter imbutus, sepositis præjudicatis opinionibus, facile videt. Non enim cum illis medicis sentio, qui nobilissimam hanc artem generique humano quam maxime proficuam, contemnendo imo convitiis afficiendo, omnibus ejus genuinis cultoribus, sine ratione sufficiente maculam inurunt turpissimam [*a*]. Neque cum illis mihi res est, qui temere asseverant, quod medicus non debeat esse chirurgus. Non cum illis, qui chirurgiæ usum in medicina denegant; hos enim ego omnes, ut pro genuinis *Æsculapii* aut *Hippocratis* filiis declarem, impetrare à me nullo modo possum. Provoco potius ad eos, quibus e meliori luto finxit præcordia Titan, sanioribus medicinæ principiis imbutos, quibus datum est discernere pondera rerum; hos omnes in meam sententiam transituros esse confido [*b*]. Quorum igitur innixus autoritate & judicio, contumelias eorum, qui præsentia legent, facile feram, imo honori mihi tribuam, quod hac in re, multorum celeberrimorum virorum fatum & me maneat. Non habeo vero quod verear! nam res mea ipsa loquitur, artisque hujus præstantia se ipsam satis manifestat atque defendit; imo e longinquo quasi eorum audio applausus, qui ope nobilissimæ hujus scientiæ, à viris in hac arte peritis, e mortis faucibus erepti, adhuc dum vivunt. Exempla talia e longinquo accersere atque studiose colligere non opus est; cum præter casum, quem antea jam indicavi, hoc & præcedenti anno varios hic vidimus notatu dignissimos, ex quibus vero nunc tantum unicus, ut afferatur, sufficiat, ubi ipse Dom. *Præses* virum quemdam satis honoratum, superiori æstate in integrum restituit, cui in collo tumor erat ingens, peculiaris naturæ, & totam anteriorem colli partem ambiens, quo jam ab octo circiter annis æger se vexatum senserat; qui vero tandem ita auctus est, ut vix amplius deglutire & respirare potuerit, adeoque fere confectus fuerat, ut suffocari sibi videretur. Nonne exempla hæc artis chirurgicæ valorem ac præstantiam satis indicant? nonne clare evincunt, quod *chirurgia sæpe efficiat, quod medicina nequit*? Ipse enim cum multis aliis commilitonibus harum curationum sive operationum periculosissimarum testis fui oculatus, ipse vidi, quod medicamenta sola, cen-

[*a*] Ita fere sentire videtur Gualterus *Harris* in dissert. suis medicis & chirurgicis variis in locis.

[*b*] Vid. graves ejusmodi autores in Excell. Dn. *Præsidis* instit. chirurg. pag. 10. & seq.

centies adhibita, ut & ipsa cura, quam *sympatheticam* dicunt, & quam multi egregii viri, dum medicamenta omnia frustra adhibuerant, in hocce casu ultimo summopere laudaverant, nihil effecerunt, sed brevi ægrum certe mori tradidissent, nisi manu chirurgica servatus esset. Video ex his omnibus resultare, quod una pars medicinæ alteri manum præbeat, quod chirurgia ac medicina à se invicem separari nequeant, sed comites esse debeant individuæ, si alias medicus ac chirurgus suo munere rite volunt defungi. Taceant itaque chirurgiæ osores & calumniatores; taceant, qui studium hoc nobilissimum vilipendunt aut contemnunt, illudque medico indignum esse clamant. Hæc sunt ea, Lector Benevole, quæ animum mihi addiderunt, ut argumentum chirurgicum pro disputatione inaugurali elegerim; atque id quidem, quod in hac musarum Julia, in cive quodam honesto contigisse, ipse vidi. Det modo D. T. O. M. ut hæc studiorum meorum prima conamina in sui laudem & ægrorum emolumentum cedant. Tu vero B. L. mendas, si quæ forte irrepserint, censorio supercilio nimis rigide perstringere noli, me, data occasione, æqualia humanitatis officia præstiturum esse, ut certo tibi certius persuadeas, est, quod enixe oro atque rogito, vale ac fave.

CASUS.

I.

Sutor quam ex primariis hic Helmstadii, die 14 Maii hujus anni, tempore matutino, hora circiter septima, cultro quodam acuto, quali plerumque ad calceos conficiendos, coriumque exscindendum atque adaptandum uti solent hi artifices, malo fato arteriam cruralem in femore dextri pedis, amplo satis vulnere, graviter se vulnerat, id quod sequente modo contingebat. Sedebat in sella, atque in calceo quodam perficiendo sive exasciando occupatus, forte fortuna culter iste ipsi e manu excidit; genubus vero fortiter adductis eum subito excipere satagens, id quod homines in ejusmodi casibus plerumque facere solent, manubrium cultri, qui transversam acquisiverat posituram, in sinistri femoris partem inferiorem impingit; cuspis vero acuta dextri femoris interiorem partem respiciebat, quam itaque ea contractionis genuum vi ac impetu, mala fortuna, ita in femur dextrum, ad sex circiter digitos transversos supra genu impellebat, ut arteria cruralis, sive rectius *femoralis*, hoc ipso secundum lineam rectam, (vid. figuram nostram I. litt. A.) graviter vulneretur. Factum enim est statim, ut ingens sanguinis copia, sicut in omnibus majorum arteriarum læsionibus accidere solet, ex hoc vulnere cum impetu mox prosiliret.

II.

Vulneratus satis intrepidus, partim ipse, partim præsentes & adstantes ejus domestici, quum id viderent, concurrentes ægroque subsidio venientes, vulnus partim digitis, partim linteis comprimere, sanguinisque profluvium vehemens cohibere tentant ac student, non putantes, quod vulnus hoc adeo grave ac periculosum esset; cum vero illud non possent, & æger jam ex magna sanguinis profusione valde debilitaretur, de salute sua sollicitus, chirurgum legionis militum primarium, qui non adeo remote à vulnerato degebat, advocari curat, compresso interim vulnere, quantum poterant. Qui cum veniret, vulnus adhuc multum sanguinis fundebat, id quod linteamentis carptis, liquore quodam styptico imbutis, itemque *lycoperdo*, quod *bovist* vulgo appellant chirurgi, probe replebat, superimpositis splenijs variis, ea spe, fore, ut sanguinis profluvium ita cohiberi queat.

III.

Cum vero hoc non sufficere videret, dum sanguis hæc omnia, licet digitis ea comprimeret, larga adhuc copia penetraret, chirurgus hic senex & satis expertus, alios adhuc in auxilium vocari desideravit; præsertim cum ægrum sensim valde languescere conspiceret, & mortis periculum satis inde agnosceret. Vocabatur itaque ex ædibus *Ill. Dn. Præsidis* Studiosus quidam medicinæ ac chirurgiæ veteranus & probe exercitatus *Wagenerus*, amicus meus conjunctissimus, qui, cum ex nuncio locum vulneris & gravitatem profusionis sanguinis intelligeret, *machinam tortilem*, vulgo *torcular* sive *tourniquet*, dictam, & speciatim eam à *Dom. Præside* correctam [c], cum ceteris ad hanc rem requisitis necessariis mox secum fert, atque ad ægrum adveniens, arteriam cruralem læsam esse, ex loco vulneris & ingenti copia sanguinis, quam in terram jam profusam conspiciebat, & qui adhuc fluebat, neque chirurgi castrensis compressione penitus cohiberi poterat, haud sine ratione judicabat.

IV.

Præ omnibus igitur, dum chirurgus castrensis os vulneris linamentis & digitis, quantum poterat, comprimebat, torcular indicatum, præstantissimum atque divinum in his malis remedium, femoris parti superiori admovebat. Vid. fig. I. Litt. B. C. impositā scilicet fascia convoluta & crassa, loco B, ubi truncus hujus arteriæ femoralis situs est, & circumducto idoneo splenio clausoque cingulo B C, torcular ad locum C, sive exte-

[c] Vid. ejus, Instit. chirurg. Tab. V. fig. 6.

exteriore femoris parte, ſuppoſito & huic ſplenio craſſo, trochlea ſtringebat, donec in vulnere ſanguinis profluvium ceſſaret.

V.

Cum vero & hic, dum caſum ejuſmodi nondum vidiſſet, & multa adhuc agenda ſupereſſe probe cognoſceret, viribuſque ſuis, ut prudentis junioris medici & chirurgi eſt, in re tam ardua & periculi adhuc pleniſſima, non ſatis confideret, prudentiorem magis in his rebus expertum virum ac nominatim *Exc. Dn. Præſidem* adhuc advocandum eſſe ægro, uxori & amicis ægri mox ſuadebat, qui eum etiam cito advocandum curarunt.

VI.

Hic etiam, cum una cum aliis Studioſis medicinæ, mox adveniſſet, & torcular rite adhibitum eſſe vidiſſet, hoc nondum ſufficere dixit, ſed præmiſſo prognoſtico de curationis ſumma difficultate atque eventu dubio, aptum vulnus hoc arteriæ periculoſiſſimum deligandi modum ſe primum ad vitam & pedem ægri ſervandum adhibiturum eſſe, ait, qui ſi feliciter ſuccederet, ut ſpes ipſi adhuc ſupereſſet, bene pro ægro eſſe; e contrario, ſi ille, laxato, quantum ſatis eſt, torculari, non ſuccederet, & ſanguinis profluvium hoc non cohiberi queat, vulnus incidendum arteriamque læſam quærendam & circumducto filo ſupra vulnus conſtringendam ſive ligandam eſſe, imo ſi forte non niſi unicus arteriæ cruralis truncus hoc in femore adeſſet, ſicut ſæpe obſervari ſolet, ſubinde ne ligaturam quidem arteriæ læſæ ad ſanandum hoc malum ſufficere, quia tunc partes infra ligaturam poſitæ, ob ſanguinis arterioſi hac ipſa ſublatum influxum, ſphacelo corripi ſolent, ita ut æger tunc ſine ablato crure ſummoque vitæ diſcrimine ſervari non poſſit.

VII.

Interea tamen ſe blandiorem & meliorem, qui apta deligatione fit, modum primum tentaturum eſſe promiſit, cum ſpes ipſi eſſet, eum una cum prudenti torcularis uſu hic ſuccedere poſſe: quia ſcalpellum arteriam forte non tranſverſe diviſiſſet, aut omnino inferiorem arteriæ partem à ſuperiori reſecuiſſet, ſed ſecundum longitudinem tantum incidiſſet, quæ læſio faciliorem curationem admitteret.

VIII.

Itaque vulnere, linamentis carptis ac probe contortis, alcohole vini bene imbutis, repleto, lycoperdum, his ſuperimpoſuit, ſuper hoc ſplenia

tria crassa, gradatim majora, quorum primum longitudinem vulneris paulo superabat; alterum hoc rursus paululum majus, tertium vero rursus hoc alterum magnitudine superabat, eaque chirurgo firmiter continenda, committebat.

IX.

Postea *splenium longum angustum, & duos digitos crassum*, ea longitudine, ut fig. I. a litt. A. ad B. se extenderit, ei tractui femoris interiori, qui hic punctulis D D. indicatur, ubi truncus arteriæ læsæ situs erat, imponebat. Hoc facto, *fasciam* longitudine sex ulnarum parisiensium sumsit, quæ tres digitos lata erat, eamque circa vulnus & splenia, gradatim ipsi imposita, sexies ad splenia hæc supra vulnus probe firmanda circumduxit; postea per ductus spirales obtusos ad genu descendit, factoque uno circuitu infra genu, sursum ad femur & vulnus reascendit, factisque iterum aliquot super primis in loco vulneris ductibus, ad os vulneris tanto melius comprimendum & claudendum, sicut fere alias in fracturis simplicibus hujus femoris ossis fieri solet, à vulnere sensim per ductus similes spirales obtusos sursum versus torcular B. C. ascendit; verum ab hoc loco femoris supremo sic sensim versus vulnus rursus descendit, hisque spiris splenium illud longum & crassum in loco D D. positum rite firmaret, eoque modo arteriæ truncum subtus positum apte comprimeret, ut relaxato postea torculari, impetus sanguinis in hanc arteriam & vulnus multum imminueretur, atque sic sanguinis nova profusio nonsolum impediretur, verum ora vulneris rectius rursus glutinari queant. Denique factis adhuc aliquot ductibus laxioribus, spiralibus, modo sursum, modo deorsum, ad præcedentes melius firmandos, finem fasciæ, ubi desinit, acu & filo firmari jussit.

X.

Fascia itaque sic injecta, ægroque in lectulo commode collocato, torcular non removit, sed tantum ejus trochleam ita blande relaxavit, quantum pro aliquo influxu sanguinis in femur & totum pedem procurando, opus esse credidit, id quod ex modico tantum & tolerabili doloris sensu, quem æger percipit, dijudicandum esse docuit. Nam quam diu vehementem æger dolorem in loco, ubi torcular collocatum est, percipit, nimis hoc adhuc constrictum esse inde colligi, satis vero eum relaxatum esse docet, quando dolorem & constrictionem tantum modicum eumque satis tolerandum æger sentit.

XI.

Hoc itaque in statu, ordinatis tamen prius medicamentis roborantibus, subin-

ſubinde ſumendis, præſcriptoque apto victus regimine ab Excell. D. *Præſide* relictus, verum curæ & Studioſorum medicinæ & chirurgi, qui primus apud ægrum aderat, ab eo commendatus erat, quorum duo nimirum per plures dies atque noctes vigilias apud ægrum egerunt, quique non ſolum novis adhuc ſpleniis & faſciis, atque ſimul, ſi forte hæmorrhagia quædam nova incideret, quomodo torcular dirigerent, illudque rurſus conſtringerent, ab ipſo inſtruebantur. Ita æger e mortis periculo non ſolum ereptus & ut dici ſolet, ex orci faucibus extractus, verum etiam tandem feliciter, duorum circiter menſium ſpatio, perfecte curatus eſt, ita ut poſtea ad conſuetos ſuos labores redire potuerit, & optima adhuc dum ſanitate ſine ullo incommodo fruatur. Quid vero in curatione actum, quomodo vulnus deligatum ac glutinatum ſit, quæ poſt glutinationem facta ſunt ad aneuryſma avertendum, & quæ alias ſcitu digna ac neceſſaria ſunt circa ejuſmodi mala, in ſubſequente explicatione & illuſtratione hujus caſus dicemus.

EXPLICATIO ET ILLUSTRATIO HUJUS CASUS.

XII.

CUm de arteriæ cujuſdam & quidem *cruralis* periculoſiſſimo vulnere in noſtra diſſertatione agimus, neceſſarium eſſe exiſtimo paucis indicare, *quid nomine arteriæ*, quid poſtea *cruralis*, & deinde etiam *vulneris* intelligamus.

XIII.

Arteria deſcribitur ab Anatomicis, quod ſit vas ſanguiferum, conicum, pulſans, elaſticum, pro ſanguine à corde ad omnis corporis partes, pro variis iiſque diverſiſſimis uſibus devehens.

XIV.

Duæ primariæ ſunt in corpore humano aliorumque animalium arteriæ, *pulmonalis* ſcilicet atque *magna*, quæ *aorta* quoque dici ſolet. *Pulmonalis* à ventriculo cordis dextro, quem quidam recentiores *anteriorem*, alii *ſuperiorem*, vocare malunt, incipit, per ſolos pulmones innumeris ramulis diſtribuitur, ſanguinemque e ventriculo cordis dextro propulſum, per pulmonem dextrum & ſiniſtrum in venam pulmonalem, & ex hac in auriculam & ventriculum cordis ſiniſtrum, poſtquam reſpirationis beneficio magis, quam antea fuit, in his comminutus eſt, multo floridiorem, &

tenuiorem impellit. Sed cum hæc nihil prorsus faciat ad noſtrum ſcopum, nihil amplius etiam de hac hic ſum dicturus.

XV.

Altera corporis *arteria* princeps, quæ *magna* ſive *aorta* appellatur, e *ſiniſtro* ſive poſteriori cordis ventriculo, magno eoque unico oritur trunco, qui ſicut pulmonalis arteria in principio ſuo *tres habet valvulas*, *ſemilunares* dictas, ita poſitas ac fabricatas, ut ſanguis, quem e corde contracto, ſive in ſyſtole ejus acceperunt, in diaſtole ejus in cor regredi nequeat: dum ita ſeſe expandunt, ut viam ex arteriis his in cor occludant: adeoque, dum arteriæ ſe tunc conſtringunt, ſanguis in eis contentus, à vi elaſtica arteriarum fortiter compreſſus in cor non remeare, ſed vi arteriæ coactus, verſus partes omnes corporis, per innumeros ejus ramos & ramulos ad ultimas uſque extremitates progredi cogatur.

XVI.

Non vacat jam *diſtributiones trunci arteriæ aortæ* omnes recenſere, quia hoc me nimis à ſcopo meo abduceret; interea tamen, qui eas ſcire, aut in figuris æneis videre cupit, illi autor ſum, ut figuras totius hujus arteriæ apud *Veſalium*, *Euſtachium*, *Verheyenum*, *Cowperum* vel *Drakium*, Autores Anatomicos celeberrimos, inſpiciat, ſic inde motus & diſtributionis ſanguinis per totum corpus aptam aliquam ideam ſibi formare poterit. At, cum ſpeciatim de *cruralis arteriæ vulnere* hic agimus, de hac paulo uberius nobis exponendum erit.

XVII.

Nomen habet hæc arteria à *cruribus*, quia crurum nomine integri ſubinde pedes, ab infima ſcilicet abdominis parte, uſque ad calcem intelliguntur. Attamen quia pedes integri, ſub *crurum* nomine ita ſæpe intellecti, ab accuratioribus Anatomicis rurſus in *femora* & *crura*, ſtricte ſic dicta, dividuntur, intelligitur tunc femoris nomine pars pedis ſuperior & craſſior, ab imo ventre incipiens & ad genu uſque ſe extendens; cum contra *crurum nomine* ſtrictius ea pedum pars ſolum accipiatur, quæ inter genu & pedem extremum interjacet, vulgoque *tibia* hodie adpellari ſolet. Hoc itaque ſenſu arteria illa, quæ in ſutore noſtro læſa fuit, *femoris* rectius ac diſtinctius appellatur: quia in ea parte vulnerata eſt, quæ proprie *femoris* nomine venit, & quæ in tibia collocatæ ſunt, ſive per tibiam diſtribuuntur, *tibiales arteriæ* vulgo dici ſolent. Interea tamen verba valent ſicut nummi, noſque quia quamplurimi arteriam *femoralem* adpellari ſolent *cruralem*, pro ſynonymis hic habebimus *arteriæ*

femo-

femoralis & cruralis vocabula, ne quis forte eas pro diverſis aut diſtinctis habeat, vel à nobis ita haberi credat.

XVIII.

Harum *arteriarum cruralium* ſive femoralium *duæ ſunt*, una ſcilicet in unoquoque crure ſive femore, quæ oriuntur, *ex ita dictis iliacis* & hæ ex ima parte trunci arteriæ aortæ, deſcendentis dictæ, qui truncus circa infimas lumborum vertebras in abdomine in duos magnos ramos diſtribuitur, qui *iliacæ* adpellantur arteriæ & verſus crura progrediuntur, alter ad dextrum, alter ad ſiniſtrum, & quamdiu in abdomine manent, nimirum à fine ſeu infima aortæ parte uſque ad egreſſum ex hoc, *iliacarum arteriarum nomen* retinent, mox vero, quando extra abdomen, femur ingrediuntur, licet eædem ſint arteriæ, tamen à ſitu, in quo nunc ſunt, ſive à parte, quam tranſeunt, *cruralis* ſive *femoralis* nomen aſſumunt. Conf. ſi placet, figuræ autorum ſupra §. XVI. nominatorum.

XIX.

His arteriis ſapientiſſimus machinæ noſtræ conditor aptiſſimum, qui excogitari poteſt, dedit ſitum, ne, quia læſio earum valde periculoſa eſt, facile lædantur, ſed à quamplurimis injuriis, læſionibus & ictibus quibus femora expoſita ſunt, defenſa lateant. Nimirum non deſcendunt ad genu *vel per anteriorem vel per exteriorem femoris partem*, quippe quæ omnis generis læſionibus quam maxime expoſitæ ſunt; verum oblique per interiorem partem, juxta *muſculum ſartorium* & *vaſtum* internum dictum, ita ut quamplurimæ læſiones & ictus eas attingere nequeant; ſed e contrario pauciſſimis tantum, quantum fieri potuit, feriri queant, progrediuntur. Quoniam vero in interiori latere collocatæ ſunt, factum eſt, ut ſingulari prorſus ratione in vulnerato noſtro altera earum, ſicut §. I. dictum eſt, læſa fuerit.

XX.

Deſcendit etiam arteria cruralis *unico* tantum plerumque *trunco*, per femur totum uſque infra genu & utplurimum tantum minores ramulos ad muſculos vicinos prægrandes nutriendos ſpargit, quo fit, ut, quia magna eſt hæc arteria, dum integro cruri ſive pedi ſufficiens nutrimentum afferre debet, ejus læſio, ob celerem & copioſam ſanguinis, quando vulnere paulo ampliore, vel altiori loco læſa eſt, profuſionem, ſubitaneam ſæpe mortem afferat: ſicuti non ſolum autores quam plurimi,

mi [d], sed tristissimus etiam casus, qui ante aliquot annos hic contigit, comprobant, ubi *quis*, *ex læsa hac per gladium arteria*, vulneratus intra pauciſſima horæ momenta, & fere in ipso læsionis loco animam cum sanguine, antequam ei succurri potuerit, amisit.

XXI.

Interea tamen etiam subinde in *suprema femoris parte in duos magnos quasi truncos se dividit*: quorum alter interiorem, ordinariam & consuetam femoris partem, sicut modo diximus, occupat; alter vero, attamen priori minor, per exteriorem, profunde tamen sub musculis & inter eos, satis hic crassos, divisus in ramulos ad genu usque descendit, quemadmodum eum non solum *Verheyenus* [e] præ omnibus aliis Anatomicis optime delineavit, verum & Celeb. Dom. *Præses* ipsum etiam aliquoties in cadaveribus, præsertim quorum arterias ceracea materia repleverat, eadem fere ratione offendit: cujus rei scientia ad res quasdam, circa vulnera harum arteriarum gravis momenti, infra exponendas, rectius intelligendas quam plurimum facit. Hinc tanto magis miror, quod multi magni Anatomici hujus rami nullam prorsus mentionem fecerint; cum tamen non sit adeo rarus.

XXII.

Quando autem truncus major vel interior fere ad genu pervenit, adhuc magis introrsum se inflectit, ita ut tandem ad posteriorem ossis femoris partem perveniat, ubi *arteriæ popliteæ* nomen assumit & mox intra interstitium duorum condylorum ejus se abscondit, ita ut & hic facile lædi nequeat. Hinc per articulum sive flexuram genu, quam *poplitem* vulgo appellant, pergit ad tibiam, suram ingreditur, locum intra duo cruris ossa, tibiam scilicet & fibulam, occupat, ibidem in duos tresve magnos se dividit ramos, qui postea per totam tibiam & pedem pulcherrime distribuuntur, omnibusque partibus hic collocatis sanguinem afferunt; de quibus vero, quia ad scopum nostrum non pertinent, hic plura haud dicemus.

XXIII.

Ita & *de arteriarum fabrica* multa hic dicere & proferre possemus, nisi prolixitatem vitare mallemus, adeoque tantum maxime necessaria, quæ ad

[d] Ex quibus nunc solum nominabo *Bohnium* de vulner. renunc. p. 135. *Zittmann* p. 710. p. 724. *Waldschmid.* in dissert. de vulneribus arteriarum in artubus sæpe funestis raro lethalibus p. 16.

[e] In Anat. corp. hum. Tab. XXXVIII. fig. 2. litt. B.

Landesbibliothek Oldenburg

ad ſcopum noſtrum illuſtrandum faciunt, hic ſum prolaturus. Conſtant unanimi conſenſu ex tunicis, & quidem ſecundum Cel. Dom. *Præſidem* [*f*] ex *quinque : vaſculoſa* ſcilicet, *celluloſa*, *tendinea*, *muſculoſa* & *nervea*, in canalis robuſti conici figuram combinatis; alii, alio modo numerant. Interea vero prætermiſſis hic aliis arteriarum tunicis, de quarum numero inter Anatomicos adhuc diſceptatur, non *niſi de muſcularibus ac tendineis*, licet nonnulli eas negare voluerint [*g*], pauca proferre neceſſarium eſſe judicamus. Eas vero muſculoſis & tendineis inſtructas eſſe, docet primo reſolutio earum anatomica: dum in anatomicis ſuis demonſtrationibus Excell. Dom. *Præſes* eas nonſolum in arteriæ aortæ trunco copioſas & craſſas ſatis demonſtravit, eaſque etiam ita præparatas in ſpiritu adhuc conſervat; verum etiam phænomena, quæ quando agunt, ſive quæ in actione earum obſervantur, quam manifeſtiſſime hoc comprobant: dum ab impetu & preſſione ſanguinis à corde, & ſpeciatim ejus ſyſtole, magna vi in illas propulſi, arteriæ expanduntur, dilatantur, & attolluntur, id quod in pulſu earum digitis appoſitis clare percipitur; verum etiam quando ſic dilatatæ per vim ſuam elaſticam, (quam à muſculoſa ac tendinea ſua fabrica habent) ſe rurſus conſtringunt, & ſanguinem e corde receptum ulterius verſus extrema magna vi propellunt.

XXIV.

Conſtat vero hæc fabrica tendinea ac muſculoſa (1) *ex fibris copioſis annularibus*, tunicas ſive lamellas componentibus varias, ſibi invicem tanquam ſtrata ſuperimpoſitas, plures in majoribus, cavum arteriæ in circuli ſive annuli modum ambientibus, & elaſtica ſive muſculoſa vi præditis, prolixius in Celeb. Dom. *Præſidis* Compend. Anatom. Tom. II. Nota 63. p. 120. deſcriptis, ob quas à *Douglaſſio* arteriæ haud male, (ſicuti cor, uterus & veſica) *muſculi cavi* appellantur (*h*), & à quibus potiſſimum vis arteriarum elaſtica ſive contrahens, quando in ampliorem diametrum, vi ſanguinis irruentis fuerunt diſtentæ, in anguſtiorem ſe rurſus conſtringunt, dependet.

XXV.

Obſervatur vero nonſolum hæc vis conſtringens in arteriis, qua diſtentæ vi quacumque in anguſtius ſe ſpatium rurſus conſtringere, ſive amplitudinem earum minuere poſſunt; verum etiam in iis vis deprehenditur, qua

[*f*] In Compend. ſuo anatomico p. 156.
[*g*] Qua de re videri poteſt idem libell. Tom. II. p. 120. Nota 63.
[*h*] Vid. Diſſert. ejus de *Peritonæo*, a Clariſſ. Dn. *Heiſtero* Filio, pie ſuperiori anno defuncto, ex Anglico latine quondam reddita p. 55.

Landesbibliothek Oldenburg

qua *secundum longitudinem se contrahunt*, quæ vis potissimum observatur, quando arteria quædam paulo major, transversim vel ex parte, vel tota dissecatur. Quando enim hoc ultimum fit, vel etiam in mortuo animali experimentum instituitur, pars cor respiciens, versus cor; pars vero extrema, cum extremis connexa, versus extrema, atque sic utraque pars sectæ arteriæ versus sua extrema retrahitur, eadem prorsus ratione, ac si, quando chorda quædam tensa discinditur, *partes dissectæ versus extrema sua se retrahunt.* Quando autem *pars tantum arteriæ* & quidem dimidia circiter, aut adhuc plus quam dimidia, transversim *dissecatur*, partes dissectæ eadem fere, ut modo diximus, ratione versus cor & extrema se retrahunt, quod vi tunicæ & *tendineæ* & *nerveæ*, musculosas annulares fibras extus & intus ambientis, atque in quibus forte *fibræ per longitudinem exporrectæ, licet perspicue satis videri nequeant*, fere ut in aspera arteria & bronchiis pulmonum, quæ vi tunicæ suæ interioris longitudinem suam breviorem reddunt, ac pulmonem vel centies flatu distentum, etiam adhuc in mortuis, centies rursus constringunt, atque sic & hæc & arteriæ ob hanc fabricam ex analogia cum aspera arteria similem, in perpetuo sunt nisu se abbreviandi, sive secundum longitudinem se contrahendi [*i*], unde fit, ut in vulnere arteriæ paulo majori, transversim inflicto, difficilius non solum sanguinis profusio cohibeatur, verum etiam glutinatio quam difficillime obtineatur: quia ob dictam rationem illud vulnus ab ipsa natura & fabrica arteriæ semper distrahitur, ut claudi vel glutinari aut vix aut saltem quam difficillime queat. Contra ex hoc phænomeno illustratur, *quare vulnus secundum longitudinem inflictum*, sicut hoc nostrum erat, *facilius coëat.* Ex eodem etiam adhuc fundamento provenire existimo, quod & homines & animalia vulnerata, quæ ex hæmorrhagia moriuntur, in ultimo vitæ termino, sive in agone, ut vulgo dici solet, *extremorum convulsivis motibus afficiantur*: quia vasa sanguine exinanita, adeoque vi distendente jam destituta, se ad omnem mensuram & sic etiam secundum longitudinem se constringunt, atque sic extrema sua versus cor, tanquam principium & punctum quasi fixum arteriarum, retrahere & cum impetu quasi rapere nituntur.

XXVI.

Exposita arteriæ natura, & simul quid *cruralis* sit, explicandum mihi nunc est, *quid vulneris nomine* intelligatur. Hoc vero nihil aliud hic intelligo, quod *solutam unitatem* sive unionem *partium mollium* à vi externa, &

[*i*] Hæ *fibræ* quidem *longitudinales* difficulter demonstrari possunt, sicut Cel. *Morgagnius* jam in Adversar. suis Anatom. II. p. 78. docuit: attamen ex vi hac contractili, tales vel forte etiam *spirales* annularibus mixtas adesse, suspicandum est, licet demonstrari nequeant.

Landesbibliothek Oldenburg

& quidem utplurimum ab instrumento acuto (sicut in nostro ægro factum est) excitatum. Hic vero in nostro ægro nonsolum cutis & pinguedo, verum etiam *ipsa arteria cruralis*, cum incumbente hic musculo sartorio vulnerata atque incisa est, sicuti ex loco, quo vulnus hoc erat, conspici & ex largissima sanguinis profusione dijudicari poterat.

XXVII.

Quod vero vulnera hujus arteriæ periculosissima, atque plerumque *funesta ac mortifera*, sive, ut vulgo dicunt, *lethalia* sint, ob subitaneam eamque ingentem sanguinis profusionem, jam supra §. XX. indicavimus, atque vix ullus est prudens, qui hac de re vel unquam dubitavit; cum tot exempla prostent eorum, qui brevi inde mortui sint. Interea tamen hæc vulnera *non pro absolute lethalibus semper habenda esse*, non solum præter alios *Exc. Dom. Præses* ostendit [*k*]; verum vivo etiam, ut dici solet, exemplo, noster vulneratus demonstrat, quia in tempore auxilium petiit, atque convenientissima curandi ratione ipsi prospectum est: primo sistendo sanguinis profluvium, novumque fluxum prohibendo, ac deinde etiam vulnus rite obligando ac glutinando. Quomodo autem *Exc. Dom. Præses* sanguinis fluxum cohibuerit, jam in casu §. VIII. & seq. expositum est, ideoque restat, ut de glutinatione tantum hic adhuc dicamus.

XXVIII.

Antequam vero hanc exponamus, monendum prius est, altero die, forte ex relaxatis fasciis, profluvium sanguinis ex vulnere rediisse; quod vero constricto paululum torculari, novisque spleniis vulneri superimpositis, aliaque adhuc fascia super injecta rursus cohibitum est, quæque ita ad quartum usque diem relictæ sunt, ægro satis bene se habente. Interea tamen Ill. Dom. *Præses* semper instrumenta, quæ ad arteriam læsam, acu aliisve ferramentis ligandam necessaria sunt, parata servavit, ut in casu necessitatis iis mox uti posset.

XXIX.

Cum vero quarto die vulnus male olere inciperet, præsertim cum dies calidi inciderent, vulnus primo resolvendum esse judicavit. Ut vero hoc securius fieret, omnibus prius ad novam deligationem rebus necessariis præparatis, trochleam torcularis paulo constrinxit, ac postea fascias lente ac prudenter, me aliisque Studiosis medicinæ præsentibus, resolvi curavit. Fasciis resolutis, splenia, quæ sponte quasi aut facile saltem recedebant, sanguine ebria ipse blande removit; sub quibus larga satis sanguinis fœ-

[*k*] In Instit. Chirurg. suis. p. 52.

Landesbibliothek Oldenburg

tidi copia latebat, quæ tunc effluebat, ſanguine novo aut recenti non prodeunte. Cum vero inferius ſplenium una cum lycoperdo & linamentis vulneri impreſſis fortius adhuc inhærerent, ea & hic, ſicuti in aliis gravioribus vulneribus, evellere pernicioſiſſimum judicavit, ſed nova ſplenia gradatim majora, mixturaque ex aqua calcis & ſpiritu vini camphorato imbuta, loco priorum applicavit, & poſtea, ut prima vice §. IX. vulnus deligavit, reſoluta poſtea denuo aliquomodo torcularis trochlea, quantum æger id commode ferre potuit: quo in ſtatu etiam per triduum rurſus relictus eſt, ea adhibita cautela, ut ſi forte ſanguis e vulnere prodiret, ipſe paulo trochleam adſtringeret: id quod tamen opus non erat.

XXX.

Poſt triduum, quo parum vel nihil ſanguinis penetravit, faſciam, conſtricta prius denuo torcularis trochlea, altera vice reſolvi curavit, remotis poſtea rurſus ſpleniis antiquis, purgatoque vulnere ope linamenti à cruore putreſcente. Linamenta vero carpta una cum lycoperdo vulneri adhuc firmiter inhærebant, adeoque nihil adhuc hic vi evellendum eſſe præcepit, ſed vulnus tantum unguento digeſtivo ſimplici, ex terebinthina & vitello ovi parato, illinendum eſſe juſſit expectandumque eſſe dixit, donec ſuppuratione facta, ea quæ vulneri ad ſanguinem cohibendum immerſa erant, ſponte ſolverentur atque exciderent, vulnuſque, ut nuper factum erat, rurſus obligabatur, relaxata poſtea iterum paululum trochlea. Ceterum æger bene ſe habebat, atque ab Cel. *Dom. Præſide* denuo admonitus erat, ut quando forte ſanguinis fluxum aliquem in vulnere ſentiret, quia periculum nondum ſuperatum eſſet, *torcular paulo rurſus conſtringeret*; ubi vero doloribus inde urgeretur, illud paululum relaxaret, ne pes gangræna aut ſphacelo corriperetur: id quod etiam ex hac informatione probe didicerat, atque ſedulo obſervaturum eſſe promiſerat.

XXXI.

Ex quibus forte etiam *præſtantia hujus hic adhibiti torcularis præ vulgari dijudicari poterit*, dum vulgare, poſtquam injectum eſt, ſemper adjutorem ſive miniſtrum requirit, qui illud perpetuo contineat & firmet, hoc vero ob fabricam ſuam, vel ſponte ſua, parti ita inhæret, ſicut medicus ſive director ejus id velit; vel facile etiam ab ipſo ægro, ſi miniſtri vel adjutores forte nulli adeſſent, pro neceſſitate vel fortius adſtringi vel relaxari poteſt, ſi hac de re modo prius, ut par eſt, edoctus fuerit, ſicut etiam hic noſter æger ſæpe fecit. Præterea quia cingulum ſive lorum hujus torcularis non ubique membrum ſive partem, quam ambit, arcte ſtringit, ſicuti vulgare torcular facit, eoque ipſo ſanguini venarum fere omnem refluxum præcludit, verum ab extremis hujus torcularis novi laminæ tranſverſæ inferioris

BB, FF, (vid. Cel. Dn. *Præſidis* Inſtit. Chirurg. Tab. V. fig. 6.) quaſi fulcris ſuſtentatur, ne partes vicinas omnes nimium comprimere poſſit, utrinque motui ſanguinis aliquod ſpatium relinquitur, ut reditum ſuum ad cor, per venas utrinque hic collocatas, utcumque continuare queat; cum alias in vulgaris uſu, ſi in ejuſmodi læſionibus diu in parte læſa relinquendum eſt, ob venas omnes valde compreſſas, pars infra vulnus vehementer intumeſcat, indeque acerbiſſimi dolores & ſphacelus inde concitentur; aut ſi relaxetur, aut removeatur, ſanguinis profluvium redit, adeoque vel hoc vel prius malum, ſphacelus ſcilicet, ægrum conficit, ſicuti Exc. D. *Præſes* alias ſæpius vidit: quæ vero mala omnia, prudenti hujus machinæ uſu, in hoc noſtro ægro non inciderunt.

XXXII.

In tertia deligatione, quæ rurſus non citius, quam triduo interjecto, inſtituebatur, torcular hoc rurſus paululum, quantum æger ſine inſigni dolore ferre poterat, ab Ill. Dn. *Præſide* adſtringebatur. Poſtea, faſcia reſoluta, ſpleniiſque remotis, lycoperdum una cum linamentis, in prima deligatione vulneri immiſſis, excidebat, atque ſimul larga ſatis ichoris ſubcruenti copia, quæ ſubtus collecta erat, effluebat, nullus vero recens ſanguis ex arteria læſa profluebat: id quod bonum de ſperanda vulneris arteriæ glutinatione augurium præbebat. Itaque ſine vulneris ſcrupuloſa perſcrutatione mox, abſterſo tantum hoc ichore, novis linamentis contortis, (quæ Galli *bourdonets* vulgo adpellant) digeſtivo unguento obductis, tepide vulnus probe replebatur, ſuperimpoſito emplaſtro glutinante, atque ſpleniis gradatim majoribus, ut in prima & altera deligatione factum erat, faſciaque eadem ratione, ut §. IX. dictum eſt, rite ſuperinjecta: quod poſtquam factum erat, trochlea torcularis paulo rurſus reſolvebatur; ita ut æger illud ſine vehementi dolore perferre potuerit, eumque ſic, commendato vitæ apto regimine, valere juſſit.

XXXIII.

In ſequentibus deligationibus, quas tertio vel quarto tantum quovis die Ill. Dn. *Præſes* reiterabat, & quibus ſemper interfui, eadem deligandi ratione actum eſt, ut XXXI. deſcripſi; niſi, quod in quinta vel ſexta deligatione, primo vulneri imponendo ſplenio laminam ſubovatam metallicam immitti ſemper curaverit, pro arteriæ vulnere tanto melius comprimendo, firmioreque cicatrice in eadem producenda, atque ſimul pro nova ſanguinis profuſione & aneuryſmate certius avertendis. Quibus factum eſt, ut ſic vulnus ſenſim ſit imminutum, atque tandem tempore duorum menſium feliciter omnino glutinatum: ubi ſolum hoc adhuc monere volui, quod torcular in femore ad quartam uſque hebdomadem, cum regimine dicto, circa femur in conſueto loco relictum ſit, ultima tamen hebdomade paulo minus, quam

antea constrictum: reliqua vero splenia tam vulneri, quàm trunco arteriæ imposita, una cum lamina metallica ac convenienti regimine, quod æger sanitatis cupidus quam accuratissime servavit, ad finem usque curationis, prædicta ratione continuata sunt, nisi quod ultimis hebdomadibus loco unguenti digestivi linamenta carpta inferiora balsamo copaivæ fuerint imbuta.

XXXIV.

Denique cum ad finem fere curatio perveniisset Ill. Dn. *Præses*, uberius adhuc sollicitus fuit de aneurysmate avertendo, id quod alias facile, licet ejusmodi vulnera etiam sanata sint, postea adhuc supervenit [*l*]. Ad hoc vero præstandum, non solum subovatam laminam quandam metallicam, quinta vel sexta deligatione, ut modo §. XXXIII. diximus, vulneri superimponi curavit, verum etiam machinam aptam coriaceam ægro proposuit, quam ipsi, sanato etiam vulnere, circa locum vulneris diu gestandam suasit, ut sic recens nimisque mollis tunc adhuc arteriæ cicatrix, donec probe induretur, compressa servetur: quia alias facile, nisi sic impediatur, aneurysma periculosum sequeretur. Hoc cum vulneratus intelligeret, ipse sibi hujusmodi machinam confecit, quam fig. 2. & 3. exhibemus, & quæ ita se habet.

XXXV.

Confici jussit *lorum coriaceum* satis amplum, (vid. fig. nostra 2. litt. A. A.) quo femoris partem inferiorem in loco, ubi vulnus fuit, ope fibularum B. B. & minorum lororum C. C., apte cingi atque constringi queat. Huic inseri curavit laminam illam ferream, corio molli obductam, litt. D, cicatrici, submisso prius splenio, adaptandam; *alterum postea lorum angustius*, at multo longius E E, dum prius A A, pedi erat circumductum, circa infimam ventris partem firmandum & fibula F, quoque per extremum G G ibidem adstringendum, id quod per duo lora sive frusta coriacea H H, H H, ad perpendiculum descendentia, cum inferiori A A, futuris jungebatur, ne hoc deorsum cedere & locum læsum relinquere potuerit, id quod in fig. 3. quomodo femori injectum fuerit, ostenditur, ubi litteræ huic figuræ adjectæ idem notant, quod in figura præcedenti: hinc brevitatis studiosus hic ea, quæ modo dicta sunt, repetere nolo. Hoc vero solum adhuc indicare volui, quod vulneratus hac machina adhuc dum utatur.

XXXVI.

Porro cum initio hujus curationis non adeo certus esse potuerit Dn. *Præses*, an

[*l*] Vid. non solum Dn. *Præsidis* Inst. chirurg. de *arteriarum læsionibus*, in vulneribus vel *venæ sectione*, & capite de *aneurysmate*, verum etiam præstantiores scriptores alios de iisdem argumentis.

Landesbibliothek Oldenburg

an hæc hactenus descripta curandi ratio ex voto sit successura, sicut §. VI. jam dictum est, cum sæpius *amputationem femoris* desideret, quemque modum etiam multi scriptores chirurgici adhuc, tanquam unicum & præstantissimum, tam in arteria brachiali, quam crurali vulnerata, remedium commendant; aut ex Dn. *Præsidis* sententia [*m*], ligatura prius arteriæ ope fili circumducti tentanda sit, hic etiam, cum primum ad ægrum hunc vocaretur, ferramenta ad hanc ligaturam necessaria secum attulerat, ut in casu necessitatis, ubi descripta methodus forte non sufficeret, *ligaturam* arteriæ hujus læsæ, quam apud alios scriptores adhibitam hic fuisse, hactenus nondum reperi, instituere posset, quam alias aliquoties cum successu optato *in arteria brachiali & radiali perfecerat:* atque propterea jam, tam in compend. anat. quam institut. chirurg. locis modo citatis, suasit, *nunquam mox brachium in læsa arteria brachiali*, multo minus in radiali aut cubitali læsa, *esse amputandum*; sed semper prius *ligaturam arteriæ læsæ esse tentandam*: hac vero frustra adhibita, aut sphacelo superveniente, tandem ad amputationem quoque, tanquam extremum remedium, esse progrediendum.

XXXVII.

Ratio autem, quare in ejusmodi vulneribus multi *mox amputationem suaserint*, *neglecta arteriæ ligatura*, hæc erat, quod forte *figuris autorum anatomicorum*, quas de *arteria aorta*, *arteriaque brachiali & femorali* dederunt, nimis crediderint, qui fere omnes, *Verheyeno* excepto, *unicum tantum truncum arteriæ & brachialis & cruralis delinearunt*, ut videre est in *Vesalii* & *Eustachii* imo & in recentioribus præstantissimis Anatomicis, *Cowpero* scilicet in Anat. corp. humani App. Tab. III. & *Drackio* in Anthropolog. Tab. XX. aliisque; vel etiam ex *Verheyeni* quoque figura exteriorem ramum cum cubito vel tibia non communicare judicarunt. Verum cum Exp. Dn. *Præses duos aliquoties truncos prorsus distinctos*, vel ramos saltem duos *arteriæ brachialis* ad cubitum & manum procedentes in cadaveribus in brachio deprehenderit, sicuti tam in peculiari illa, modo XXXVI. laudata dissertatione, jam anno 1730, quam in Compend. ejus Anatomico Tom. II. p. 126. descripsit, in femore fere quoque alterum majorem ramum, sicut *Verheyenus*, ut supra jam indicavi, XXI. vidit, atque verisimile sit ramos hos exteriores cum ramulis interioris & majoris circa genu communicare, *ligaturam semper prius tentandam esse*, *antequam ad crudele & miserum illud remedium*, extirpationem scilicet tanti membri, accedamus, præcipit.

XXXVIII.

Cum vero figuram, quam jam dudum hanc ob caussam delineari curavit,

[*m*] Vid. *Moebii* dissert. sub Dn. *Præs.* præsidio A. 1730. hic defensa, titulo observat. medic. p. 18. & compend. ejus Anat. Tom. II. p. 126. itemque in Inst. chirurg. p. 91. & de aneurysm. p. 445.

Landesbibliothek Oldenburg

nondum publicæ luci expoſuerit, operæ pretium eſſe judicavi, ſi & hanc utilitatis publicæ cauſſa in re tam ardua hic exhiberem, ut chirurgi non temere impoſterum ejuſmodi in caſibus ad amputationem, quæ nunquam ſine periculo eſt, accedant, atque vulneratis multis membra adeo neceſſaria conſerventur. Hæc vero ita ſe habet. In fig. 4. oſtenditur brachium dextrum AAA, tegumentis communibus denudatum; B. muſculus deltoides; C. truncus arteriæ brachialis juxta deltoidem, ab axillari arteria proveniens; D. locus ubi hoc in cadavere in duos ramos EE & FF dividebatur, quorum exterior EE, in latere muſculi bicipitis externo ſitus erat, & inde ad cubiti flexuram, indeque ſupra radium ad pollicem & manum, adeoque in externo brachii latere progrediebatur; *alter ſive internus*, ad interius latus bicipitis, ubi alias truncus primarius collocari ſolet, ſitus erat, & juxta os cubiti ſive ulnæ ad manum pergebat G, ibique per anaſtomoſes cum priori jungebatur. Quando autem ejuſmodi rami arteriæ in parte aliqua ſibi invicem adeo propinqui ſunt, haud facile contingit, quod non etiam in itinere hinc inde per ramulos e lateribus prodeuntes, & ſpeciatim circa cubiti articulum per *anaſtomoſes*, ut vulgo dicunt, jungantur, atque ſic inter ſe invicem ita communicent, ut uno ligato, per alterum adhuc integrum & apertum, vel etiam per plures minores ſanguis in partes eas, quas hic nutrire alias ſolitus erat, penetrare, eos ramulos tandem, quantum ſatis eſt, ſenſim dilatare, ejuſque vicem ſic ſupplere queat.

XXXIX.

Ne vero hoc ita in cerebro tantum excogitatum ſive confictum eſſe videatur, perſuadere me poſſunt *exempla eorum*, qui hac ratione ab Dn. *Præſide hic olim curati ſunt*; atque adhuc vivunt; ubi in vulnere interioris rami FF in brachio, arteriam, ſicuti alias in aneuryſmate curando mos eſt, *filo ope acus curvæ* Tab. I. fig. 10. *aut peculiaris ferramenti*, quale Tab. VIII. fig. 4. in Inſt. ſuis chirurg. exhibet, aliove ſimili ligavit, & vulnus poſtea ſecundum artem & deligavit & curavit: quo factum eſt, ut filum tandem putridum ſponte ceciderit, & vulnus ita coiverit, ut ægri poſtea nullum damnum in brachio ſenſerint, ſed ſucceſſu temporis eo ita, ut ante vulnerationem, uti potuerint.

§. XL.

Poſſe vero ramulos minores ſe ita ſenſim dilatare, ut §. XXXVIII. diximus, Clar. *Dn. Præſes* inde ſuſpicatur, quia cum aliquando truncum arteriæ brachialis internum, graviter vulneratum, prædicta ratione ſupra vulnus ope fili circumducti ligaſſet, *intra triduum nullum in arteria juxta carpum poſita*, quæ à medicis explorari ſolet, *pulſum ſentire aut percipere potuit*: poſthæc vero hanc arteriam primo leviſſime micare, ſenſim vero ſenſimque plenius pulſare ſenſit, indicio manifeſto, quod initio poſt ligaturam minores illi ramuli,

Landesbibliothek Oldenburg

muli, per quos communicatio majoris cum minori fit, ſanguinem non niſi exigua copia tranſmiſiſſe, quæ parva copia pulſum excitare adhuc nondum potuit; ſed pedetentim ita eos ampliatos fuiſſe, ut ſanguis tandem poſt aliquot dies libere & facile & tandem, pleno quaſi rivo, ad arteriam carpi tranſire, ſicque brachium integrum, & manum nutrire rite valuerit.

XLI.

Ex his igitur, niſi me omnia fallunt, ſponte ſequi exiſtimo, quod in ejuſmodi *vulneribus arteriarum brachialium & cruralium* primo methodus hæc in *noſtro hoc ægro uſurpata*, ſit *tentanda*; ſed ſi hac forte ſanguis cohiberi & res expediri nequeat, *ligatura* deinceps *arteriæ per filum* adhibenda; ſin vero poſt hanc *ſphacelum forte partes inferiores occupare deprehendimus*, amputatio denique tunc demum, tanquam extremum & unicum adhuc, quod ſupereſt remedium, ſit inſtituenda.

FINIS.

EXPLICATIO TABULÆ ÆNEÆ.

Fig. 1. oſtenditur femur dextrum; A. notat vulnus arteriæ læſæ; B. C. locum, ubi torcular, impoſita prius ad B faſcia convoluta & craſſa, applicabatur, & ad C, ſuppoſito ſplenio craſſo, trochlea ſtringebatur.

Fig. 2. Denotat machinam uſurpatam ad præcavendum aneuryſma. A. A. lorum coriaceum, quatuor digitos circiter latum, quod fibulis B. B. & loris minoribus C. C. cicatrici, ſubjecto prius ſpleniolo, lamina ferrea, corio molli obducta, lit. D. applicata, conſtringebatur. E E demonſtrant aliud lorum, longius & pollicem circiter latum, circa ſuperiorem femoris partem fibula F. & extremo, foraminibus prædito G G, firmandum. H. H., H. H. ſignificant duo fruſta coriacea annexa, lora A A. & E E. nectentia, ne illud locum læſum relinquere potuerit.

Fig. 3. Exhibet machinam fig. 2. femori ſanato applicatam: cujus litteræ idem indicant, quod in fig. 2.

Fig. 4. Repræſentat brachium A. A. A. in quo B exhibet muſculum deltoidem, C truncum arteriæ brachialis, juxta deltoidem ex arteria axillari provenientem, D. locum ubi hic in duos ramos, nimirum E E ad latus muſculi bicipitis externum abeuntem, & F F ad interius bicipitis latus progredientem dividebatur. G. locum, qui ramos E E & F F per anoſtomoſin in manu conjungebat.

Landesbibliothek Oldenburg



QUÆSTIO

CXXXIII.

QUÆSTIO
MEDICO-CHIRURGICA,

Præside

M. ANTON. NICOL. GUENAULT,

Resp.

URBANO VANDENESSE BACC.

An vulnerata crurali arteria ab amputatione auspicandum?

Parisiis 1 Martii 1742.

Landesbibliothek Oldenburg

I.

EVidenter therapeutices pars, chirurgia. Meditando leges curandi ponit, & ſcientia amat dici: manu famulatur, & artis nomine inſigniri ſolet. Non primis hominum temporibus fuit exculta. Bellum, matribus deteſtatum, etſi accelerat lethi gradum, heu nimis præcipitem, primum cæpit excoli: trucidandique fratris peritus frater prius fuit, quam ſervandi. Eſt qui hoſtium gladios à civium capitibus avertat: eſt qui mortem, ſimul cum telis vibratis, e fauciis corporibus extrahat; utri deferenda palma ſit, ab antiqua ne quæſieris Roma, quæ victoriæ omnigenas, chirurgiæ nullas nexuit coronas. Oculatiores poſteros ad ſe rapuit tandem perſpecta artis neceſſitas, nec eam clariſſimorum virorum cultu nobilitatem, inventis ornatam, ipſa heroum ingenia faſtidierunt. In bellorum cunis vagiit, cum bellis adolevit. Dum pax, dum aurea vigebat fides, in tumorum, luxationum, leviorum morborum curatione chirurgia tota verſabatur. Verum ex quo ruptum eſt concordiæ vinculum, ex quo ferrum e terræ penetralibus erutum, in tela, gladios, explodendoſque globos excuſum eſt, inſolentium vulnerum cohors terris incubuit. Corporis humani ſtructura partium offenſarum indagatione luculentius explorata eſt, & ex læſionum varietate multiplices inventæ ſunt ac perfectæ curatricis manus operationes. Earum nulla prudenti magis indiget cunctatione, quam quæ membri alicujus reſectionem molitur. Nec plane damnetur veteris medicinæ ſævitia, quæ uſtione torquere partem maluit, ut ſervaretur, quam tractare mitius, de repente abſcindendo. Recentioribus felicius innotuere partium omnium connexiones & conſenſus: cur his tutandis minus conſulerent? Cur ſcinderent membrum præcipites, quod benigniori poſſunt opera ſervare?

II.

Corpus humanum, machina hydraulicopneumatica, conflatur ex implexu tubulorum, figura, diametro, textura diſſimilium, humoribus, ſpiritibuſque quoque verſum meabilibus, ſenſus, motus, vitæ auctoribus turgidorum. Ex innumeris ipſi tubuli coaleſcunt fibris cavis, flexilibus, peculiari tono donatis, ac reſilire habilibus. Hæ ſimul coëuntes, non tantum canales longo tractu diſſociatos formant, ſed modo expanſa tenuium propaginum divaricatione, retis, vel telæ ſpeciem induunt; modo plurimis orbibus ſimul convolutæ, glandulas effingunt. Ex minimis canaliculis cartilagines, muſculi, membranæ, vaſa, incernicula, glandulæ, pro ſitu, textura, figura atque inter ſe cohæſione aptantur. Inter iſta organa alia vectium, alia cuneorum, trochlearum & *elaterum*

vices obeunt ; alia ponderis, alia potentiæ officio defunguntur. Scrutare nunc artus ſupra & infra corpori aptatos, cavitates, viſceraque in his latitantia, ſede, magnitudine, officio diſcrepantia. In hac artificioſa machina conſenſus unus, conſpiratio una. Pronum eſt hujus partis in illam vitium : una læſa, ſingulis periculum imminet. Alteruter ſaucietur cordis ſinus, cerebrum, non ſecus ac corporis receſſus omnes, vitalis laticis orbatur appulſu ; deficiunt ſpiritus, ſiſtuntur motus, fugit anima. Partium aliarum, etſi fovendæ vitæ minus neceſſariam, conditionem ne ſpernat chirurgus. Ad corporis ornatum artus ita ſunt à natura comparati, ut, obtruncato uno, elegans ſymmetriæ concinnitas detrimentum irreparabile patiatur. Quis non movendus lapis, ut præcaveatur deformitas, corpori debilitatem, mœrorem animo haud dubie illatura ? Age vero, quam periculi plenum opus amputatio ! Sæpe crus, brachiumve impune reſectum eſt, ignorare non licet, quod magiſtra clamat experientia. Non inde tutum putes ἀκρωτηριασμὸν. Suum pars quæque corpori præſtat munus, ſuum perſolvit quæque vitæ promptuario vectigal. Ubi ramum ſuſtuleris, utili defraudatum officio truncum eſſe judicabis. Exciſo femore, non minor in cerebro ſpirituum copia ſecernetur, non parcior fiet αἱματωσις. Spirituum in ablatam partem excurrentium quo vertetur impetus ? In eandem evibratus, quo ſe recipiet ſanguis ? Anguſtioris impatiens orbitæ, tumultuabitur uterque liquor : hinc metue vaſorum inſolito ſub pondere fatiſcentium obſtructiones, reſolutiones, rupturas ; hinc febres, apoplexias, mortem ipſam omineris. Hæc perpende ſedulus, e dextra tibi ad abſcindendum pronior culter excidet, leviorique auxilii genere tentabis animam retinere fugientem. Extremo premente malo, extremam feres opem, amputando.

III.

Arteria vas conicum, pulſans, *elaſticum*, multiplicium ramorum parens, ſanguinem à corde ad omnes corporis mæandros defert. Ab ampliori diametro in anguſtiorem pergit : verſus extrema, ipſius ramuli canalis cylindrici formam induunt, in plexus reticulares mutantur, tandem in venas, vaſa lymphatica, aut ductus excretorios deſinunt. Quadruplici membrana conſtat arteria ; prima vaſculoſa dicitur, ob innumera eam perreptantia vaſa, quæ nutritium vehunt ſuccum ; ſecunda glandulo-ſa, a glandulis quibus interſpergitur ; tertia muſculoſa, à fibris annularibus, unde robur & vis reſiliendi, aliam celluloſam addit Ruyſchius. Poſita hac arteriæ ſtructura, patet arteriam ſedem aneuryſmatis eſſe. Hinc naſcitur aneuryſma in omnibus corporis partibus, ſive internis, in brachio, femore, circa pectus, in cerebri membranis. Concludas arteriarum morbum frequentiſſimum eſſe aneuriſma ; duæ ſi quidem univerſum corpus, ſalutant arteriæ, pulmonalis arteria, & aorta, ex quibus cæteræ, tanquam

rami

rami à trunco, oriuntur. Ex aſcendenti, brachialis arteria ad flexuram cubiti plerumque indiviſa deſcendit, ramulos brachio impertiens: in *radiæam* ac *cubitæam* dividitur, quæ per manum ac digitos propagantur. A deſcendente, cruralis arteria in externam minorem, per exteriorem femoris partem, & internam majorem abit, unde *poplitæa*, *ſurales*, *tibiales*, & quæ per extremum pedem, appellationibus deſtitutæ, deſcendunt. Aneuriſmatis vocabulo tumorem ſanguineum, ab arteria, vel dilatata, vel abſciſſa factum intelligimus. Duplex ſtatuitur ſpecies. Aliud verum & genuinum dicitur, aliud ſpurium. Utrumque vel ab interiori cauſa fit, vel ab externa. Primum ex debiliori, rariori arteriarum textura, vel exterioris tunicæ roſione, ruptura, vaſis obſtructione, ictu, aut caſu originem ducit. Unde fit, ut interior perenni ſanguinis appulſu ſenſim laxata & dilatata, in ingentem tumorem demum ſuccreſcat. Altera ſpecies ſpurium aneuriſma dicitur, à ſanguine veluti concreto, qui ex arteria ſecta, vel eroſa ſubter cutem effuſus, membranaceam, carnoſamve ſubſtantiam ementitur. Hic tumor multiplici diſcrimine, à priore ſejungitur. Ille rotundior magis eminet; hic planior magis diffunditur: in illo cutis nativum ſervat colorem, in hoc alienum induit, lividum puta: in illo deprehenditur pulſatio valde manifeſta, in hoc obſcura, vel nulla. Obſerves hac pulſatione fortiori, vel debiliori aneuriſma ab aliis tumoribus, & præcipue à tumoribus varicoſis ipſi affinibus diſtingui. In arteriis minimis aneuriſmatis curatio facile cedit, in majoribus, hoc opus, hic labor videtur. Multos etenim à recta ſalubrique curandi ratione deterret incerti eventus obſcuritas, timidaque præſentia futurorum. Pars aliqua notæ vilioris ægrotat, confidenter adhibetur medela, proſperoſque ducit ad exitus. Nobilius organum conſimili deinceps tentatur affectu, ſuſpenſus hæret medicus, eandem reſpuit curandi viam; remedium, quantumvis non infeliciter tentatum, partis præſtantia videtur detrectare. Interrito nullus viderit animo ſanguinem e cæſis arteriis proſilientem. Spumeum diceres torrentem, nullis cohibendum aggeribus, moleſque oppoſitas gurgite rapientem. Vulnerata crurali arteria, erumpit vitæ fons, brevi exhauriendus, purpureamque tandem vomiturus animam. Ægrum, aſtantes, chirurgum unus omnes quatit horror: ac veluti deflagrantis ædificii vicina tecta, ceu incendii nutrimenta, præciduntur, ſic microcoſmi partem, ne ruat ipſe funditus, reſecandam eſſe clamant. His non obſequentur clamoribus, niſi qui tritam imperitioris chirurgiæ calcant viam, nihilque conſilii ab ingenio ſuo extorquere uſquam potuerunt. Prodeant peritiores Magiſtri, crudelis operis apparatum disjecturi, manumque præbituri leniorem. Prodeant, quibus tot vias ad ſalutem ſternere datum eſt, quot patent aditus ad mortem. Hi quippe penetralia corporis aſſidue perſcrutando, compererunt occultas eſſe complures vias, quibus ex inſperato quaſi ab orci faucibus proripit ſe natura. Nonne per ſua ſinguli diverſoria procedant rami multiplices, quorum intellecto commercio, vas unicum corpus merito dixeris? Inde noveris providam ſummi

artificis ſagacitatem, qua cautum eſt, ut vitæ arbiter liquor exactius diſtribueretur, provinciaque obtruncati, vel obliterati vaſis, a vicino coëunte gereretur. Nonne ægro ad extrema redacto vitam felici auſu reſtitutam conſtat, nec alia ratione perfici chirurgiam potuiſſe? In ſpurio arteriæ cruralis aneuriſmate, ſanguinis cum impetu exundantis cohibendus eſt effluxus. Fies voti compos. Aperti canalis extremum adſtricto comprime vinculo, erumpenti ſanguini præcludetur exitus, ſimulque cum toto corpore ſuperſtes pars utilis remanebit. Neque amputandi rationem artificum recentiorum induſtria perpolitam jactites, ut ab ea non ita videatur abhorrendum: quantumvis ſimplici ad ſecandum indigeas apparatu, minus terroris incutietur ægrotanti, non minus lugenda calamitas.

IV.

Ægro, ut par eſt, commode collocato, ſuperiori femoris parti laqueum injicies, torculo vehementer conſtringendum, quo ſanguinis eruptio pro arbitrio moderetur, ea cautione, ut ſolus comprimatur arteriæ truncus, vaſa autem lateralia, interpoſitis hinc inde & dextre elevatis ſpleniolis, à compreſſione protegantur, & ut ſubdita laqueo chartacea lamina impediatur, quo minus cutis cum dolore corrugetur. Si carnibus inflictum vulnus non ſatis pateat, ut ſecta ſui copiam faciat arteriæ, ſupra & infra, ſcalpello perita manus incidat, vaſis aliis, nerviſque inſignioribus parcitura, donec injiciendæ ligaturæ locus veniat in conſpectum. Hoc ſatis nudato, acum incurvam cerato filo, vel tæniola inſtructam ſubter trajice, cavendo ne ſimul nervus devinciatur, ſed non nihil e ſubjecta carne comprehendendo, ut firmiter ligatura conſiſtat. Tum, interjecto ſpleniolo, vinculum ita conſtringe, ut ſanguini appellenti deturbari neſcius obex opponatur. Altero filo pari ratione traducto infra vulnus arteriam ſubligabis, ne concurrentium vaſorum refluente ſanguine, hæmorrhagia recrudeſcat. Obſervabis non niſi inflexis genu & femore, opus aggrediendum, quo facilius diſrupti & *elaſtici* vaſis labia coëant. Ubi demum ſanguini viam omnino præcluſam eſſe comperies, quod torculo laxato explorabis, linamento multiplici, ſpleniis gradatim ſuper additis, idoneaque faſciatione operi coronidem ac firmamentum impones. Vulnere ſanato, faſcia geſtanda eſt, & non niſi poſt annum ſolvenda, idque non ſubito, ſed primo paulo lenius vinciendum, deinde laxius, & tandem plane aufertur; quamvis eam per totum vitæ curriculum geſtare præſtet. Quis te poſtea anget metus? An terrebit te præciſum iter vitali ſucco, cujus benigno affluxu carere diu ſubjectæ partes non poſſunt, quin lethali putredine corripiantur. Si quando chirurgus; vel incaute, vel imperite defixo in brachii arteriam phlebotomo, ſanguinem cernat ſubſultim erumpentem, coccineo colore in citrinum vergente, an ſalutis unica ſpes in humeri amputatione? Apage truculentam illam ſuppetiarum inopiam. Poſtquam ſanguis ad λειποθυμίαν uſque profluxit, vel impoſito denſioris texturæ

turæ ſpleniolo, ſive chartæ maſticatæ glomere, peculiaris faſciationis ope firmato, vel injecta ligatura cohibetur. Id operis feliciter cedere conſtat, neque inde corporis vitam, ſive brachii incolumitatem admodum periclitari crebra docuerunt experimenta. Vulneratam cruralem arteriam, ſimili chirurgia in gravius diſcrimen adduci renuit mens ſana cogitare.

V.

Eſto: brachiali ramo opitulentur ligatura & compreſſio. An idcirco cæteris arteriis eandem opem ferent? Arceatur hæc infida & male ſana curandi methodus? Curationem potius cauſtico aggrediaris. Sed cauſticum, ut poté providentia deſtitutum, tam nervo, aut tendini, quam abſumendæ parti labem inuret. Minus formidanda ligatura. At inquies, arteriæ rori diſtribuendo dicantur, & ad extremas uſque partis arteriolas nutritium rivulum deferunt. Si ligentur arteriæ, aut comprimantur, nonne pars infra ligaturam, ſucco, quo jugiter à trunco avolantium particularum jactura reſarciri ſolebat, defraudabitur, brevi peritura? Quam diſpar à trunco ramus! Ipſo deficientes, provinciam gerit ipſe truncus, aut alii rami. Cæſa vero arteria, ad plutonias ædes detrudis ægrotantem, ſi audax nimium ligaturam tentes. An non peritior chirurgia parti vulneratæ torculum illico admovebit? Crudelis ſane medela, ſed has inter anguſtias, partem reſecare præſtat, ne labes corpori ſincero inuratur. Non me tua tamen dicta terrent. Experientia conſtat, aneuriſmatis brachii curationem ligata arteria cedere, ipſe licet brachialis truncus phlebotomo pungatur. Eccur in crurali arteria ligaturam adhibere piaculum foret? Cuique arteriæ famulantur vaſa lateralia, quorum uſus idem ac trunci. Quid obſtat quominus hæc lateralia vaſa obtruncati canalis vices adimpleant? Eccur paulatim à tergo premente ſanguine dilatata ita non ampliarentur, ut truncorum nomen & conditionem mererentur? Ab illo vaſorum connubio aneuriſmatis curationem ducas. Si ex. gr. læſus arteriæ brachialis ramus *cubitæus* devinciatur, vicino *radiæo* ſanguis excipitur, huc illuc in ſubjectas partes *inoſculationum* ope diſcurſurus, toti poſtmodum brachio, ſenſim ampliatis tenuium tubulorum utriuſque rami communium ſurculis, caloris fomitem, nutritioſque rivos abunde largiturus. Niſi forte arguerit quiſpiam arteriæ fauciatæ ligaturam infeliciter cedere, quoties ſupra duorum ramorum *cubitæi* & *radiæi* e brachiali trunco prodeuntium originem vulnus inflictum eſt. Verum quam te inanis ludit timor! Norunt docti ac periti, ramos quoſdam ex ſuperiori parte arteriæ brachialis verſus oſſis humeri condylos deſcendere, ubique plures hinc inde ſurculos emittere. Norunt ab arteria *cubitali*, ut à *radiali*, ramulos ſurſum reflecti verſus eoſdem condylos, ibique ſurculos ſpargere, ſurculis deſcendentibus arteriæ brachialis, per exiles, maxime pervias ac ſæpius demonſtratas ἀναστομώσεις, unitos. Rivulorum tenelli confluentium tubuli ne faſciarum preſſu ſtrangulentur apta ſpleniorum intercapedine gnarus facile præcavet. Quod

por-

porro præstat munus in artubus superioribus ista corrivatio, idem in inferioribus adimplebit arteriæ cruralis ramulorum descendentium & utriusque arteriæ *tibialis* furculorum recurrentium, sive ascendentium communio circa poplitem & juxta genu, non ita pridem ab oculatissimo & anatomicorum fidissimo D. D. Winslow demonstrata. Utrobique scilicet eandem fere vasorum structuram, pares divisiones, non diversas conjugationes spectabis; cur absimiles ederentur effectus? Neque quicquam interest, inquit Celsus, an satis tutum sit remedium, quod unicum est. Obfirmato stes igitur animo, ubi cruralem arteriam ligaveris. Si frigus indomitum gangrænam portendat, non erit inde quod te conatus pœniteat; omnia quippe ad amputationis opus prompta vides. Sed immortale manet te decus, si quod reliquum est curationis, natura idoneis adjuvata præsidiis exequatur. Hæc repetas ab accurata victus ratione, à venæ sectione, pro ætate, viribusque celebranda. Calidis quoque & spirituosis inunctionibus partem foveas, quæ amicum concilient calorem, usque dum sanguis novas sibi eundo vias expedierit, nativum vitæ fomitem redditurus.

Non ergo, vulnerata crurali arteria, ab amputatione auspicandum.

QUÆSTIO

CXXXIV.

QUÆSTIO
MEDICO-CHIRURGICA,

Præside

M. THOMA RENATO GAGNIER.

Respond.

LUD. FLORENTIO BELLOT

BACCAL. PARIS.

Parisiis 13 April. 1734.

An in artuum excisione tutius a ligatura, quam ab alia compressionis specie sistitur sanguis?

CXXXIV.

QUÆSTIO

MEDICO-CHIRURGICA,

Præside

M. TIBOMA RENATO GAGNIER.

Respond.

LUD. FLORENTIO BELLOT

PARISIUS PARISIS.

Die 19 Aprilis 1791.

An in arteriarum excisione tutius a ligatura, quam a nodo compressionis præcie agatur Cangrenis?

I.

ARtuum excisio (amputationem vocant) non temere, nec nisi cum cætera remedia jam nihil proficiunt, suscipienda. At, quoties corporis partem aliquam immedicabilis cancer depascitur, aut illa serpente sphacelo consumitur in dies; quoties ossa pertinax exedit caries, aut adeo detrita fractaque videntur, ut aliunde nulla salus fulgeat; tunc, ne totus intereat æger, quamdam sui portionem deperdat necessum est. Miserum, periculi plenum, sed unicum auxilium! Pro resecandorum artuum ratione dispari, dispar excisionis opus. In articulis, præter digitorum, sectionem institui vetant longæ suppurationis pericula, difficilior vulneris consolidatio. Quamobrem, ubi cætera membra præcidenda sunt, eo loci decurtationem moliri caveat chirurgus, nisi humeri in superiori parte vitium inemendabile, solam hanc illi vixque successuram curationis viam, reliquerit. In femore, humero, brachio, quo minus à corrupta parte recedet operatio, eo magis corporis famulitio consules. Modo tamen, vitiatum inter & sanum, unius fere digiti intercedat spatium. Non idem de crure dixeris. Quod semper, infra ipsissimas quæ patellam operiunt, aponeuroses, id est, sex digitis à genu remotis, præcidere opus est, licet longe inferius partem inficiat malum. Ut enim, hac arte sectorum tendonum plerumque funesta declinantur symptomata, sic etiam pars superstes ab inutili prorsus & importuno pondere liberata, expeditius ac elegantius adscititiæ, deficientisque functiones æmulanti, sese accommodat. Quæ in articulis fiunt sectiones, scalpello perficiuntur, deligata prius axillari arteria, si rescindendus humeri articulus. Aliam apparatus dispositionem expostulant, quæ in ipsis ossibus celebrantur. Singulorum artuum excisionem hic persequi nec vacat nobis, nec expedit. Satis sit, methodum qua præcidi crus debeat delineasse. Ex illa cæteras disces quæ eadem absolvuntur ἐγχείρεσι. Sedet æger vel in lecti sponda, vel in sedili aptato, ministris firmiter contentus, ne doloris acuto sensu percitus sese moveat, movendoque interturbet operationem. Tunc, antequam ad ferrum deveniat chirurgus, ut sanguinis rivos claudat ad libitum laxetque, partis infernæ femoris cute sursum ab uno ministrorum retracta, dum alter tibiam sustinet & fulcit, splenium circumvolutum inter tibiæ flexores apponit sub ipso poplite. Huic aliud longum applicat, quod circulariter reflexum totam involvit partem. Ut videlicet primum contineat, nec non ut subjectæ carnes, tutius minorique cum noxa, inter operandum, comprimi possint. Super utrumque, postea cingulum injicit torcularis ope valentius contorquendum, interposita prius sub ipso torcularis vinculo charta densiore, vel assula cornea. Aliud demum infra genu funiculum fortiter circumvolvit, ad dictum excisioni locum. His peractis, stans inter

utrumque ægrotantis femur chirurgus falcatum cultrum dextra arripit, cujus aciem ita dirigit, ut uno tractu carnem universam & musculos in orbem resecet quam citissime. Scalpello dein non ancipiti, quidquid carneæ substantiæ reperitur inter ossa, rescindit, instrumenti dorsum parti sanæ semper obvertendo, simulque periosteum abradit. Mox, interposita fascia, quæ sectas, utpote servandas, carnes contineat, os utrumque serra præcidit. Nunc scaturientes sanguinis fontes sistere opus est. Inter varias, quæ hunc ad finem proponuntur, vias, tutiorem intellige, qua vulneris infensioribus symptomatis obviam itur, & inducendæ cicatrici fugantur impedimenta.

II.

A vasorum congerie, positu, diametro, microcosmi fabricam; ab illorum elatere succorumque quos vehunt revehuntque motu, functiones, reposce. Non aliunde repetenda venit ossium firma compages, quam a pressiori tubulorum quibus contexuntur inter se contactu, eorumque minori, & pauciſſimæ quibus indigent humorum quantitati proportionatæ, diametro. Quæ solidas alias partes efformant vasa, non ita arctis sibi invicem adhærent vinculis, magisque patent succis allabentibus. Inde eorum flexibilitatem inferas, quæ ad tam varios motus necessario requiritur. At quoniam in dies hac de causa aliquid eorum deteritur substantiæ, brevi corrueret tam mirabile artificium, nisi novæ tantum accederet, quantum deperditur. Igitur in tenuissimis vasis, ex quibus alia efformantur, indesinenter decurrit fluidum deperditi jacturam resarciens. Succi reparatis subtilitatem, reparandorum tubulorum exilitatem, arguit insensilis *transpiratio*. Jam vero, si tibi horumce canalium gyri, glomeres, innumeræ convolutiones innotuerint, rorisque nutritii patuerit indoles, tenes apertum cicatricis opus. Ubi vulnus infligitur, vel secantur vasa, vel dilacerantur, rumpuntur, destruuntur. Hinc vulnerum oriuntur discrimina, hinc etiam ad consolidationem variæ excogitantur artes. Uniri tantum expostulant discissæ partes, si discissæ tantum. Non nisi prævia suppuratione coagmentantur, quæ dilaceratæ, contusæ, vel fractæ fuerunt. Duplex igitur cicatricis opus. In utroque naturæ stupens ingenium. Statim atque partium incisione dissolvitur unitas, liquores suos evomunt secti tubuli, donec nativa contractilitate retrocedant, eorumque, vicinorum & integrorum pressu, patentia occludantur oscula. Tunc hiat vulnus, vulnerisque labra tument dolentque. Neque enim fugere versus integras partes saucia possunt vasorum reticula, quin aliquantulum nervosa, quibus annectuntur, stamina distendant. Vides inde plagæ marginibus dolorem inferri, à dolore multiplicari vasorum contractiones, ac proinde calorem accersi. Tunc, vel suendo vel deligando, prout sauciatæ partis situs, aut figura vulneris expostulabit, fac ut ad se invicem accedant oræ, brevi consolidationem obtinebis. Ubi primum adducta fuerunt vulneris labra, qui

sine

ſine motu torpebat in ſectorum vaſorum extremis liquor, ſuſcitato calore & increbreſcente vicinorum tubulorum *ſyſtole*, excitatur. Ergo ſubtilior liquoris portio ſeſe expedit, & in oppoſita vaſorum extrema blande irrepens, qua patent, ſibi molitur viam. Hac duce, quæ pone ſequitur liquoris portio viſcidior minorique motu prædita, idem iter legit. At quoniam huic contracti ſectorum vaſorum parietes exitum facilem negant, inſtat à tergo novus humor, qui calcar admovet. Sic paulatim ſeſe extricat, ſectique canalis extremum præterlabitur portio craſſior. At, dum vi ſic moras rumpit, tubulos elongari neceſſum eſt. Elongatis tubulis ad ſe invicem accedunt ſectæ utrinque extremitates. Tunc in obvia adverſorum tubulorum oſtia ſeſe inſinuat humor ille ſpiſſior, coëuntiumque extremorum rimulas ſui glutinis explet aſpergine. Novum ergo fœdus ineunt vaſa, quod in dies rore ſuo latex nutritius ſtringit firmatque. Ex his facile colliges, quæ ad cicatricem promovendam conferunt, 1°. caloris nativi beneficium, 2°. ſectorum vaſorum extenſilitatem, variam diametrum, 3°. nutritii roris acceſſionem. Quæ licet in omni conſolidatione opus abſolvant, diverſa plane præbent *phænomena*, ſi ſuppuratione mundari vulnus indiget & expurgari. Juvat naturæ induſtriam retegere, qua, quidquid coagmentandis diviſis partibus obeſt & adverſatur, eliminat, novæque ſubſtantiæ generatione, deſtructæ compenſat diſpendium. Vulnus à coëundo prohibent, illius magnitudo, vaſorum laceratio, contuſio, ruptio, & illud omne, quo deſtruitur eorum tonus. Tunc enim aut ad ſe invicem adduci nequeunt disjunctæ partes; aut ſi adducantur, præ motus vitæque defectu nunquam conglutinantur. A vaſorum ſauciorum verſus integras partes retroceſſione, ſanguinem ſiſti, dolorem invehi, denique calorem accendi, tibi jam compertum eſt. Ex his inferre promptum, ab eodem fonte derivari, quæ contingunt in gravioribus. Cum autem in magnis vulneribus ſectorum tubulorum extrema altius retrocedant, patet & majorem futuram nervearum fibrillarum diſtenſionem, & in vulneris labris dolorem intenſiorem, difficilioremque ſanguinis & aliorum ſuccorum motum. Quid inde? In corrugatas partes appellens ſanguis, aut negato exitu, eas magis ac magis diſtendet, aut, a litu recuſato, in vicinas uberius erumpet. Tumebunt igitur vulneris oræ. At ea proportione ſauciatorum vaſorum extrema comprimi certum eſt, qua tument vicinæ partes, inter eas, ſeſe retrahendo, reconduntur. Illorum idcirco parietes integros ſibi firmiter applicari, conglutinari. Inſuper, dum ab arietante jugiter humorum mole creſcit in vulnerata parte calor, humores, qui inferius in ipſis finibus torpent paulatim evolvi, ipſorum extremorum lacinias aut rigidos immotoſque villos liquori. Scires puris inchoari geneſim, quæ deciduæ lymphæ interventu, ingeminatis vicinarum arteriarum ictibus, abſolvitur. Liquatis igitur extremorum vaſorum laciniis & humoribus, jugiter effluente pure, minuuntur in dies reſiſtentia, compreſſio, tumor, liberiorique pede ad vulneratam partem appellunt ſucci. At quoniam ad occluſorum vaſorum

fines nullo fulcimento innixos indesinenter propelluntur; elongantur eorum extrema, quæ pro varia directione sibi invicem intertexta monticulos in vulneris superficie efformant. Nec tunc minui suppurationem mireris. Siquidem, dum sic undique sylvescunt & expanduntur tubuli, vicinorum, quos jam suppuratio mundavit, occludunt ora. Sic σάρκωσιν natura perficit. Sic vasorum germinatione cicatrice vulnus obducitur.

III.

Ad inducendam vulneri cicatricem frustrà te accinges, nisi subsilientis per apertas arterias sanguinis exitus occluseris. Vel enim, ubi absque suppuratione consolidationem tentas obtinere, coëuntium extremorum juncturas dividet impetu facto cruor; vel, ubi prævia requiritur suppuratio, vulneratam partem calore defraudabit. Inde patet, quanti sit momenti purpureo latici fugam præpedire. Quod quidem ut in omni continui solutione necessarium, sic in artuum excisione dixeris urgentissimum. E numero pluribus compressionum speciebus, quas, ad occludenda majorum arteriarum ostia, medicorum excogitavit industria, hanc amplectere, quæ coagmentandis earum extremis idonea magis, vicinisque partibus infensa minus. Votum implebit ligatura. Quæ licet à [a] Græcis, Arabibus, Parisiensibusque medicis ante Pareum cognita fuerit & celebrata, nobis tamen, quam veteribus, usitatior est. Sic autem in cruris excisione instituitur. Soluto, quod supra genu carnes stringebat, vinculo, laxari torcular jubet chirurgus, ut erumpens sanguis arteriam prodat. Iterum constricto torculare, quatuor lineis infra arteriam, totidemque supra, curvam acum filo instructam in carnes profunde adigit, filique extrema nodo uno & altero firmat. Sic cum vicinis partibus ligatur arteria. Eodem modo, quæ iterum torculari laxato reteguntur, arterias vincit. Dein, ligaturæ superimpositis spleniolis, linamentis & specillis vulnus obtegit. Hæc omnia deligatione in galeri modum instituta continet. Nunc quomodo sic ligata arteria coalescat paucis expediamus. A sanguinis grumo (θρόμβον Græci vocant) obthuramenti instar arterias occludi, censuit [b] Galenus. Quam sententiam amplexus est alius, nulla de Galeno mentione facta; ea forsan mente, ut, si fidem inveniret hæc opinio, laudes autori suo detorquerentur, secus, in eo videretur excusandus, quod tanti hominis autoritate peccasset. Sed liceat, in eo, à Galeno dissentire. Sui similem ubique se præstat natura. Qua arte majorum arteriarum conglutinationem, eadem minorum coalitum, illa perficit. Quapropter, si a grumo cornu duritiem æmulante constaret obturari majorum arteriarum ostia, recte concludendum foret eodem modo claudi minorum aperturas. Utrique refragatur, conglutinatæ parti, & si minor, tamen restituta, flexibilitas. Eo loci qui ligaturæ proximior est, internos filo

[a] Galen. method. medendi lib. 5. Avicenn. lib. 4. fen. 4. tract. 2. Tagaultius &c.
[b] Galen. loco citato.

Landesbibliothek Oldenburg

filo devinctæ arteriæ parietes sibi mutuo applicari nemo diffitebitur. Hanc applicationem firmat, 1°. staminum quibus illi contexuntur ampliatio, quæ, ob interceptas humoribus quibus alluuntur vias, necessario contingit, 2°. eorumdem humorum intumescentia, quæ ab intensiori calore promovetur. Jam, ut intelligas sic applicitos arteriæ parietes conglutinari, memineris universos corporis tubulos exilissimis poris pervios esse, quos dilatari necessum est & elongari, dum in eisdem tubulis accumulatur succorum moles major, quos intensior calor reddit mobiliores. Ergo evolutum à calore subtilissimum serum per parietum sic sibi junctorum poros exudabit. Quos dum dilatat, gelatinosæ simul & à calore glutinosiori factæ lymphæ portioni viam sternit. Illius nimirum vestigia premere cogit hanc impellens à tergo lympha. Ambo igitur in obvios adversi parietis poros sibi cudunt aditus. Vides inde, ex oppositis sic sibi junctorum arteriæ parietum commissuris, novos ductus fieri, quos præterlabitur latex nutritius, præterlabendo firmat, glutine suo intervalla, si quæ sint, opplendo. Non alia de causa, in peripneumonia pulmonis superficies pleuræ connectitur. In hepatitide, peritoneo jecoris agglutinatur pars convexa; in herniis, intestinum sacco vel spermaticis vasis adhæresit. Sic obturatur arteria novo suorum parietum nexu, antequam filo devinctæ partes suppuratione liquentur.

IV.

Post artuum resectionem sistendi sanguinis modum, absque deligatione vasorum, excogitavit solertissimus apud Batavos chirurgus nomine [c] Verduynus. Nec est, quod hujus inventi primum se glorietur autorem. Siquidem, quæ super ea re proposuit, omnia fere complexus est [d] Celsus. Quasi in fatis, nihil novi chirurgiæ accessurum, nisi à medicis. Sic autem excisioni manum admovet Verduynus. Appositio supra genu torculare, & infra patellam subjecto vinculo, læva suram arripit. Hanc, infra infimum, quod patellæ subjacet, ligamen, gladio ancipiti dextra transadigit, quam proxime fieri potest ad os utrumque. Ita ut ab opposita parte cuspis transeat. Unaque & eadem incisione suræ musculos transverberando, usque ad tendonem Achillis excurrit. Eam demum portionem carnis abscindit, quæ sufficere videatur pro vulneris integumento. Dein, quam celerrime potest, cæteras ligamini subjectas carnes incidit, abrasoque periosteo, os utrumque, non aliter ac jam dictum est, serra dividit. Excisso crure, saucias carnes à grumis, ossium frontem à rasura, spongia madida repurgat; & leniter reflectendo propendentem reservatamque suræ partem, ea vulnus obtegit. Hanc, si vulneris oras excedat, forficibus renovat decurtatque. Obducuntur postea plagæ margines orbiculari fungo, quem crepitum lupi vocant. Excisso membri trunco vesica madida superimponitur, huicque altera emol-

[c] Vide P. Verduyni dissert. Epistol. de nova artuum decurtandi ratione 1696.
[d] Confer Celsum p. 498. edit. Vander Linden.

Landesbibliothek Oldenburg

emollita aliquanto major. Has continet firmatque glutinans emplastrum; tertia vesica prioribus longiori, cooperiendum. His ita munitis, lamina concava, splenio quadruplicato intus obducta, mutilatæ parti applicatur. Tunc, torculare dissoluto, laminam comprimunt, à coriacea fascia genu involvente lora duo pendentia in crucis Burgundicæ formam flexa, firmiterque fibulis & aciculis clausa. Hanc licet excisionis methodum plurima commendare videantur; nihilominus tamen ab ea manum abstinere non dubitabis, si, saluti potius ægrotantium consulere, quam commoditati, fert animus. A sola abscissæ suræ parte validissime in sectas arterias applicita, sanguis sistitur. At, ex illa tam forti compressione, quot imminent vulneri pericula, quot cicatrici nectuntur impedimenta? Præterquam quod liquorum, ob tubulorum reflexionem, languet in applicita parte motus, dum sic illa premitur undique, non solum ne penitus aboleatur, sed etiam, ne vasa ipsa deterantur, metuendum. Nec est quod objicias in dies compressionem minui, ut hæc avertantur mala. Siquidem laxatam deligationem presso pede sequetur hæmorrhagia. Nec, semicilindricæ machinæ femori alligatæ retinaculumque trunco suppeditantis, hic extollas beneficium. Etenim, antequam illud adaptetur, sublatis fasciis, male firmatam cicatricem sui juris factus dirimet sanguis, aut inter adaptandum, conglutinationem inchoatam, manibus novaque compressione, disturbabis. Unde tu ipse sanguinis repagula dirues. Quod si sauciis carnibus serratorum ossium asperitas inflammationem suscitaverit, si compressione contusæ suppuraverint, si suppuratione cruoris viæ reseratæ fuerint; quidquid moliaris in posterum, sanationis spem adimet fugiens sanguis nulla arte coërcendus? Quanto magis, si, quod in omni suscipiendo perficiendoque opere chirurgico cavendum imprimis, gangræna vulnus non solum [e], sed etiam superiores partes ab arctiori deligatione nimium constrictas obsederit. Nec silentio mihi prætermittenda videtur alia sistendi sanguinis ratio, quam, ut omnibus aliis tutiorem, proposuit unus haud inferioris notæ e chirurgis Parisiensibus: scilicet ille [f] machinam excogitavit (quam tamen longe antea paucis exceptis à Sculteto delineatam reperies) qua & truncus & extremum sectæ arteriæ comprimuntur ad libitum. Sed quamvis illam felicem exitum sortitam fuisse in femoris excisione asserat; in re tam magni momenti, unico tantum exemplo confidere insulsum foret. Quin immo, ex eo quod, in casu de quo agitur, prospero successu donata fuerit, recte concludere est pessime cessuram in aliis. Nec sunt hic verba vocesque tantum. Unica solum arteria erat comprimenda, eaque, propter antiquum fistulosumque vulnus, calloſa ac pene ossea. Jam à triginta tribus diebus celebrata fuerat excisio. Suppuraverant sectæ carnes callosæ, duriores, ac proinde minus sensibiles. Ex quibus licet inferre, minus mobilem arteriam recte comprimi potuisse, compres-

[e] Vide Fred. Ruyschii resp. ad Maurit. a Reverhost. super nova artuum decurtandi method. 1701.

[f] Memoires de l'Acad. des Sciences 1731. p. 91.

preſſoriæ pilæ à cochlea vibratæ parvam molem, adeoque vicinis carnibus à callo induratis parum infenſam; ſuppuratione jam ad finem vergente, cruralis arteriæ truncum impune preſſum fuiſſe. Quis autem in arte vel mediocriter verſatus, has conditiones defuturas eſſe non judicet, in recenti exciſione, poſtquam & ſectæ partes dolentiores ſunt, & arteriæ numero plures mobilioreſque comprimendæ? Quis non videt, à pilæ comprimentis majori latiorique mole, vulneri præſentiſſimum gangrænæ periculum imminere? Quis demum non perſpicit, à partium vulneratarum diſtenſione nimia & dilaceratione, febrem inflammationemque accerſi. At inflammationem, imminuto ſanguinis ad vulneratam partem appulſu, truncum arteriæ premendo, præcavebis. Quaſi ſimul neceſſariam ſuppurationem non arceres? Quaſi, vulnus ſanguine defraudando, compreſſionis dolorem imminueres?

V.

Quemadmodum de genere humano bene mereri cenſendi ſunt ii, qui remediorum ſuppellectilem inventis utilibus augere ſtudent; ſic vituperio digni videntur, qui novitate inanis gloriolæ fumum aucupantes, ſibi magis quam ægrotantibus ſerviunt. Faceſſat hæc prava nominis ampliandi libido, quæ vitæ mortalium inſidiatur. Standum remediis longo uſu confirmatis, ſi nihil melius recens ætas retexerit. Non, ob vetuſtatem, cauterium actuale, vitriolum & alia id genus, ex chirurgorum officinis ablegavit medicina. Sed quod ad ſanguinem ſiſtendum tutiorem eſſe ligaturam, vulnerumque conglutinationi minus infenſam, comperuit. Nec, novitatis gratia, compreſſionum aliis ſpeciebus confidet uſquam, quas ligatura periculoſiores intelligit atque noxiores. At, inquies, Verduyni methodo longæ ſuppurationis tædia vitantur, arcetur à vulnere tam infenſus aëris affluxus, ſubſternitur oſſibus carneum pulvinar, unde artificiali tibiæ innitendi major facilitas. Ergone promtior, qui incertus eſt, coalitus? An non ipſo aëre formidabilior hoſtis ſphacelus? Quid, ſi ex oſſium trunco exoſtoſes pullulaverint, nonne te pudebit utilitatis dubiæ ſpecie allectum, periculoſiorem curandi viam tentaſſe? Objicies, hunc operandi modum aliquoties feliciter ceſſiſſe. Quid ad nos, ſi ſæpius ſuccedat ligatura, ſi minora ſecum invehat pericula, ſi, quod in omni exciſione primum, ſanguinis fontes, illæſis vicinis partibus, præpediat? Inſtat alterius autor machinæ, ſimulque à ſua compreſſione convulſiones anteverti clamitat, quas non raro à ligatura, nervo arteriam concomitanti, ſuſcitari contendit. Hæc fucum faciant imperitis, quos latet acum & alte adigendam, & vicinas arteriæ carnes filo comprimendas eſſe. Hac induſtria ſervabunt à fili ſtringentis noxis immunem nervum interjectæ carnes, &, diutius hærente vinculo, firmior erit arteriæ conſolidatio. Dicet non ea vi ſanguinem in arteriis impelli, quæ compreſſionem mediocrem ſuperare valeat, præſertim cum arteriæ truncus una comprimatur. Adeone ſectarum arteriarum exinanientur extrema, ut tam facile poſſint occludi?

Minime. Quid enim confert ad fines arteriarum minorem sanguinis quantitatem appellere, si in eis moram nectere cogatur cruor & acervari, propter angustatas, ab eadem compressione, venarum diametros? Sed tædet his longius immorari. Ex aliis etiam, quæ bene multa sunt, quisque doctus intelliget, cæteris compressionum speciebus, ligaturam anteponendam esse.

Ergo in artuum excisione tutius a ligatura, quam ab alia compressionis specie, sistitur sanguis.

FINIS.



QUÆSTIO

CXXXV.

QUÆSTIO
MEDICO-CHIRURGICA,

Præside

CLAUD. ANTONIO RENARD.

Resp.

LUD. PETR. FELIX REN. LE THIEULLIER

PARISIENSIS BACCALAUREUS.

Paris. 24 Febr. 1752.

An ad sistendam membrorum rescissioni supervenientem hæmorrhagiam, detur artificium tutius vasorum ligatura?

Landesbibliothek Oldenburg

I.

ANatomicis cognitionibus, physicis inventis, inconcussis ratiociniis, utilioribus observationibus, tutiori ac dolorifica minus chirurgia medendi artem illustrare medici munus est. Quod assiduo labore ac iterata experientia comperierunt veteres, illud subtilioris neotericorum physices confirmant principia. Illi rebus in medicis versatissimi non minori studio chirurgiæ progressui providerunt. A diris calculi doloribus calculosi vesicam liberabant, lithotomia; ossium capitis fragmenta cerebrum lædentia tollebant, terebratione; pectoris cavum à pure collecto mundabant, punctura; ferro ac ustione ramicem delebant; membrorum luxata fractave ossa arte reponebant ac curabant; artus gangræna aut sphacelo tactos abscindebant. Dubitas? Hippocratis, Celsi, Galeni, Oribasii, Aetii, Pauli Ægineræ, Albucasis, quæ extant, opera pervolvas; nos plura de chirurgicis amisisse fateberis, quæ illos non latebant. Sanguinis circuitum, susurras, ignorabant antiqui? Si quid ipsos fugit aut fefellit, quod nunc innotescat, in artis splendorem vertatur, & in ægrorum salutem ac solatium. Oeconomiæ animalis legibus magis consonam adhibe methodum, quo poteris, pressiori pede naturæ vestigiis insiste, hanc agentem imitare, tutus eris. Hoc & ad ipsammet chirurgiam pertinet monitum; licet enim illa saniores tutetur partes prompta ac violenta læsarum separatione, dum vitiata à sanis successivo ac tacito veluti molimine natura rejicit; summa tamen chirurgo semper laus erit, ipsius simplicitatem affectare, doloris aculeos vitare, inevitabiles mitigare, ac supervenientia tractationi incommoda præcavere. Hac perculsi veritate, quos apud sanioris, pro tempore, medicinæ præcepta valuerunt, hanc sui muneris partem adimplere, in quibuslibet chirurgiæ operibus aggressi sunt, & præsertim in excogitanda valentiori methodo, qua nimiam inter secandos artus sanguinis profusionem averterent; diuque in hoc revolvendo lapide frustra insudarunt. Constantiores forsan & magis uniformes, nisi curiosa humanitate permoti, nimis solliciti, huic malo occurrere allaborassent; aut si novo vulnere partes sensibus obvias vellicare pertimuissent, quas profundiores digitisque impervias naturæ curis sanandas commisissent. Silentio prætermissis ergo variis membra decurtandi apparatibus, hujus ævi gratulabimur chirurgis, quod complicatorum ferramentorum & organorum farraginem justa lance ponderantes ab ea abstinuerint, tamquam ab operantis imperitiæ subsidio, nedum ingenii sagacitatisque indicio; & quod simpliciorum cultellorum ac serrulæ armamentarium, licet antiquorum munificentiæ donum, non spreverint; illud e contra ad praxim utiliter revocaverint.

II.

Apparet, Celsi temporibus, in compescenda superveniente artuum rescisioni hæmorrhagia, non multam sollicitudinem fuisse adhibitam; & debitam simplicitati non secus ac prudentiæ palmam hujus ævi medicis assignandam esse. Juxta illum autorem, spongiam aceto madidam vasorum hiantium osculis apponere sufficiebat; nullasque præter astringentia levia, infrigidantiave aut bibula medicamina, potentiores medicinas recenset ille, ubi de sanguinem sistentibus agitur; quamvis asserat [a]: *multos patientes sæpe in ipso opere, vel profusione sanguinis, vel animi defectione mori.* Cauteriorum applicationem, novum variumque tormenti genus superadditum refert Paulus Ægineta [b], quo fine, pro diversa partium, quibus applicabantur, figura, igne candentibus ferramentis variæ inductæ sunt formæ: quæ quidem methodus & ægrotantium animum, simul & crudelitatem adhibentium apprime denotat. Quantus amor vitæ? ignito ferro suas carnes secandas, vivos se deurendos, membra dilaceranda, dilacerata, cruentaque, ac præ dolorum cruciatu palpitantia adhuc, perfundenda oleo bullienti similibusvè liquoribus, patientes devoviſse quis putet? Atrocem hanc praxim mollior ac mitior fugavit pietatis motus, verum non perspicacior, dum cauteria suasit potentialia; ipsis enim nullo modo cessit hæmorrhagia, quam tunc inter symptomata periculi pleniora annumeratam legimus, & acerbiori medela ægriorem factam libenter crederemus. Alias quis non animadvertit, quantum indicationi sumendæ, scopoque intento, & ut naturæ curis adversa sit causticorum quælibet classis, quæ partes amburendo & molestè vellicando, inflammationem, febrim, convulsiones, gangrænam, & infestam accidentium *syndromen* certo certius invehunt. Posthac, ad multiplicis seriei laqueorum admotionem confugerunt, quibus equidem pars obstupescit incidenda, doloriſque sensus obtunditur; ast laxatis habenis quid tunc? Arteriarum de novo dehiscunt ora, furit sanguis e carcere. Hæc igitur ut & similia Fabricio ab Aquapendente licet utilia visa fuerint; ipsius tamen non omnino satisfecere votis, qui, non omni extorso præjudicatæ opinionis fuco, in demortuo partem secabat, Vigonis praxeos in plurimis æmulus, & actuali deinde cauterio absumebat, quidquid vitiati reliquum. Ipsi Hildano, Fabricium ab Aquapendente ob illud sugillanti, placuit etiam vasorum ostiis ignito ferro crustam inurere. Parei debetur sagacitati, ut ipsemet affirmat [c] magnorum vasorum sanguinem vomentium orificia filo injecto obturandi methodus. Apage, quod aliquid de laudibus merito huic perillustri chirurgo tributis demere velle videamur; attamen à vero prorsus alienum non est, illum rectius ex lectura capitis quinquagesimi septimi libri primi

[a] Celſ. lib. 7. cap. 33.
[b] P. Ægin. de re Med. lib. 4. cap. 53.
[c] Oper. lib. 12. cap. 35. Edit. Par. 1682. in-fol.

Landesbibliothek Oldenburg

mi [d] Albucasis, quem cum fastu alibi commemorat [e] hanc immediatæ vasorum ligaturæ ideam excepisse, quam ex ambiguis Galeni verbis, oblivione omnino deletum illud artificium, summo ingenii acumine, expiscatum fuisse. Ligaturam mille modis ornatam ad perfectiorem ferre gradum postea tentavit complurium saltem industria; vel figura acuum mutata, vel inventa forcipe, qua exterius traheretur resiliens arteria, huicque superius immitteretur laqueus. Fuerunt, qui, fibrarum carnearum fasciculo cum vase colligato, frænum firmare aggressi sunt, simul & appositio arteriæ, lateri penicillo arctius strinxerunt. Nec dubitandum est, quin ligatura tractui vasorum exterius admota, torcular dicta, quæ sectionis tempore, aut ipsa peracta, sanguinis in parte resecanda moraretur affluxum, alius aptioris structuræ vinculi, pro hæmorrhagia sistenda ideam procreaverit; felicissimo equidem ausu, ni diuturniorem gravioremque ab illa pressionem, ut plurimum, exciperet partium subjectarum torpor & ipsamet gangræna. Habeatur solum ille compressionis apparatus, tanquam temporarii præsidii genus. Paribus itidem rationum momentis, abstinendum videtur ab artificiosa arctiorique partium deligatione, quæ priori ligatura haud utilior est; sed sæpe sæpius diros ob effectus, varias nempe inflammationis species, convulsiones &c. æque nocet. Uno verbo plurima vetant, ne nimium hisce præsidis confidas veluti periculo vacantibus; sæpe enim ligaturam declinavit arteriæ situs; sæpius modo confecta cessit, aut postea repetito sanguinis nisu lacessita excidit; sæpissime tandem justo citius elabitur, in robustis præsertim ac succo plenioribus, in quibus ad contusas proindeque inflammatas ligatura partes, promptior ac copiosior affluit suppuratio; hinc recrudescit hæmorrhagia, quæ prius adhibitam artem eludit. Ad absorbentium, ad stypticorum effectus, ad causticorum etiam cum ligatura sociatorum incommoda attendenti plane patet, quam leve hæc hæmorrhagiæ vel præsenti, vel imminenti ponant impedimentum. Præterea quanta cum difficultate hæc ipsa tuto injicitur ligatura? qui dolores? quot accidentia accersit? quot ex punctura, ex distractione, vellicatione & compressione partium nervosarum instant mala? Quam certa exardet febris? quot lacessunt indesinenter convulsionum insultus? Quam longo

[d] Et est perdifficile placare malum, aut sistere sanguinem arteriarum, quæ sunt in perpetuo motu. Cum ergo accidit alicui illud tene, curiose & artificiose manu tua orificium arteriæ, & pone super ipsum digitum tuum indicem, & stringe eum multum, donec retentus sit sanguis sub digito tuo, deinde & scias quod quando arteria fluit sanguis, tunc non est possibile abscindere ipsum, præcipue quando arteria est magna, nisi uno quatuor illorum modorum, aut cum cauterio sicut diximus, aut cum extractione, cum extrahi potest, nam quando extrahitur, contrahuntur extremitates ejus, & sistitur sanguis, *aut ut ligetur cum filo ligatione forti*, aut ut ponantur super ipsum medicinæ de proprietate, quarum est abscindere sanguinem, & stringatur cum pulvinaribus strictione decenti. Qui autem administrat abscissionem ejus, aut *ligamentum & striclum cum panno*, aut positionem rerum comburentium & similium, non confert nisi admodum raro. Basileæ 1541. *in-fol.*

[e] Ibid. lib. 24.

Landesbibliothek Oldenburg

longo tempore perennant? Quid plura? nec labori nec sollicitudinibus parcent, ut illa secure superent obstacula. Summa cautione digitum arteriæ orificio, Albucasis forsan suasu, utilius ad mentem P. Æginetæ [f], appositum quandoque tenere coguntur, ut æqualis stet diutius compressio, sicque malum allevare moliuntur, quod, omissa ligatura, certius averruncassent. Nec silebimus illam methodum nuperrimis hisce temporibus propositam, cujus simplicitas successusque decantati sunt; hanc, ut & recensitas alias, explorandam judicamus. Etenim officio suo deficeret medicus, qui remediorum effectus ad genuina physices principia non revocaret, ut exinde, & ex severa aliarum circumstantiarum faventium vel pugnantium comparatione, de remedii pretio judicium eruat.

III.

Ut tuto sisti queat præsens hæmorrhagia, aut instans avertatur, plurima scitu sunt necessaria. 1°. Noscenda potentia, ac scrutandæ vires unitæ causarum, à quibus procedit illa. 2°. Æstimanda resistentiæ summa harum opponenda nisui. 3°. Exacta comparatione hæc omnia inter se proportionanda, & ex his in disquisitionem vocatis, par ne sit an impar oppositus obex deducendum est. In genere dicere licet multos incidere casus, in quibus resistentiæ species quævis, & à fortiori plurium coadunatio ac concursus nisum ita superent, ut absque periculo quædam ex his præsidiis negligere fas sit, tanquam cautionis ergo quodammodo adhibitis. In aliis ambæ hæ potentiæ ita inter se *æquilibrantur*, ut à causis accidentalibus non adaucta impulsione solita, resistentia, quæque sit, sustinendo impetui sufficiet. Ast non eadem speres, si nisus in obstaculum insurgens momenti gradum adipiscatur, tunc ad novum resistentiæ gradum possibilem recurrendum est. Tertia tandem dabitur casuum species, in quibus fieri non poterit, ut resistentia æquiparetur potentiæ contranitenti; cujus idcirco effectus & incommoda non poterunt declinari. Præmissas hasce propositiones elucidabit sane hæc Architecturæ hydraulicæ pars, quæ de solidiori molium, aggerum & aliorum adversus aquarum incursus munimentorum constructione præcepta tradit. Licet enim in utroque opere ab altiori loco æque possit imminui liquidorum impetus & vis; attamen illud inest discriminis, quod servetur aquis liber exitus; dum e contra ubi hæmorrhagiæ sistendæ mens est, nullum sanguini per sectam partem sinendum erit effugium, vel si quid effluxerit, pro nihilo habeatur. Alia nascitur etiam differentia ex diversa natura parietum alvei per

[f] In partibus ex quibus sanguis erumpit, contraria finibus figura conducit. Hæc autem est ea quæ sursum spectat, sed neque hæc immodica existat; periculum est enim ne dolor oboriatur, & vas rursus sanguinem fundat, nil enim magis sanguinis eruptiones movet & inflammationes auget quam dolor. Verum enim partibus sanguinem fundentibus statim *digitum ad osculum ulceris circa vasculum obde*, ita ut leniter innitaris, citraque dolorem premas. P. Ægin. ib.

Landesbibliothek Oldenburg

per quem utrumque liquidum decurrit; aggeres enim qui totum allidentis aquæ pondus sustinent, mere passivi sunt, & irruenti solummodo resistunt, quod quidem præstant & ipsa vasorum latera, sed insuper alternis percussionibus ex nativa fabrica premunt fluidum ipsa distendens, ejusque pressionem compensant. Perpendamus nunc quænam sit vincenda potentia; æstimemus quanta vis ipsi insit; qui tandem opponendus obex. 1°. Sistendus sanguis pulsus motu cordis, ac vibratione ingeminata arteriarum. Alternæ hujus potentiæ momentum nosci supponimus, non secus ac illius augmentum à suspensione circuitionis ob præsentem irritationem, ac dolorum sævitatem productum. 2°. De habituali suo circuitu deturbandus sanguis, ut nova reliqui fluidi derivatio instituatur versus alias partes. 3°. Requiritur, ut habita ratione hujus adventitiæ determinationis sanguis sibi novum sternat iter, & mutato cursu directo, collaterales vasorum ramos ingrediatur, ipsos ampliet & explicet; quod absque vividiori cordis ac arteriarum actione, vel summa vasorum laxitate fieri nequit. Quibus addatur oportet, violentior impetus, licet non continuus, à causis accidentalibus excitatus, scilicet ab animi pathematibus, inflammatione, insomniis &c. Noscitur facile quanta vis insit potentiæ, quæ continuo obstaculum pellere aggreditur; qua cautione vitanda sit ad unicum punctum nisuum collectio, & consequenter, quantum intersit conatuum impetus inter plura dividere, uno verbo illos infringere. Prævidetur etiam, qui futurus sit hujus conspirationis eventus, ac vis vibrationum in obstaculum impingentium. Quanta ergo cum prudentia allaborandum est ut à longe dividatur, temperetur, &, ut ita dicam, molliatur nisus ille non omnino tamen destruendus. Quo minor erit sanguinis massa, eo promptius ac facilius fiet nova illius distributio, fiet pacatius, & absque procellis eo magis pertimescendis, quo copiosior abundat sanguis, vasorum interim obluctante liberiori diductione. Quo minor erit sanguinis massa, eo debilior dabitur & cordis & arteriarum actio, ob stabilitam proportionem inter vires pulsantis potentiæ & corporis pulsati resistentiam, ob momenti gradum ex utriusque consociatione constantem. Alias quo lentior, remissior & tranquillior horum actio, eo languidius arietabit fluidum in obicem oppositum, quem mollius lambet, etiamsi in medio fere cursu detineatur, & antequam motus acquisiti integram quantitatem impenderit. Quo se verteret illud vitæ principium? quid efficeret propensio illa spontanea & mutuus singulorum organorum consensus ab impetum facientibus rectus, ad totius corporis conservationem à divina creatoris providentia cuique individuo insufflatus; hujus agendi normam arguunt, quæ multis in casibus prodidit stupenda. Sectum vas arteriale, propriæ creditum actioni, retrosiliens ad viciniores se recipit partes, intus se abscondit, favente qua constat textura, & allabentem sanguinem expellit indesinenter; is primum rapide erumpit: insignior postea fit illius effluxus propter communem toti machinæ languorem & debilitatem; animo linquitur vulneratus; sistitur sanguis: jejuna arteriæ latera concidunt, invicem applicantur, imminuitur sensim vasis *diameter* ad

punctum usque, in quo cessat ab interno distensio ac *irritabilitas*, applicata latera coadunantur, obturatur cavitas, & illa vasis portio abit in ligamentum. Cæterum suppresso semel sanguine, lege quidem non absimili ac in sauciatis partibus carneis, reliqua ut in iisdem vulneribus perficiuntur. Voluerunt nonnulli, à thrombo, seu sanguine coagulato vas illud occludi, cum quo ipsi parietes coalescerent. Hujus quidem opinionis mentionem hic per transennam addere satis erit. Illud enim non fert motus directio, non docent suppurationis leges usu receptæ; huic adversantur & fluidi & applicatorum natura, observationes à cadaveribus sumptæ; huic denique neutiquam favet incumbens aneurismati spurio, seu vulneri arteriæ, tumor crescens à sanguine dimanante ac coacervato in cellulosum textum, iisdem mutationibus obnoxio, quas patitur sanguisubi cunque extra vasa diffusus. Patet ex dictis quam lenta, quam successiva, quam quieta molitione opus suum suscipiat ac perficiat natura; non violentos adhibet nisus, non ponit obstacula novas paritura tragœdias; torrenti ambitiose grassanti repagula non astruit. Huic delicatulam instrumentorum, quorum ope medetur, compagem ac fragilitatem innotuisse putares; hanc & proinde istorum appositioni ac stabilitati providisse, minoremque in resistentia fiduciam habere, quam in virium contranitentium imminutione.

IV.

Ex remediorum à Celso memoratorum expositione & à successiva serie eorum, quæ sistendæ hæmorrhagiæ causa adhibuerunt alii, concludendum est, varias & à mente Celsi discrepantes methodos inventas fuisse, ut illico ac quasi ad nutum voluntatis sisteretur sanguinis profusio, spe forsan promptioris curationis ac convalescentiæ; pro nihilo interea habitis, quibus cruciabantur ægri infandis doloribus. Labori sane pepercissent isti & ægrotantium angoribus, si quibus rationum momentis ducti fuerunt antiqui attente disquisivissent. Frustra veteres ignorantiæ & negligentiæ reos damnavit posterorum ambitio. Hoc crimen eluitur facile, ut pote quod illorum artificium nixum demonstretur cognitionibus & observationibus. Credere quippe fas est, quod imminuta sanguinis copia & vasorum elasticitas facta debilis ac prostrata, atoniæ tandem species & εὐθανασίας qua procumbit ægrotans, hæc omnia, inquam, vel leviori præsidio securitatem & palmam assignare debeant. Misericordia aut sollicitudine intempestiva commotus hanc suspensionem in circuitu sanguinis, imprudenti cardiacorum usu, si non perturbes; si lautiori cibo humorum jacturam cito reparare non studeas; si nulla moveatur febris, ac irritatione interna vel externa; si nullo tumultu percellatur tranquillitas, quam requirit natura, ut partes ad coalitionem tendentes firmet, ac tuta obducat cicatrice, ab antiquis usitata sufficient præsidia. Affirmare quippe non licet omnes, hac methodo olim tractatos periisse; cur ideo negaretur ille naturæ mechanismus; cum hanc denuo similia operantem viderint oculi supra captum humanum illusioni cedere impares. Testem vocamus

Landesbibliothek Oldenburg

eamus omni laude majorem Boerhaavium, & in probationem adducemus, quæ habet aphorismorum N°. 160. enarrationemque ipsam Clar. Van-Swieten ad hunc locum. Ast sanguini relinque impetum, quem mutuatur vel à nimia quantitate, vel ab accelerato motu circuitus, qui retardationem ipsius sequitur, vel à partium nervearum irritatione; frustra ipsum furentem subito frænare cupies, aut minori spatio continere; tunc enim temporis, quidquid apponetur obicis, pulsabit, ac injectas franget ille compedes; fluctibus, causticorum actualium vim extinguet; vasorum orificiis adnata quolibet momento tolletur crusta, aut tenacius adhærens sua præsentia molestabit; exsiccatæ dilacerabuntur partes. Arteriæ igitur coalitionem & obturationem nil efficacius promovet, & proinde sanguinem sistit, quam ex absoluta debilitate quies, qua durante, vulneratus nullos persentit cruciatus, & in ipso mortis limine fere crederetur, quod Græci voce εὐθανασία significant. [g] Verum ut status huic similis obtineatur, omnimoda requiritur quies, doloris absentia; absit inflammatio; pruritus nullus, nulla *eschara*. Conducunt ergo somnus, vasorum depletio, laxatio, victus tenuis, mollis lectus, situs corporis accommodatus, calor *atmosphere* ad sexaginta circiter gradus thermometri Farenhetiani temperatus. Præmissis autem sanguinis missionibus pro ratione virium, illa quies conciliabitur usu opii in menstruo appropriato soluti, & ipso cortice peruviano prudenter associato, qui febrim, perpetuam puris scaturiginem, arcebit. Fasciæ autem juxta ritum eidem scopo respondentem disponantur. Exulent ergo astringentia, comprimentia: exulent cauteria, & olea ardentia, quæ comburendo gangrænam inducunt & destruendo noxia, & *contrariantia* naturæ habenda sunt; exulent ligaturæ cujuscumque speciei, quibus semper inflammatio, dolor, convulsio, nova febris ex punctura succedunt, & ex iis consectaria, suppurationes abnormes & gangræna. Sic inanita vasa collabuntur & compinguntur; perit omnino cavitas. Id probat canalis arteriosus sanguini in adultis impervius, & in ligamenti naturam conversus; probant vasa umbilicalia, etiam post horariam compressionem absque ligatura aut post molles morsiunculas, qualiter in brutis, sanguini aditum denegantia, & solidescentia. Quod & simul in memoriam revocare debet, quantis doloribus prematur infans, quanto labore habitualis mutetur sanguinis circuitus, eveniat nova distributio. Nec est, cur coërciti sanguinis commodum ad sympathicæ aut specificæ virtutis arcana referamus, ut forsan vellent nonnulli, in gratiam nuperrime inventi remedii, quod desumitur ex Agarico querno pedis equini facie J. R. H. Hujus frustum, post aliqualem mundationem, arteriæ orificio imponitur, cui alterum sternitur, & ambo sic posita deligatione idonea in situ continentur. Huic methodo pervicaciores cessuras hæmorrhagias, & feliciter coalitura vasorum orificia contendunt. Sed quonam mechanismo id assequantur? Num à natura fungi illius, & ab ipsius virtute intrinseca id obtineant? Nonne potius propter salutarem vasorum depletionem & horum laxationem

[g] Vide Sueton. ad Cæsar. Aug. vers. fin.

absolutam, nulla stimuli molestia ad contractiones & convulsivos motus excitam? Nonne propter mollem vasorum compressionem & corporis incumbentis liberam intimioremque applicationem? Quod æque salubriter præstarent pellis Rupicaprinæ aut corii uri bubali laciniæ, ad flexilitatem & mollitudinem Agarici paratæ. Nonne demum ex immunitate, aut verius ex liberatione ab omnibus illis angoribus ac cruciatibus, quibus ægrescit vulneratus, vel dum applicantur recensita remedia chirurgica, vel dum sua præsentia suisque effectibus vim inferunt toti machinæ? Id dijudicandum relinquimus illis, quibus cognita sunt genuina physices principia, perspectæ sunt animalis œconomiæ leges, tutum est & certum iter per observationes & experimenta. Interea tentamen illud novum adhibitæ vel Antiquitus medicinali hæmorrhagiarum curæ lucem ac certudinem affundere confidenter agnoscemus.

V.

Etiam ipsa ratio sui juris facta prima fronte meliora non videt, non probat, non sequitur; quidni æmulatio cæteros inter cupiditatum tumultus? Mirandum igitur non est, si Antiquorum medicina post elapsa sæcula ex oblivionis caligine emergens, & ut plurimum novitatis larva abscondita, tam anxie ad suos authores referatur, & debitum favorem adipiscatur. Sua fuerunt nostratibus quoque, non secus ac Græcis, heroica tempora, artium primordia & quasi incunabula; fuit ipsis sua ab antiquo chirurgia, ad quam excolendam, tardam contulerunt operam tum Græcorum, tum Latinorum scripta, paucis tunc familiaria. Proinde nemo est qui non perspiciat, quanto cum labore in honorem redierit hæmorrhagiarum medela, quæ apud veteres medicos vigebat. Minus insuper arridet medicina illa, quod nimis otiosa videatur, sicque potius naturæ contemplatio & meditatio, uno verbo ars muta, quam sagacitatis, industriæ quin & audaciæ specimen, fructus & gloria. Æmulum naturæ operantis artificem non solum naturam imitari decet, juxta quosdam, sed & illam pulchro ausu vincere. Objicient illi thrasonice ægris inductam ad plures annos, exposita à nobis methodo, solidorum debilitatem. Objicient liquidorum jacturam, vires enervatas, languoremque totius machinæ multis ægritudinibus infestum. Ex adverso opponent promptam, expeditam & vegetam alia methodo curatorum relevationem, quæ exantlatos labores gravi usura rependit. Utinam promissis staret fides, ipsaque vota implerentur! Verum quod aliter eveniat, fateri cogunt recensita incommoda, quæ varias methodos chirurgicas sequi superius annotavimus, & ad integram sanitatem ægri citius non reduces. Præterea quis non anteponet placidam & tranquillam naturæ veterisque medicinæ serenitatem violentis illis conatibus dirisque cruciatibus, quamvis æque infida foret, impotens & incerta, & ipsam non confirmarent ratio, experientia, & analogia. Non enim absolute vetat arteriarum in artubus *diameter*, ne adversus externas illas hæmorrhagias valeant auxilia, quæ feliciter sanguinem ex vasis

abdi-

abditis, & immediatam medelam renuentibus sistunt. Quotidie hac arte saliens ex pulmonum vasis cruor propter vitium internum aut vulnus ab extrinseco illatum, reprimitur, licet spem resecare deberet perpetuus pulmonis motus. Infelici ictu pertusa arteria ad flexum cubiti repens, impositio papyro dentibus prius commolito & saliva subacto, conspirante placido sanguinis cursu, & commoda deligatione quotidie coalescit absque posteriore infortunio. In his casibus vivide elucet naturæ medentis potentia, simpliciori artificio suffulta; celebratur ab omnibus; sed accurata & fidelis hujus imitatio verius quid præcineret auribus, utilius aliquid spiraret ad ægrorum salutem. Semper-ne artis perfectio & laus reponetur in inventis, quæ naturæ vim inferunt, eique e directo adversantur? Revera momento sanguinem sistunt, opus Antiquis impossibile aut intentatum. Verum rapidi & inauditi successus non sunt semper lætiores diuturnioresque; sua ipsa deteruntur pernicitate; sæpe sæpius præcox famæ desiderium nova fit calamitas, quæ ipsius germen suffocat & comprimit. Terrori locum non sinat ægrorum constantia; illorum animos sustentent & erigant medicorum vitrus & confidentia; quantum à naturæ beneficentia sperandum sit palam fiet; minus audacter & inconsulto artis præsidiis occurrent malo; quid valeant ambo, noscent intimius, feliciores erunt, & nobiscum concludent:

Ergo ad sistendam membrorum resciſſioni supervenientem hæmorrhagiam, datur artificium tutius vasorum ligatura.

FINIS.

CXXXVI.

QUÆSTIO
MEDICO-CHIRURGICA,

Præside

M. JOANNE HERMENT,

MEDICO REGIS ORDINARIO.

Respond.

PAULO LE ROY

AURELIANO BACCAL. AUCTORE.

Parisiis 27 April. 1752.

Utrum in arteriarum Vulneribus tutum Hæmorrhagiæ sistendæ auxilium, Fungus maximus, rotundus, pulverulentus Johannis Bauhini *?*

I.

DUPLICI vasorum sanguiferorum genere, arteriis nimirum & venis corpus humanum, potissimum constare, nullus est quem lateat. Hæ cruore tumentes hunc laticem, uno tractu sedato & placido flumine devehunt ad cor; illæ continuo fere motu pulsantes, sanguinem e corde acceptum, subsultim projiciunt in venas. Hæc vasa, sicut & alias corporis partes, posse lædi, quis ibit inficias? Unde plurima diversi generis mala, pro diversa læsionis conditione, hæmorrhagiæ præsertim, quæ si artificio quovis non compescantur, totus sanguis per vulnus effluat necesse est; hinc tanto subveniendum malo; effluxio cohibenda, mors enim imminet ineluctabilis. De venarum hæmorrhagia non est quod sis sollicitus; esto:

curam

curam eximet compreſſio vel levior; iratos ad arbitrium compones fluctus. Non ita fidas arteriæ. Facilem non admittit cicatricem, indocilis reprimi; appellenti ſemper obviam patet ſanguini; nulla parietibus mora, nulla datur quies; indeſinenti feriuntur impetu, indeſinenter reluctantur. Cave igitur; res non ſunt in tuto.

Plurimos ab omni ævo, ſanguinis cohibendi modos excogitarunt medici. Nunc adſtringentibus medicamentis, ſtypticis modo, alias potentiali, alias actuali uſi ſunt cauterio. *Hippocrati* non fuit ignota, neque *Galeno* comprimendi ars & deligandi. Non omnes has methodos retinuerunt neoterici. Has rejecerunt, ut pote infidas, inſufficientes, & quandoque noxias; illas vero, pro re nata, felici adhibuerunt cum ſucceſſu. Illorum conſiliis & experientia freti, ligaturam in maximis rerum anguſtiis, veluti ſalutis anchoram, cum ægrotantium ſolamine quodam arripuerunt chirurgi. Quanta, eheu ſecum importet mala, felix qui nunquam fuit expertus! Unde nova merito deſideratur methodus, quæ ſi diuturnis involuta jacuerit tenebris, ex veterum medicorum monumentis, felicioribus hodie renovatur auſpiciis.

II.

Ligaturam magnarum arteriarum in læſionibus celebrare, periculoſæ plenum opus aleæ. Enimvero tanta eſt nonnunquam hujus operationis exequendæ difficultas, ut æger in vitæ diſcrimen injiciatur maximum; tam ancipitis, funeſtique, non raro fit eventus, ut partis integræ mortem inferat neceſſariam. Frequentius, Eheu! hujuſce veritatis argumentum ſubminiſtrat aneuryſma, quod dicitur tumor præternaturalis in arteria quacumque, à ſanguine tunicas ipſius diſtendente, vel in partium incumbentium interſtitia effuſo, unde duas diſtinguitur in ſpecies, in verum ſcilicet & ſpurium. Cauſas inter quas vulgo agnoſcunt, crebriores annumerantur, contuſio quæcumque à gravi ictu, tunicarumque arteriæ, ſive integra, ſive partialis, à phlebotomia male celebrata in brachio, punctura, ſive ſolutio. Quando (tentatis antea modis omnibus, quibus tumor poſſit diſſipari, vel continui ſolutio uniri) ad operationem eſt deveniendum, ſi injiciatur ligatura in ipſum arteriæ truncum, qui exiliſſimos, aut nullos partis nutriendæ gratia emittat ramos, uti quotidiana teſtatur experientia, cita mors partem arripit, reliquum brevi corpus occupatura. Tunc dimidium facti vix habes; dolores primos renovare, dira jubet neceſſitas, ad amputationem confugiendum. Vitam ſervat æger, ſed mancam, infortunium grave, plurimis ipſa morte pejus. Licet opportunum ſatis in amputationibus, tibiæ, femoris &c. hæmorrhagiæ ſiſtendæ videatur auxilium, ab omni tamen ſuſpicionis labe non eſt immunis; dum enim fortiter ſtringuntur fila, moles omnis liganda facile poteſt reſcindi, vel ſicceſcente ligata illa mole, fila relaxari, unde recrudeſcentis hæmorrhagiæ metus. Miſſo tali incommodo, momenti ſane graviſſimi, quantis patiens excrucietur tormen-

mentis! Horreſco dicere. Ipſa operatione, omnium crudeliſſima, atrociores patitur dolores. Mox ardet febris intentior, ferociſſimæ invadunt convulſiones, nulla prorſus arte, nullis ſuperabiles remediis, ſæpiuſque æger, tertio, quartove die, rite peracta operatione, omnique ceſſata hæmorrhagia, dolore exanimatus perit, & conſumptus. Sic non ſemel vertitur in perniciem ſpes ſalutis proxima. Omne igitur tulerit punctum, qui tantis didicerit malis ſuccurrere, qui certam æque ac jucundam detexerit methodum, quæ omnibus valeat providere. Hanc porro plurimis abhinc annis propoſuerunt medici, publicique fecerunt juris; ipſam verſari docuerunt in applicatione medicamenti cujuſdam, quod dum irruenti ſanguini frenum injicit, facilem, tutamque ab omni periculo, cicatricem inducit arteriæ.

III.

Ideo ſæpius tutis carere præſidiis artes judicantur plurimæ, quia ſedulo ſatis non excoluntur animo. Illarum adire penetralia plerique vix curant homines, ſicco pede calcantes limina, unde non mirum, quod in rebus maximi momenti deficere videantur non raro. Feliciori donatam conditione quam cæteras artes, medicinam nolim exiſtimare; diverſas tamen ipſius partes ſors eadem non premit.

Jam à longo fuit in votis medicamentum, quod poſſet ligaturæ vices ſupplere, quod ipſius gauderet efficacia, incommodis vero noxiſque careret. Opus arduum maxime, eoque medicis omnibus dignum magis, quod civium utilitati accommodatius! Propoſuit itaque *Johannes Bauhinus*, Doctor Medicus & Archiater *Baſilienſis* fungum quem maximum, rotundum, pulverulentum dicit, ſanguinis eruptionibus etiam periculoſiſſimis compeſcendis aptiſſimum, cujus accuratiſſimam more ſuo deſcriptionem exaravit in Hiſtoria ſua Generali Plantarum [*a*]. „Tantam", inquit, „fungus ille „aſſequitur interdum magnitudinem, ut caput hominis facile æquet, „aut etiam excedat. Cute membranacea ſatis firma (quæ in principio ex „albo cinerea, mox cum tempore livida redditur) undique cinctus, ſub„ſtantia partim cohærente ſed rara, eorum inſtar, quos excipiendis ſi„lice chalybeque excuſſis ſcintillis præparatos vendunt, colore etiam per„ſimili .... ſicci leviſſimi ſunt, ut caput humanum ſinguli æquantes, „unciale pondus non excedant.

Paſſim autem fungus ille creſcit in campis, ubi ſingulis anni tempeſtatibus colligitur. Notandum quod in loco ſicco debeat aſſervari. Eo præſtantioris eſt uſus quod nulla prorſus indigeat præparatione. Digitis enim facillime detrahitur cutis membranacea, qua undique cingitur *ſubſtantia cohærens ſed rara*, quæ talis, qualis eſt à natura debet adhiberi.

Si

[*a*] J. B. Hiſt. gen. plant. 1651. cap. 75. p. 848. tom. 8.

Si sistendæ v. g. cujuslibet hæmorrhagiæ vel præceps sese dederit occasio, substantiæ hujusce frustum hiantibus arteriæ labiis imponitur, adeo ut læviori superficie sua vulnus prospiciat, ipsiusque ora amplitudine sua excedat. Huic amplius alterum sternitur, amboque simplicissima (ut moris est) deligatione in statu continentur. Sic effluxus omnino cohibetur. Sic paucis diebus coalescunt vasis labia, vulnusque ad perfectam quasi divinitus deducitur sanationem. Mirabundus dubitas? En fidem faciunt, firmantque ipsa *Joh. Bauhini* verba: „ Sunt, inquit, qui pro certo asserunt „ vetustiores, (fungos) & jam justam maturitatem transcendentes, præ„ stare ad compescendas sanguinis eruptiones, etiam periculosissimas, quo, & ipsi multorum cum præsenti salute, usi sumus in eo ipso casu [*b*]". Quanti sit facienda tanti viri autoritas, evincunt ipsius opera ære perenniora, evincit ipsius omni ævo veneranda in physicis sagacitas! Quæ quidem doctrina de compescendis hæmorrhagiis fungorum ope, apprime congruit cum *Caroli Clusii* medici *Atrebatensis* observatione [*c*], qua evidenter constat, methodum hanc veteres medicos minime latuisse, illamque olim apud Germanos haud infrequentioris fuisse usus. „ Eam, inquit *Clusius*, „ substantiam fungi spongiosam, exsiccatam, & omni pulvere quem con„ tinebat vacuam adservare solent.... Illaque uti ad sanguinis fluxum in „ vulneribus restinguendum, quam ab causam, suis in officinis pensilem „ eos habere, plerumque etiam in Germaniæ multis locis observabam". Unde (missis etiam commodis, quæ quotidie ab usu fungorum percipiunt veterinarii) jam staret inconcussa propositionis nostræ veritas, ni aliud subministraret argumentum ipsamet fungorum natura.

IV.

Vel partialiter vulnerari potest arteria, vel totaliter. In illo duplici casu, ferme eumdem esse propositi fungi agendi modum, conjicimus. Porro hunc duplici potissimum substantia constare, jam supra innuimus, una scilicet membranacea, satis firma quæ rejicitur, altera cohærente, sed rara, totaque molliter villosa, quæ sola in usum venit. In primo casu, si arteriæ cujuscumque vulneri (quod ad simpliciorem continui solutionem debet reduci) imponatur, incredibili qua pollet flexilitate vas arcte complectitur, ad figuram ipsius sponte accommodatur compressione quam accuratissima, & maxime æquali; villis suis humore imbibitis, unicuique adglutinatur puncto, dum cohæsione qua donatur, ita vulneris labia retinet, ut ea ab invicem discedere non sinat. Sic facillime, venarum more coëunt, & celerrime, fere solo naturæ conamine, quæ eo citius simplici cuicumque vulneri cicatricem inducit, quo magis approximantur ora. Nec spernenda mirabilis hujus substantiæ lævitas, imo plurimi facienda ex *Galeno*,

[*b*] Id. loco citat.
[*c*] Spec. 3. gen. 26. fung. pernic. pag. 288.

qui monet, „ut in usu medicamentorum quæ cicatricem inducunt, ea „ præcaveantur, quæ ad tactum aspera sunt, ut quæ callum potius quam „ cicatricem efficiant, sed eligantur ea, quæ multam ad tactum lævitatem „ habeant [*d*]". Non tam brevi temporis spatio opus forte absolveret natura, longiusque protraheretur vulneris coalitio, nisi adstrictione, licet exigua, gauderet ille fungus, quam ipsi nullus, credo, denegabit, si rite perpenderit accuratam quam habet analogiam cum omnibus fungis, qui arboribus adnascuntur, quosque virtutem hanc participare, non immerito confidimus. Sic nucis juglandis adstrictionem laudarunt medici, experti sunt chirurgi. Uvam quercinam commendat *Encelius* medicus [*e*], qua præstantius nullum in omni fluxu sanguinis expertus est medicamentum. Sic pulvere adstringenti, vel fungo Bovist vulnus jubet adimpleri in operatione aneurysmatis *Anton. Nuckius* medicus [*f*]. Quid mirum hoc de fungis illis prædicari, si, (quod clamant omnes) nutriantur ex humore superfluo arborum, quibus adstrictoriam inesse virtutem, plebs ipsa, non ignorat. In posteriori casu, si nempe totaliter secta fuerit arteria, posito ad aperturam hujusce fungi frusto, tam avide circumarripiunt orificii labia partes lanuginosæ, ipsisque adeo tenaciter infiguntur, ut hiatum omnem occludant omnino. Interim appellens humor his villis imbibitur, unde exurgit gluten quoddam mirabile, quod arteriæ parietibus ita adhæret pertinaciter, ut diceres vas hermetice clausum. *Habent enim qui tales sunt* (fungos audias) *intra se lentorem quemdam concretum & strigmenti modo viscosum* [*g*]. In ulteriorem probationis gratiam vocamus innumera à Clariss. Doctore medico [*h*] Parisiensi facta experimenta. Agaricorum fere omnium, quotquot sunt sive fungorum frusta, diversis imposuit arteriis; gluten illud constanti animadvertit observatione, submissaque cultro anatomico arteria, illud idem reperiit naturæ ipsiusmet arteriæ factum quasi simile & adunatum; quodque vix credas, soluto horis duabus post deligationem vulnere, jam cessaverat hæmorrhagia absque recrudescentiæ metu vel minimo, obice jam insuperabili. Nuperrime etiam D. *Brossard* chirurgus usus est fungo quodam, quem vocant Botanici *Agaricum pedis equini facie.* J. R. H. 562. *Fungum in caudicibus nascentem, unguis equini figura.* C. B. Pin. *Fungum igniarium* Trag. 943. Hunc autem ad veteres quercus colligi, talique modo præparari narratur. Cultro rescinditur cortex albidus, durus, quo tegitur substantia mollior ac spongiosa, quæ deinde cultro eodem separatur à duriori filamentosaque substantia; mollis postea illa substan-

[*d*] Gal. lib. 5. de comp. med. per. gen. cap. 7.
[*e*] Lib. de re metall. edit. 1557. p. 238. cap. 51.
[*f*] Exper. chirurg. exp. 29. pag. 99.
[*g*] Dioscor. l. 4. cap. 81.
[*h*] M. Claud. Franc Grandclas.

Landesbibliothek Oldenburg

ſubſtantia, iteratis mallei ictibus contunditur, donec lævissima ſit, digitisque quaſi diffluat. Hæc in uſum adhibetur, in periculoſiſſimis hæmorrhagiis, quod in variorum membrorum amputationibus, felici expertum eſt cum ſucceſſu. Sed unde huic maxima acceſſerit fama, juvat obſervationem litteris & poſteritati mandare. Vir quidam generoſus à S. Principis *de Conti* cuſtodia, enſe vulneratus in ipſo arteriæ humeralis dextræ trunco, tribus abhinc menſibus laborabat aneuryſmate, quod in tantam excreverat molem, ut pugnos duos facile adæquaret, & jam metus eſſet ne dirumperetur cutis, unde ad operationem de ſapientis medici [*i*], celebriſque chirurgi [*k*] conſilio, confugit; atque cum prius de injicienda ligatura actum fuiſſet, (quæ in maximum, ne dicam certum brachii amittendi periculum conjiciebat ægrotantem) jam laudatus M. *Verdelhan* inauditum antea in hoc caſu propoſuit modum, quo tuto & jucunde ſanaretur arteriæ vulnus inflictum. Ligatura longe tutiorem fungum D. Broſſard aſſeruit, voluitque applicari; quod quidem adeo felici ſucceſſit eventu, ut intra unum menſem ullo ſine diſcrimine, & incommodo inducta fuerit cicatrix. Dum igitur in compeſcendis hæmorrhagiis iſtius fungi vis benefica celebratur, ſuæ medicis concedendæ ſunt laudes, nec *Joannes Banhinus* ſuo defraudandus honore; quinimo omni donandus eſt encomio, cum primus, ſua commendaverit experientia, immortalitatique conſecrarit medicamentum, quod nec cultro indiget nec malleo, nec ulla quavis præparatione, ut vocetur in uſum, quod unicuique præſto eſt, & in quolibet inſtanti ad refrænandos ſanguinis efluxus etiam periculoſiſſimos.

V.

Mirandam fungi noſtri virtutem, quis negaverit? Dum omnes adhibitas hucuſque methodos, ſtupenda antecellit efficacia, dum abſque ullo vel leviori incommodo, doloris ſenſu vel minimo, ſimpliciorique via, certam oſtentat ſalutem. Omnem itaque in operatione qualibet amoveant formidinem, tum ægrotantes, tum chirurgi, ſuperveniens illos non terreat hæmorrhagia; jam habent præ manibus, quod ipſos in maximo vitæ diſcrimine ſoletur, quod ſanguinem quaſi divinitus ſiſtat ferociorem, abjecta prorſus ligatura, quæ certum licet ſpondere videatur eventum, in omni caſu non ita feliciter ſuccedit, ſpem amat ſæpius ludere, plurimaque ſecum importat mala. Immenſam fatemur appellentis ſanguinis vim, debilem vero adſtrictoriam fungi noſtri virtutem. Quid refert? Si primas teneat exactiſſima, & æqualis quam efficit compreſſio, nullo prorſus modo dimovenda, ſi tam arcte vas complectatur, ut ne unam quidem cruoris guttulam ſinat effluere, vulneriſque labia ab invicem non valeant

[*i*] M. Jac. Verdelhan Deſmoles Doc. Med. Pariſ.
[*k*] D. Morand.

Landesbibliothek Oldenburg

discedere, quo posito cicatricem efformari necesse est, eoque libentius, quod dolore nullo ab opere suo distrahatur natura; si præterea hujus sit naturæ gluten, ut ab irruente sanguine minime possit excuti. Aliunde nonne scrupulum omnem removent relata clarissimorum medicorum experimenta?

Ergo in arteriarum vulneribus tutum hæmorrhabiæ sistendæ auxilium fungus maximus, rotundus, pulverulentus Joannis Bauhini.

FINIS.



AUGUST.

CXXXVII.

AUGUST. FRIDER. WALTHER

PROGRAMMA

DE ANEURISMATE

Lipſ. 1738.

ARteria magna, ut ex ſiniſtro cordis ventriculo prodiit, ab baſi cordis, auriculis, & interno pericardio primum involucrum adcepit; deinde laxo & celluloſo, ſed mox coacto contextu veſtitur, &, in tunicarum numero, firma & tendinoſa ſuccedit; poſtea muſculoſa ſequitur, & copioſis fibris annularibus & carnoſis conſtat; tandem, poſt alium, minoremque celluloſum contextum, qui denuo ſe immiſcet, obductio nervoſa occurrit. Hæc ultima membrana duplo tenuior, quam tendinoſa eſt, internamque arteriæ ſuperficiem in vivis lubricam facit, & omnibus his tunicarum ſtratis conſtruitur aorta, atque munitur; ſed canalis vim elaſticam, atque robur, tendinoſum, atque muſculoſum involucrum præ cæteris præſtant. Nos illa membranarum nomina cum celeberrimo *Heiſtero* retinemus, nec de conciliandis pluribus nominibus, quæ alii anatomici impoſuerunt, aut de ordine plurium mutando ſolliciti ſumus. Neque vero ab initio arteriam magnam tantum ab una parte velamento externo obduci patet, neque omnem celluloſum contextum, qui ſubjicitur, æquali laxitate conſtare intelligitur: & nos nerveam, & muſculoſam tunicam inter ſe confundere veremur, ſicut hæc ita nihilo minus adcepit, & docuit *Alexander Monro Medical Eſſays Vol. 2. n. 16.* quandoquidem illum rerum ordinem, quem diximus, etiam dum hæc perſcribimus, in canale, ad arbitrium & nutum illius ſcriptoris prævia maceratione præparato, luculenter diſcernimus, atque repetimus. Hoc enim inter alia præſens fert inſtitutum noſtrum, ut vulnus arteriæ ab aneuriſmate diſtinguamus; præſertim, cum clariſſimo *Joanni Freindio Hiſtor. Medic. Part. I.* concedamus, quod plures ſubinde ſcriptores, utrumque morbum ab altero minus, quam par eſt, diſtinxerint, qui obſervationes de aneuriſmate fecerunt, & literis conſignaverunt.

Cum itaque arteria vulneratur, aut rumpitur, & hæmorrhagia conſequitur, ſed internis, externiſque impedimentis, aut remediis, fluxus ſanguinis imperfecte ſiſtitur, nec vulnus apte ſolidatur, tum minor ſugillatio, in propria arteriæ celluloſa membrana, ſed multo major, & impetuoſior in propinquarum partium celluloſo contexu ſuffuſio erit, &

cruor diverſa veluti ſtrata, ſcilicet, alia pallidiore coagulo, alia vero obſcuriore purpureo, quin ſanguine florido quoque plena, in tumore, qui inde ſubnaſcitur, brevi tempore feret; eumque morbum aneuriſma ſpurium chirurgiæ ſcriptores vocarunt. Quemadmodum vero cum his omnibus clariſſimis viris, tum majores, tum vero minores arterias, etiam externis, interniſque corporis humani ſedibus obvias, denique præter modum ante dilatatas, vel non dilatatas, & quidem multiplici occaſione data, inter alia diſrumpi, vel vulnere, & roſione aperiri, nos merito præſumimus; ita, ubi accidit, ut arteriæ, quæ læduntur, una cum tumore inde ſubnato, & aucto, profundiorem ſitum habeant, pulſumque, tanquam rei ſubjectæ indicem, obſcurent, tum ipſum quoque *Freindium*, & alium omnem experientiſſimum virum fallere, vel incertum detinere ſolent, ſcilicet, an dilatata, ſeu aneuriſmatica arteria, & quidem aperta, an vero tantum ſimplex arteriæ vulnus ſubſit. Hanc ob cauſam, diſtinctam veri falſique aneuriſmatis adpellationem, uſque quaque receptam, retinendam porro eſſe, nos contra *Freindium* monemus. Nemo enim unquam ignoravit, quod, adcurate loquendo, vulnus arteriæ aneuriſmatis nomine inſigniri per ſe non mereatur.

At *Freindius* diſtentionem arteriæ, & ſuccedentem in aneuriſmate hujus illiuſque membranæ vaſis diviſionem impugnat; ſed, contra *Fernelium*, *Hildanum*, *Diemerbroeckium*, *Bartholinum*, *Ruyſchium* & plures, paulo acrius diſputat, & nihilo abſolutius effuſo ſanguine, tanquam ſi eſſet eorum cauſſa, quæ in aneuriſmate fiunt, ſua doctrina nititur, cum exempla perſtringit, quæ præſtantiſſimi viri commemoraverunt. Eo enim vero is proceſſit, ut, quod in tumore præcedit, & ſequitur, minus, quam par erat, inter ſe conferret; ſed de cruore & ſuffuſione permixte ſtatueret, nullumque, præter ſubitum rupturæ vaſis, & vulneris caſum, aneuriſma oriri, haud obſcure doceret. Nihilo minus ita quoque varices, tanquam ſimiles tumores in venis fieri, & ſubinde exulcerari, ultimamque pelliculam, poſt alias rumpi, inter omnes conſtat: nec tamen arteriæ diſtentio adeo ab unius alteriuſque tunicæ ruptæ modo differt, ut gravem celeberrimi illi viri cenſuram *Freindii* meruerint. Hujus doctrinæ quanquam ſectator *Monrous* eſſet *l. c. num.* 17. tamen carnoſæ tunicæ fibras, diſtentione canalis, præ ceteris divelli docuit: & nos, creſcente tumore, & copia interni coaguli adaucta, pulſum debilitari, atque ad ſenſum obſcurari, hoc cum *Ruyſchio* & aliis inferimus; quin, in magno tumore, & pulſum fere deletum, & omnes carnoſas fibras deſtructas eſſe facile contendimus. Hoc fato, temporeque adcidit, ut ita quoque proprii arteriæ celluloſi, & laxiores contextus tenuentur, & obliterentur, neque, ob hanc cauſſam facile inter membranas ſugillatio fiat: &, fortaſſis ideo *Lanciſius*, & nonnulli alii ſcriptores reprehendi merentur, quod ab lenta ſolutione ſingularum tunicarum, & natis inde diverſis intervallis, alieno ſcilicet humore impletis, & auctis, omnem craſſitiem & ambitum tumoris paulo abſolutius deduxerunt.

runt. Nam cum arteriæ tumore, grandiore jam facto, præter carneam, quæ superſunt denſioris contextus membranæ coaleſcunt, varieque interno ponderi cedunt; imo ingens tumor, quantum permulti ſcriptores obſervarunt, uno, aut pluribus locis finditur, & rumpitur; & tandem interno, perinde, ac externo ſanguinis coagulo, quaſi nova, & monſtroſa ſanguinis via paratur, laminæque, & aliena veluti ſtrata, novique, & morboſi oſſium vicinorum nexus, quin eorum caries, & alia cum tempore fiunt. Nam, præ cruoris acrimonia, & putredine, dira ſymptomata ſuperveniunt, ac non niſi fato, cum internum eſt vitium, aliquando protrahitur vita; donec mors ſubita plerumque conſequatur. Nihilo minus anceps, & ante obitum, ſæpius dubium eſſe ſolet, an vaſis membranæ, quæ diuturna preſſione male adficiuntur, ſaltem extenuentur, an vero prava ratione nutriantur. Nam utrumque fieri, id ſectiones cadaverum docuerunt. Quo ultimo, & rariore fortaſſis caſu, non penitus ab re alienum erit, cum *Lanciſio*, & aliis præſumere, quod ex cruſtis, & propriarum arteriæ tunicarum laminis, ſcilicet morbo auctis, proxime aneuriſmata conſtent, & fiant. Sed minorem, & in pectore abſconditum arteriæ tumorem, nec laminis morboſis conſtantem, rumpi nihilo minus poſſe, exemplum docebit, quod modo proponimus.

Anno 1723 ſervus, quinquagenario major, brevis ſtaturæ, ſed armoſus, ac ſanus viſus, ſanguineque plenus homo, quod in terram forte ceciderat, ſublaturus, corpus inclinat, ac, ſub hoc flexu ſemianimis proſternitur, & tribus, vel quatuor horæ momentis obit. Quo facto, nos artis medicæ ſtudioſos convocavimus, & ſectione cadaveris invenimus, & demonſtravimus, quæ nunc repetere lubet. Herniæ inguinalis memorabilem ſpeciem, dextro abdominis loco, ilei inteſtini proceſſus & diverticulum fecit, quod medii digiti longitudinem, & craſſitiem habuit, &, cum abdomen inciſum eſſet, ex morboſo peritonæi proceſſu eductum fuit. Simile ilei diverticulum *Frid. Ruyſchius Catal. Rarior. p. m. 63. fig. 3.* pinxit. Neque vero ante id tempus, neque poſtea, nobis hunc proceſſum obſervandi occaſio ſe obtulit. Pancreas ſcirrhis paſſim obſeſſum, vaſa bilifera, una cum fellis folliculo, humore turgida, ſanguifera autem vaſa partim flaccida, vidimus, & præter hæc notabiliora, etiam in thorace, ſectione aperto, dexter pulmonis lobus, altera, & quidem ſuperiore ſui parte, cum pleura membrana cohæſit, & magna arteria, ſanguine fere vacua fuit: at arteriæ arcus, licet inanis fere videretur, nihilo minus, parte extra pericardium viſa, inſolitam diſtentionem vaſe pleno olim factam eſſe, ſignificavit; quanquam aorta, qua parte pericardio innectitur, ab idoneo & naturali capacitatis modo haud ita abeſſet. Jam, præter omnem modum tumidum quoque factum pericardium ſenſui occurrebat, &, ex eodem inciſo, duæ ſanguinis libræ, cum pauco ejus coagulo profluxerunt. Cor, una cum ſuis auriculis etiam ultimis pulſibus exhauſtum, & ſanguine vacuum reperimus; & parum cruoris in ſurgente aortæ trunco, nihilo minus aliquanto major ejus pars in pulmonali arteria & vena ſupererat: at propriæ cordis arteriæ magis,

gis, quam venæ, eodem humore depletæ erant. Nullus in cordis ventriculis, aut ejus auriculis, aut communibus vasis, inventus polypus est; sed, pollicis intervallo ab magnæ arteriæ origine, cordeque, aneurisma ovi minoris magnitudinis in pericardio obvium eo fere loco fuit, quo ingens illud esse cœperat, quod laudatus *Ruyschius obs.* 37. delineavit. Nos istius tabulam, & ejus expositionem hoc loco subjungimus. Tumor ab parte priori & laterali dextra, obliquum vulnus videndum dedit; & hoc pisum admisit, ac, labiorum inæqualitate, ruptum tumorem esse confirmavit. Juxta eum hiatum, & in toto tumoris ambitu, sicut in aorta quoque reliqua, membranas ab nexu suo consueto, & naturali modo, & crassitie, haud recessisse experti sumus, ut neque sugillationis nota circum vulneris hiatum adpareret. Ex quo tumore, derepente quidem aperto, flumen sanguinis prorupit, & effusio brevissimo temporis intervallo vitæ finem fecit.

Majora aneurismata, quin enormia, utut in pectore, & aliis internis sedibus obvia, & nata, per multos quidem annos plures mortales gestarunt; cujus generis exempla habent *Ruyschius obs.* 37. 38. *Lancisius de mortibus subitaneis obs.* 5. *Philosoph. Transact. Angl. Vol.* 7. *p.* 318. *Ephemerides Nat. Curios. An.* 1. *Dec.* 1. *obs.* 18. *Barbette Prax. L.* 2. *c.* 3. *p.* 30. *Histor. Morbor. Vratislav. An.* 1701. & plura relata leguntur apud *Freindium l. c.* Ad hæc, externis quoque corporis locis, variæ magnitudinis arteriarum tumores, absque eo, ut intra paucos annos aperirentur, alii etiam sustinuerunt. Nam, ex violento brachii motu, aneurisma fœmina adcepit, & ultra quinquaginta annos ipsum gessit, *Hist. Morb. Vratisl. Anno* 1700. nec tamen hæc ex illo morbo, sed maligna febre mortua est. Huc spectat aneurisma, nucis juglandis magnitudine, in utraque parte colli visum, & ab tussi natum *Eph. N. C. Dec.* 1. *An.* 4. & 5. *p.* 102. & aliud, ab vehementi risu, in frontali arteria obortum *Act. Erud. Lipsi. Anno* 1699. *p.* 51. & reliqua. Plures sunt rationes, quæ nos arguere jubent, illud aneurisma, quod nos in arteria aorta vidimus, & modo descripsimus, hominem, quem proposuimus, minori tempore ante quam obiret, sibi contraxisse. Nam omnia circum tumorem, & in interno ejus ambitu abfuerunt, quæ veterem esse morbum probare possent; quin ipsa tumoris conditio & parvitas, hanc adsertionem confirmare videtur, & quæstionem fere decidit. Illum vero corporis nixum, flexumque, quo homo ante obitum se ipsum inclinaverat, nemo pro tanto habebit, ut fluminis vitalis perruptio illico inde per se fieri debuisse. Etiamsi enim cum *Freindio* nos opinemur: arteriam, hac sede, quam diximus, ad adquirendum tumorem, ob propinquum arcum, qui sanguinis flumini adversum tenet, præ aliis in corpore locis, disponi; &, quanquam post aneurysmatis morbum, ex caussa, quæ nos quidem latet, illatum, arteriam primum intra thoracem, ex parte distentam esse, deinde, cordi majorem sanguinis molem promovendam perpetuo hanc objeciisse, & restitisse, sic conjicere velimus; denique, quanquam illa hominis, laboribus quidem adsueti, proxime ante obitum facta corporis inclinatio adcesse-

ceſſerit: nihilo minus tantum effectum & tumoris haud magni, nec alio loco extenuati fiſſuram conſecutam eſſe miramur. Verum, hoc quoque exemplo probatur, & infertur: ſingulari aneuriſmatis interno loco, diſtentionem arteriæ, abſque vulnere, & notabili læſione, & diviſione internarum ejus tunicarum paullatim fieri, proinde in aliis corporis quoque locis, & exemplis, temporis intervallum majus vel minus requiri, donec ſanguis prorumpat, & morboſis laminis & cruſtis tumor atque vulnus veſtiatur; quæ omnia *Freindius* paullo abſolutius in aneuriſmate, & propius ab morbo illato, ac ſemper conſequi cogitavit. Tandem, ſi arteriæ ſimplex vulnus, & factus inde tumor, aneuriſma ſpurium dici non debet, ſupereſt, ut verum aneuriſma aliud apertum, aliud clauſum eſſe concedamus, & nihilo magis inanem, quam acriorem ita litem *Freindius* movit.

FINIS.

TABULÆ EXPOSITIO.

A. Auricula cordis dextra.
B. Vena cava minor, quæ adſcendens dicitur.
C. Arteriæ magnæ principium.
D. Pars arcus aortæ.
E. Aneuriſma.
F. Locus vulneris, ubi ruptus tumor erat.
G. Arteria pulmonalis.
H. Auriculæ cordis ſiniſtræ pars.



DE

Landesbibliothek Oldenburg

CXXXVIII.

DE

STUPENDO ANEURISMATE

IN BRACHIO FELICITER

PER OPERATIONEM CURATO,

DISPUTATIO.

Præside

HERM. FRID. TEICHMEYER,

Respondente Auctore

NATHAN. THEOPHILO EMRICH

URATISLAVIENSI.

Jenæ 1734 Martii.

Landesbibliothek Oldenburg

Q. D. B. V.

PRÆFATIO.

Dominus Præses, qui ante biennium curam & operationem ſtupendi aneuriſmatis ſpurii, in Studioſo quodam hujus academiæ, per Dei gratiam, ejuſque immenſam miſericordiam feliciter ſuſcepit, conceſſit mihi, ex ſingulari favore, non tantum libertatem omnia ea, quæ in ipſa operatione fuerunt peracta, oculis uſurpandi, ſed & mihi ſimul inſuper occaſionem dedit ampliſſimam, totum curæ curſum, a capite uſque ad exoptatiſſimum finem, atque conſolidationem, omniaque notabilia, quæ in dies fuerunt ſuſcepta & obſervata, annotandi & litteris conſignandi. Propterea conſentiente & permittente Domino Præſide totam hiſtoriam hic deſcribere, eamque notis exornare, ac loco ſpeciminis inauguralis tecum, Benevole Lector, communicare propoſui. Faxit divinum numen, ut hoc fiat feliciter.

I. N. I.

HISTORIA MORBI.

STudioſus quidam viginti annorum, anno 1731. quatuordecim ante Michaëlis feſtum diebus, ſanguinem mittebat, chirurgo venam baſilicam eligente, & proh dolor! arteriam cubiteam, ſub ea ſitam, incidente, nec errorem, quem admiſerat, obſervante, patientemque adeo, prout moris eſt, deligante [*a*]. Hic vero brevi poſt in loco, ex quo ſan-

[*a*] Si venæ ſectio in brachio inſtituenda eſt, quatuor apparent venæ, quæ plerumque ſecantur: (1) Cephalica, ita dicta, quoniam ſuprema eſt, & partes capitis magis reſpicit. (2) Communis, ſive media, aut mediana, ſic vocata, quoniam in media parte brachii ſita eſt, atque anaſtomoſi ſua cephalicam cum baſilica conjungit. (3) Baſilica, ita nominata, quia baſin, ſive partem inferiorem brachii fere occupat, & (4) Anconea, quoniam circa partem gibbam ulnæ, ἀγκὼν Hippocrati, ὠλεκρανὸν Galeno dictam, & ſupra muſculum anconeum poſita eſt. Hæ quatuor venæ a peritis & exercitatis chirurgis lanceola aperiuntur; aſt omnis talis operatio nunquam periculo caret, quamvis maxima cum circumſpectione ſuſcepta ſit. Communiſſime baſilica & mediana aperiuntur, dum magis in cute protuberant, & ſic in oculos incurrunt, ſanguinemque cum ſaltu ſimul profundunt ad votum adſtantium. Interim harum duarum venarum ſectio periculoſiſſima eſt: etenim ſub baſilica ſita eſt arteria cubitea, ſub mediana ſtratum tendinoſum muſculi bicipitis reperitur, & hæc bina corpora ſi offenduntur extrema cuſpide lanceolæ, periculoſiſſima excitantur ſymptomata. Habemus in Dionisii chirurgia exempla varia de infelici tali ſectione: etenim p. 706. refert de exercitatiſſi-

ſanguis emiſſus fuerat, tumore, avellanam minorem adæquante, afficiebatur [b]. Qua de cauſa ex chirurgo quærit, quid iſte tumor ſignificet? qui vero chirurgus patienti non niſi miſerum hoc conſilium dedit, ut graviora tolleret [c]. Hic conſilio huic obſecundaturus, ciſtam, ſupellectilibus onuſtam, in ſublime levat. Quum vero ſperaret, fore, ut tumor reſolvatur, hic quotidie incrementa capit. Eo igitur tantum augmentum adepto, ut non parvi ovi anſerini magnitudinem referret, dictus ſtudioſus ad D. Præſidem accedit, eique brachium ſuum ſpectandum exhibet. Simulac Dn. Præſes tumorem in brachio tangeret, ſtatim in eo continuas deprehendebat pulſationes, atque livorem ſimul in ſuperficie tumoris obſervabat, ideoque D. Præſes ſtudioſo libere profeſſus eſt, tumorem hunc eſſe aneuriſma [d], quod dubio procul venæ ſectione, ſiniſtre caden-

tiſſimo quodam chirurgo Pariſino, quod in ampliſſima ſua praxi per unius anni ſpatium duodenis vicibus arteriam cubitcam, in ſectione baſilicæ, vulneraverit, quod fatum interdum inevitabile eſt, imprimis, ſi venæ ſunt exiguæ, ſi profundius ſub cute latitant, & vix ſunt conſpicuæ. Et ſane optandum, ut omnes omnino chirurgi ita circumſpecte agerent, ſicuti Dioniſii jam laudati præceptor, qui cuidam ſtipendiato Pariſini collegii fundationis Ducis de Harcourt venam ſecabat cum læſione arteriæ cubiteæ. Hic chirurgus, hocce obſervans fatum, nec mentis conſtantiam nec faciem mutabat, & poſtquam ſufficientem ſanguinis quantitatem collegerat, recipiebat ſpleniolum, involvebat ei monetam argenteam, eoque vulnus deligabat, ac ligaturam ita conſtringebat, prout nempe neceſſe erat, ad vulnus comprimendum, ſanguinemque in arteria vulnerata reſtringendum. Hoc remedio evitabat metuendum aneuryſma. Integra hiſtoria in jam cit. auct. legitur, p. 686. ſqq.

[b] Tumor in principio erat ad inſtar piſi minoris, aſt ſpatio octidui ad hanc magnitudinem accrevit. Interim ſi eo tempore Abbatis & Archiatri *Bourdelot* machina, cum ſcuto ſinuato, fuiſſet applicata, ſine dubio nunquam in id vitæ periculum incidiſſet noſter, in quo deinceps erat conſtitutus. Machina hæc, quam pontem vocant, deſcripta reperitur in laudati Dioniſii chirurgia, p. 679.

[c] Stultiſſimum erat conſilium, quo chirurgus ſimplicitatem, imperitiam atque inſcitiam ſuam prodebat; neque enim ita tumor varicoſus in venis, neque aneuriſma in arteriis, neque glandula ſcirrhoſa reſolvitur. Proh dolor! ita res noſtra in Germania comparata eſt, ut pauciſſimi chirurgi neceſſariam eruditionem anatomicam atque chirurgicam poſſideant, nec illam ſibi acquirere poſſint, ob defectum exercitationum publicarum. Sane laudanda eſt potentiſſimi Regis Boruſſiæ gratioſiſſima & munificentiſſima collegii medici Berolinenſis fundatio. In hoc illuſtri collegio omnes inſtituuntur lectiones & exercitia, quæ chirurgum perfecte inſtruere & ornare poſſunt. Suſcipiuntur hiberno tempore quotidie a celeberrimis Profeſſoribus exquiſitiſſimæ ſectiones anatomicæ, & operationes chirurgicæ, partim in theatro, partim in noſocomio charitatis. Adſunt ibi in copia nitidiſſima inſtrumenta chirurgica, ut nil dicam de lectionibus pathologico-practicis, chimicis, materiæ medicæ atque botanices; ideo ampliſſima datur chirurgis occaſio omnia ea addiſcendi, quæ ad veram chirurgiam pertinent, & chirurgum egregie ornant.

[d] Vocabulum aneuryſmatis origine græcum eſt, & derivatur ab ἀνὰ, rurſum, & εὐρύνειν, dilatare; ideo indicat præternaturalem vaſorum dilatationem. Arabes vocant noſtrum morbum Hyporiſma, Aporyſma, Emboryſma, ſeu Emboryſmum. Ex Græcis nonnulli ἀντήρισμα, ſeu ἀνεύρισμα; Latini autem arteriarum dilatationem. Vid. *Joh.*

cadente, ſibi conciliaverit [e]. Ex quo ſtudioſus integrum hiſtoriæ contextum D. Præſidi enarrabat. D. Præſes ſtatim illi prædicebat, quæ timenda eſſent, eidemque inſuper univerſam de aneuryſmatibus doctrinam, in quibuſdam chirurgiæ ſcriptoribus perlegendam, porrigebat. Neque enim pons, ab Abbate & Archiatro Regis Galliæ inventus, & in ejuſmodi caſibus alioquin valde utilis, hic applicari poterat. Quare etiam ſtatim operationis admiſſionem D. Præſes Studioſo ſuadebat, a qua vero ſe abhorrere prodebat.

Nos

Joh. Baptiſt. Silvatici, Mediolanenſis medici, Tract. *de aneuryſmate.* edit. Venetiis 1600. Veteres confundunt varices cum aneuryſmate: enimvero libri finitionum med. *Galeno* adſcripti, auctor, *aneuryſma*, inquit, *eſt dilatatio & relaxatio venoſi vaſculi, aut diſperſio ſpiritualis materiæ ſub carne per diſſultationem ſeſe diffundentis diſtribuentiſque*, & ita ſimul intelligunt ſub hoc termino ipſam ſugillationem. Hinc *Silvaticus*, jam citatus, in limine ſui tractatus, examinat omnium veterum de aneuryſmate dicta, ut *Avicennæ*, *Haly* Abbatis, *Albucaſis*, *Oribaſii*, *Hippocratis*, *Galeni*, *Aetii*, *Æginetæ*, *Actuarii*, &c. Omnes vero hi in eo conſentiunt, quod ſit tumor præternaturalis, in omnes dimenſiones extenſus, definitus, natus a ſanguine. Ergo, uti dictum, confundunt aneuryſma, varices & ſugillationes. Aneuryſma, proprie dictum, eſt tumor præternaturalis definitus, natus vel in arteria, vel circa confinia arteriæ, plus minus mollis, pulſans, interdum lividus, interdum colorem cutis non mutans, productus a ſanguine collecto.

[e] Aneuryſmata dividuntur in vera & ſpuria. Verum aneuryſma, quod etiam clauſum dicitur, vel cœcum, eſt tumor, ortus à dilatatione arteriæ, ubi quaſi arteria in ſaccum, minorem, vel majorem, extenditur. In hoc tumore ſemper pulſus deprehenditur, qui vero imminuitur, quando tumor magis magiſque increſcit, quod confirmat celeberrimus chirurgus Pariſinus, *Garengeot*, *Tom. troiſ. des operations de chirurgie*, ubi p. 217. hæc verba leguntur: *Aneuriſme vrai eſt une tumeur faite par la dilatation d'une artère, toûjours accompagnée d'un battement qui devient moins conſiderable à meſure que la tumeur groſſit.* Aneuryſma ſpurium eſt tumor, qui non in arteria, ſed potius in confiniis arteriarum generatur, oriturque ex vulnere arteriæ, per quod ſanguis erumpit, atque ſe diffundit in aliena ſpatia, nempe in interſtitia muſculorum & integumentorum communium. Hinc jam laudatus auctor hocce aneuryſma ita deſcribit: *Faux aneuriſme eſt une tumeur faite par l'épanchement d'un ſang arteriel, en conſequence de l'ouverture de l'artère, & qui n'eſt point accompagnée de battement diſtinguè, mais d'une eſpèce de bruit ſourd, ou pour mieux dire de fremiſſement, qui augmente à meſure que la tumeur groſſit, & qu'il s'y épanche d'avantage de ſang arteriel.* Hiſce binis ſpeciebus tertia addenda eſt, quæ compoſita dicitur ex vero & ſpurio ſimul. Eſt verum, quoniam nulla evidens arteriæ ſolutio continui hic deprehenditur, vel nullum vulnus manifeſtum; interim tamen ſucceſſive per poroſas atque attenuatas arteriarum tunicas tranſudat ſerum ſanguinis ſubſiſtentis atque grumoſi, quod tumorem producit, ſenſim ſenſimque accreſcit, & tandem oſſa vicina, v. g. coſtas vel ſternum acrimonia ſua deſruit, carioſa & friabilia reddit, qualia exempla leguntur in *Ruyſchii obſervationibus anatomico-chirurg. N.* 37. & 38. Hoc aneuryſma Excell. D. D. *Hilſcherus*, præceptor meus plurimum honorandus, *in diſſ. de aneuryſmate* vocat anomalum. Aneuryſmata hæc omnia pro ſubjecto agnoſcunt arterias, ergo differunt à varicibus venarum, (1) pulſu, nullus enim pulſus in varice deprehenditur, (2) frequentia & numero, etenim varices frequentius, quam aneuryſmata contingunt, quia motus in venis à variis cauſis magis retardatur, tunicæ venarum arteriarum tunicis ſubtiliores ſunt, &

venæ

Nos homines ita ſumus comparati, ut libentius jucunda, quam moleſta audire velimus. Eadem indoles in hunc etiam cadebat ſtudioſum, qui, de tot periculis & moleſtiis, operationem concomitantibus, edoctus, eos potius auxiliatores ſibi deligebat, qui, ipſi blandientes, auxilium ſubitum pollicebantur. Hos inter grandiloquos ipſe primum chirurgus erat, qui denuo cum hoſte hoc congredi audebat. Eo vero fruſtra, in debellando hoc tumore, ſudante, accedit veteranus quidam, & ſpiritus vini potationi deditus, medicinæ cultor, ſeu potius perditor atque corruptor, qui tamen itidem malum in pejus promovebat, utpote cujus naturam non perſpectam habebat, tumorem hunc pro fungo articulorum venditans.

Hic medicaſter emplaſtra applicabat emollientia, aliaque hujus commatis remedia, iiſque cutem adeo emolliebat, ut ſub ea ſanguis, ex arteria prorumpens, magis magiſque exundaret. Tandem tempus adeſſe arbitratus, quo tumorem aperiret, cauterio potentiali duo loca perurit, eoque efficit, ut die XXI. decembris, hora nocturna undecima, tumor rumperetur, ruptuſque ſex circiter libras ſanguinis effunderet.

D. Præſes, vocatus, nihil aliud auxilii afferre poterat, niſi, quod foramina fortiter obturaret, ægrotoque emplaſtrum, colligandis vulnerum oris idoneum, quod corio illitum erat, imponeret, additis, tum ſuperius, tum inferius, ſpleniolis, ligaturis & faſciis, ad ulteriorem ſanguinis effluxum coërcendum. Die ſequenti rogabat D. Præſes Collegas ſuos conjunctiſſimos & honoratiſſimos, medicos celeberrimos, Dn. D. & Prof. *Hilſcherum*, item Dn. D. & Prof. *Hambergerum*, ut caſum huncce notabilem

venæ ſtatim ſub cute partes perreptant, ideoque magis injuriis externis exponuntur, arteriis contra profundius latitantibus. Sic obſervavit D. Præſes in gravida ingentem tumorum varicoſorum numerum ab extremis pedibus uſque ad regionem inguinalem & confinia muſculi pectinei, cum ingenti pedum tumore, poſt partum vero ejuſmodi varices amplius non apparebant, ob ceſſantem venarum cruralium compreſſionem. Hinc differunt etiam varices ab aneuryſmate, (3) ratione durationis, quoniam poſt partum abeunt vel imminuuntur, in ſubſequente vero nova geſtatione iterum redeunt. Aneuryſmata frequentius partes occupant externas, injuriis magis expoſitas, ut vulneribus, contuſionibus &c. interim tamen partes internæ capitis, thoracis atque abdominis ab hoc malo immunes plane non ſunt, id quod confirmant obſervationes celeberrimorum practicorum. Sic nobis nota eſt hiſtoria de aneuryſmate trunci arteriæ magnæ, in pericardio conſtituti, cujus ruptura ſubitaneam mortem promovebat. In alio ſubjecto aneuryſma arteriæ pulmonalis lethalem præſtitit hæmoptyſin, videbis ſimilia fere exempla in Magni *Lancifii* Romani *Tract. de mortibus ſubitaneis.* Cauſa materialis aneuryſmatis, tum veri, tum ſpurii, eſt ſanguis, collectus vel in ſacco tali arterioſo, vel circa arteriam apertam & vulneratam.

Aneuryſmata variis ex cauſis originem ducunt, (1) ab atonia ſpeciali, locali hujus vel illius rami arterioſi, (2) à polypo, arteriam obſtruente & dilatante, (3) à contuſione, forti tenſione in niſibus & onerum motibus parta, &c. ſectionibus item & vulneribus, ubi vel tunicæ arteriarum exteriores vel interiores læduntur, vel omnes ſimul, (4) a roſione, ſi nempe acrior ſanguis tunicas internas arrodit, vel liquidum acre, circa arterias extus effuſum, tunicas externas morſicando ſolvit.

Landesbibliothek Oldenburg

tabilem atque ſtupendum una cum eo ſpectarent, eique aſſiſterent. Qui libenter apparebant, &, viſo brachio, unanimiter cum eo judicabant, operationem unicum eſſe medium ægroti hujus, ferme moribundi, vitam conſervandi. Quum enim veſpera præcedente jam multum ſanguinis amiſiſſet, moribundo ſimillimus apparebat. Decernebant itaque operationem, eamque, invocata divini numinis aſſiſtentia, die XXIII. decemb. quæ erat Dominica, tempore matutino inſtituebant, omnibus neceſſariis antea diſpoſitis.

Poſt horam antemeridianam decimam primum vinculum tortile applicabant [*f*], eoque contorto, patiente antea in ſella collocato, duo medicinæ ſtudioſi brachium & ipſum ægrotantem, alius vero vinculum tortile, tenebant, D. Præſide interim, de foramine cauteriſato emplaſtra tollente, atque hebetem, ſimulque excavatum ſtilum argenteum apprehendente, eumque in foramen maximum immittente, & loca inquirente incidenda. Quo facto, primum cultro acutiſſimo, ſecundum longitudinem, à flexura cubiti uſque ad dimidium brachii anterioris tumorem aperiebat [*g*]. Reperiebat ſtatim partim fluidum, partim, & maximam quidem

[*f*] Ad vinculum noſtrum tortile pertinebant faſciæ, tres digitos latæ, ex linteamine, duodecies ſibi ſuperimpoſito, confectæ. Hac faſcia ſuperiorem brachii partem, eo ſcilicet in loco, ubi tendo muſculi pectoralis & deltoidis finitur, cingebamus, poſtea ex utroque latere, ubi arteriæ ex ramis arteriæ axillaris decurrunt, duo craſſa applicabamus ſplenia, ad arterias bene comprimendas, ipſumque dein vinculum tortile, ex duplici funiculo, ſive reſticula (*Klaffter-Schnure*) confectum, adhibebamus, ſcuti tale reperitur apud Dionyſium p. 692. Tab. LIV. Hoc vinculum tortile, mediante baculo, conſtringitur & relaxatur, & hæc eſt antiqua methodus. Tale vinculum tortile ſemper eſt adhibendum in hoc negotio; applicandum autem in parte ſana, & non jam livida, atque à ſanguine extravaſato contaminata. Quoniam itaque in media parte brachii, noſtri ægrotantis, omnia adhuc integra & ſana erant, ideo vinculi tortilis applicatio cum ſucceſſu fieri poterat. Hocce vinculum tortile antiquum adplicabamus in principio, deinceps in uſum vocabamus *Tourniquet* Dni *Petit*, expoſitum atque depictum in Dni *Garengeot Traité des inſtrumens de chirurgie. Tome ſecond Chapitre IV. des inſtrumens, qui doivent ſervir aux amputations* pag. 137. Hoc ex duplici lamina lignea, quarum una per cochleam ſurſum deorſumque movetur, compoſitum eſt, atque faſcia, ſive cingulo, ex corio craſſiori, trium digitorum lato. Mediante cochlea, cingulum coriaceum relaxatur atque conſtringitur: bina ſplenia, mediantibus anſis, cum cingulo coriaceo conjunguntur, ad ramum internum & externum arteriæ axillaris comprimendum. Hocce torcular commodiſſimum eſt, & ejus regimen, facili negotio, ab ipſo chirurgo operante abſolvitur. Hinc quoque per totum curæ curſum, exoptatiſſimo cum ſucceſſu, in uſum vocavimus, omnibus illud commendantes.

[*g*] Tumor erat ſtupendus, cujus quantitas facile ex quantitate ſanguinis, quæ illum formavit, dijudicari poteſt. Integumenta communia, & inprimis cutis, livida erant, ideo ſectionem ſuſtinuit ægrotus, ſine vehementi ejulatu, nempe in illo loco, ubi integumenra livida & fere corrupta erant. Verum, dum D. Præſes cultro perveniebat ad confinia tendinis muſculi bicipitis ejuſque aponeuroſes, enormiter clamabat, ob exquiſitiſſimum harum partium ſenſum. Sectio tam provide peracta eſt, ut omnia

dem partem, coagulatum ſanguinem in cavitate hujus ſtupendi tumoris, cujus quantitas ad minimum decem librarum erat. Quum vero ea ratione tumor nondum ſatis apertus eſſet, D. Præſidi amplius una inciſio ſurſum, ultra cubitum retrorſum paulo, facienda erat, & una inſuper antrorſum uſque ad tendinem muſculi bicipitis, qui ſe in flexura cubiti adeo de brachio tollebat, ut integra manus in ſpatium, quod inter eum & brachium intercipiebatur, immitti potuiſſet [*b*]. Factis inciſionibus, D. Præſes, mediantibus digitis ſuis, ſanguinem coagulatum, intra cutem & brachium contentum, ſuaviter & caute removebat. Ubi autem arteria vulnerata erat, ibi fruſtum ſanguinis, admodum ſolide dureque coagulatum, ſive thrombus deprehendebatur, qui in ſubſtantiam fere carneam abierat [*i*]. D. Præſes hunc thrombum D. Collegis ſuis præſentibus monſtrabat, quem etiam Dn. D. *Hambergerus* tangebat, interque tangendum & explorandum removebat. Poſtea, cum cutis extenſa, ſacci inſtar, vacua eſſet, jubebat Dn. Præſes vinculum tortile ſuaviter retorquere & relaxare, ubi ſtatim vulnus illud, arteriæ antea inflictum, ſe conſpiciendum præbebat, ex quo ſanguis, cinnabaris pulcherrimæ [*k*] colorem refe-

fere organa ſint conſervata, cutis vero, à ſanguine extenſa & corrupta, à tertio die uſque ad ſeptimum, cum fœtore intolerabili, nigricans, livida & mortua apparebat, & à nono uſque ad decimum ſponte ſecedebat. Sanguis quidem omnis, in cavitatem quandam effuſus, facile in pus mutatur, effato *Hippocratis Lib. VI. aphoriſm.* 20. aſt in aneuryſmate, dum aliqua manet ſanguinis circulatio, per aliquot tempus abſque corruptione conſervatur. Interim tamen, ſi aneuryſma enormiter augetur, cutis livet, & ſphaceloſa interdum redditur, uti hoc contigit in noſtro ſubjecto. Vulnus repræſentabat literam Y, unum & ſimplex crus tendebat verſus carpum, duplex ulnam verſus atque flexuram cubiti, quoniam hic tumoris ſaccus maxime formabatur. Nec poterat quidem D. Præſes, ſectione ſua, pervenire ad extremitates formati ſacci, ſufficiebat interim tamen ſectio, quoniam ita vulnus, arteriæ inflictum, detegebatur. Poſtea in extremitatibus hujus ſacci, tam in parte ſuperiori, quam inferiori brachii, natæ ſunt notabiles ſuppurationes, quæ requirebant turundiarum, ad inſtar pollicis fere craſſorum, applicationes, id quod D. D. *Giesler*, ſub directione D. Præſidis, cui per XV. annorum ſpatium à manibus fuit, peragebat.

[*b*] Sanguis exundans, atque continuo ex vulnere arteriæ prorumpens, ſeparavit muſculum bicipitem anteriorem à brachio ſuo, & in recenti vulnere totus bicipitis tendo egregie apparebat.

[*i*] In omni aneuryſmate, ſive vero, ſive ſpurio, coagulatio ſanguinis deprehenditur, quæ vero diverſa eſt, pro diverſo tempore, in quo hæc fuerit peracta. Hoc comprobat partim color, partim ſoliditas: alius enim ſanguis coagulatus magis rubet; alius majori fuſcedine tingitur; alius preſſionibus digitorum cedit & modo congrumatus eſt; alius contra reſiſtit, dum in polypum & thrombum carneæ magis ſubſtantiæ concrevit. In ſanguine eſt lanugo. Ex hac lanugine convoluta oriuntur polypi, immo variæ obſtructiones viſcerum atque glandularum, ſi ſufficienti lympha non diluitur.

[*k*] Vulnus, arteriæ inflictum, erat valde exiguum, nam modo mucrone lanceolæ omnes tunicas ſimul chirurgus vulneraverat, hinc in ipſa arteria nulla deprehenſa fuit mutatio nulliuſque tumor. Sanguis, ex vulnuſculo cum impetu proſiliens, erat rubicundiſſimus. Rubedo ſumme exaltata ſanguinis eſt conſtans indicium, quod ſit arterioſus;

referens, profiliebat, fortiter admodum prorupturus, nisi vinculi tortilis retorsio leniter & caute instituta fuisset. Hoc facto, vinculum tortile denuo contorquebatur, nullaque amplius sanguinis gutta profluebat. Imponebant aperturæ arteriæ frustulum lapidis vitrioli, cui chartæ masticatæ portiones aliquot superimponebant, cavitatemque totam tumoris, paullatim linteaminibus carptis, pulvere adstringente & balsamico [*l*] consperfis, implebant, chartam vero masticatam spleniis, quorum unum ab altero magnitudine superabatur, immo totum vulnus iis obtegebant, & fascias ligaturasque arcte constringebant, initium in medio vulneris facientes, fascias, prout in venæsectione usu venit, decussatim circumvolvendo, indeque sursum, quantum quidem vinculum tortile permittebat, deorsumque carpum versus pergentes.

Obligato hac ratione brachio, nobisque judicantibus, nos nihil eorum, quæ necessaria & utilia fuerint, omisisse, jubebamus vinculum tortile aliquantum retorquere & relaxare. Videntes autem sanguinem per fascias penetrantem, idem denuo contorquere, arctissimeque constringere decernebamus. Quare fascias & ligaturas solvebamus, chartamque masticatam de arteria removebamus, vulnus de novo eluebamus [*m*], & chartam masticatam, liquore styptico clariss. *Dippelii* [*n*] imprægnatam imponere decer-

sus; obscurus contra est sanguis venosus, & ex differentia coloris dijudicare debent constanter chirurgus & medicus, ex quibusnam vasculis sanguis propullulet. Sed semper quæstio fuit, unde exaltata rubedo sanguinis arteriosi, & contra obscuritas sanguinis venosi. Rubedo sanguinis arteriosi secundum nostram sententiam dependet primario à sanguinis resolutione, peracta in pulmonibus, mixtura particularum aërearum & abundantia majori lymphæ. In sanguine venoso autem obscuritas nascitur (1) à lymphæ imminutione, sanguis enim abit ad partes per simplicem arteriam, redit ad cor per duplicem venam, unam sanguineam alteram lymphaticam. (2) A motus retardatione, & majori particularum rubicundarum unione. Quemadmodum enim cinnabaris, exacte triturata atque intime divisa, perfecte rubet: ita sanguis, in pulmonibus conquassatus, & in arteriis resolutus, simili modo magis rubet, & in colore exaltatur.

[*l*] Cavitas tumoris erat valde notabilis, nam continebat tam ingentem sanguinis quantitatem, & omnes fere, ibi siti, musculi erant denudati. Hancce cavitatem defensivis tractare, ratio suadebat. Pulvis autem, de quo jam sermo est, constabat ex rad. tormentill. bistort. pulvere rosar. rubr. farina volatica, bolo armen. sanguine hirci exsiccato, glutine fabror. myrrha, mastiche, aloë & colophonio, quæ in æquali fere pondere sumta, atque in pulverem subtilem redacta sunt.

[*m*] Hoc fiebat vino calido vel potius tepido, cocto prius cum speciebus aromaticis atque balsamicis. Hocce vinum postea pro fotu defensivo & resolvente deinceps constanter applicavimus. Species vero erant sequentes: recipe rad. plantag. symphyt. angelic. carlin. ana unc. j herbæ roris mar. salv. origan. serpill. basilic. polii mont. agrimon. betonic. summitat. rutæ, flor. hyperic. lavendul. melilot. ana manipulum j. arnicæ manip. semis, cubebar. drachmas iij. C. C. M.

[*n*] Innotuerunt successive varii liquores styptici, ut v. g. *Weberi*, *Barckhusii*, *Rabelii*, *Dippelii*, aqua sclopetaria, balsamum miraculosum *Burrhi*, *Portenschlegeri*, Salztburgensis, balsamum vulnerarium, &c. qui in sistendo sanguine & consolidandis vulneribus præstant; nunquam vero agere possunt ultra sphæram suæ activitatis. *Ra-*

decernebamus, quod etiam fiebat. His peractis, humectabamus eodem liquore omnia linteamina carpta, quæ insuper pulvere adstringente, conglutinante & balsamico conspergebantur. Tandem splenia, unum post alterum, vulneri brachioque denuo superimponebamus, à minimo incipientes & cum maximo desinentes, recentesque fascias eligebamus, ad trium ferme digitorum latitudinem, triumque ulnarum longitudinem extensas. Hasce fascias Dn. Præses, Dno Prof. *Hambergero* splenia tenente, denuo circumvolvere incipiebat, decussatim videlicet à vulnere, tum superiorem tum inferiorem brachii partem versus, ut ante, donec earum tres, quarum ultima, acu mediante, affixa erat, satis arcte brachium cingerent. Post hæc, vinculo tortili rursus aliquantum remisso, deprehendebamus, *Deo* benedicente, nos hac vice scopum nostrum obtinuisse. Sanguinis quippe profluvium cessabat, non temere ulterius metuendum. Quo facto patiens in lecto commode reponebatur. Nos, vulnus brachiumque colligantes, hoc aliquantulum inflexeramus, & in hac positura idem super pulvinari, quod linteamine cerato tectum erat, collocabatur. Vinculum tortile, aliquantum ante, ut jam dixi, remissum, à studioso quodam medicinæ continuo tenebatur, ut duobus illis crassis spleniis, quæ extra & intra in eo brachii loco, ubi arteriæ decurrunt, impetum sanguinis aliquo modo constringeremus. Experiebamur denuo, utrum fasciæ & ligaturæ arctæ satis essent, &, elapso semihoræ spatio, iterum patiens noster digitos movere posset, quod cum fieret, nos certiores reddebat, circulationem sanguinis & fluidorum nerveorum, conservandæ vitæ sufficientem, in brachio inferiori & digitis præsentem esse. Postea à patiente discedebamus, curæ nonnullorum, in re medica jam bene exercitatorum, studiosorum commisso, quibus speciatim injungebamus, ut vinculum tortile sine intermissione ab aliquo teneretur. Primis tribus diebus patienti nullos

helius de suo liquore styptico impossibilia promisit; volebat nempe in amputatis membris sanguinem sistere, sine applicatione vinculi tortilis, cum vero ex mandato Dn. de *Louvois*, primarii Regis Galliæ status administri, in milite quodam liquoris sui styptici, vel balsami, uti vocabat, vulnerarii faciebat periculum, factum fuit lethali cum eventu militis illius, cujus crus erat amputatum. Ideo Dionysius, qui in sua chirurgia hancce historiam p. 750. refert, recte hoc taxat impossibile promissum. Fuit hic *Rabelius* quoque in Anglia, & cum liquore suo varia suscepit experimenta, non contemnenda, præsente principe Ruperto, protectore suo. Qui plura desiderat de hacce historia, evolvere debet *Becheri sapientiam insanientem* p. 56. & seqq. ubi quoque hujus liquoris styptici elaboratio legitur, cujus basis est oleum vitrioli. Dippelii liquor styptic. paratur ex herbis traumaticis vel herbarum succis, ut betonic. pimpinell. chærefol. sedi majoris, plantag. nummular. millefoll. aristoloch. vinc. per vinc. saniculæ, verbasci, fabar. centinod. quæ destillantur per retortam cum aceto. Plura videbis de hoc liquore in diss. *de artuum amputatione* jam laudati Præceptoris mei D. D. *Hilscheri*. Ergo omnes ejusmodi liquores styptici de acido principio, sanguinem & liquida coagulante, & vasa constringente, participant; ideo quidem vasa vulnerata minora constringi, majora vero minus ad votum coarctari possunt ejusmodi remediis mitioribus.

Landesbibliothek Oldenburg

nullos alios cibos, præter juſcula, permittebamus [o], &, potum ejus quod attinet, ei decoctum hordei cum cornu cervi & ſcorzonera præſcribebamus [p]. Cum vero ipſi decoctum hoc non ad palatum erat, paucæ cereviſiæ potus ipſi concedebatur. Peracta operatione, ſtatim brachium ſuperius & inferius ſpiritu matricali, theriacali & aqua anhaltina, quorum ſpirituum æquales portiones cum inter ſe commixtæ eſſent, lavabatur, quod etiam primis tribus diebus, ſingulis duabus horis, niſi patiens dormiret, fiebat ſedulo. Singulis autem horis linteamina octuplicata, & vino calido, quod cum balſamicis herbis coctum erat, madefacta, imponebantur. Similiter patienti traumatica, bezoardica, balſamica, temperantia & anodyna interna propinabantur, de quibus, quatuor per diem vicibus, portionem aſſumere tenebatur [q]. Et licet inter operandum, ut facile concipi poteſt, aliquantum infirmior evaderet, multotieſque palleſceret, & animi deliquia ſentiret; miſericordia tamen Dei effectum eſt, ut hæc ceſſarent. Intumeſcebat etiam, ut itidem haud difficulter judicare licet, à deligatione ſtricta, brachium, tam in loco ſuperiori, circa vinculum tortile, quam in loco inferiori; abſque tamen enchymoſi, abſque inflammatione gangrænoſa, & abſque duritie ſingulari.

Tertio poſt operationem die veſicæ in conſpectum prodibant in vola manus, & digitorum condylis, ad magnitudinem notabilem excreſcentes, adeo quidem, ut aliquot earum quantitatem ovi columbini æquarent. In iis inciſis reperiebamus lympham coagulatam gelatinoſam, cujus phænomeni cauſa erat, quod pars lymphatica gelatinoſa in vaſculis lymphaticis progredi & liberius meare non valebat, ad id etiam involucris calidis & madidis, cum vino reſolvente, ſive aromatico, conſtanter in uſum vocatis,

[o] Medicina in alimentis optima eſt. Et datur nullum ægrotantibus convenientius alimentum, quam juſculum, illudque vel ſimplex vel medicamentoſum. Simplex vocamus illud, quod in culinis communiſſime præparatur ex brodio carnis vel caponum, gallinarum, vituli, bovinæ, mixtum cum raſura panis ſimilaginei atque vitello ovi, cum tantillo nucis moſchatæ & cardamomi. Medicamentoſum vero juſculum redditur, ſi coquuntur vel chærefolio, petroſelino, apio, naſturtio, aſparrago, ſpinachia, acetoſa Hiſpanica, radice ſcorzoneræ, tragopogi, apii, petroſelini, cichorii, taraxaci &c. hæc alimenta, in minima quantitate aſſumta, optime nutriunt, humorum acrimoniam temperant, & modicam vim diureticam & diaphoreticam exercent, ventriculum non moleſtant, nec flatus producunt, neque inteſtina craſſa fæcibus replent.

[p] Hocce potulentum non tantum in vulneratis, ſed & morbis acutis omnium optimum eſt, diluit, & temperat, immo febrem declinat.

[q] Hæc remedia erant mixtura & pulvis. Recipe tinct. bezoard. b. *Wedel.* eſſent. traumat. W. theriacal. balſam. ana drachm. j. myrrh. ſuccin. ana drachm. ſemis, tinct. anodynæ gutt. XII. M. Recipe pulv. bezoard. *Semmert.* ſcrupul. ij. contra caſum Auguſtan. antimon. diaphoret. ana ſcrup. j. nitri depurat. drachm. ſemis. theriac. cœleſt. grana iij. M. De mixtura hac dedimus hora ſeptima matutina & tertia promeridiana XLV. guttas; de pulvere hora decima matutina & decima nocturna grana XXV. Omnia fuerunt aſſumta cum aqua ceraſorum nigrorum.

Landesbibliothek Oldenburg

tis, multum afferentibus. Prima post operationem nocte, patiens aliquantum quiescebat, ad horam unam circiter cum dimidia. Postquam altero die quosdam impetus febriles observabamus, ipsi hora decima in altero brachio venam aperiebamus, indeque ad sex vel septem uncias sanguinis proliciebamus. Eodem die, hora sexta vespertina, clyster ei applicabatur, qui vero, sequente demum die, operationem suam edebat, quod patiens ante operationem alvi solutionem expertus fuerat. Potiuncula etiam bezoardica & confortans ipsi parabatur [r]. Tertio die, quem Mercurii vocant, fascias & ligaturas prima vice solvebamus. Antequam vero hoc fieret, vinculum tortile applicabamus, quod studio hunc in usum confici curaveramus, cujusque descriptio supra (f) est data. Fasciæ & ligaturæ, quæ in tumore arctius adhuc constrictæ erant, etiam ab integumentis, eas hactenus involventibus, aliquantulum quasi conglutinatæ, caute, & felici eventu removebantur. Extrahebantur insuper linteamina carpta, carnem inter & cutem intercepta; ita tamen, ut chartæ masticatæ, arteriæ superimpositæ, retinerentur. Deligatione ipsa, prouti antea conventum erat, fungebatur Dominus Professor *Hambergerus*, assistente D. Præside, alio interim vinculum tortile, una cum brachio superiori, & iterum alio brachium inferius tenente. Ante solutionem fasciarum & ligaturarum nos omnes odorem fœtidum cadaverosumque percipiebamus, à sanguine & cute, putrescentibus, unice ortum. Paucas enim notas nigredinis, in extremitatibus sectionum, in cute factarum, passim sparsas, reperiebamus. Vulnus circumcirca purificabatur, & quia cavitates, inter cutem & carnem existentes, admodum amplæ erant, sanguis in illis hactenus delitescens, & calore tot involucrorum in liquorem subfuscum resolutus putridusque suaviter exprimebatur, cujus massa notabilis erat, quatuor circiter uncias ponderans, & qui fœtorem, cujus antea mentio facta est, exhalaverat. Vulnere igitur accuratissime depurgato, charta masticata vero, arteriæ imposita, interim constanter in sua sede retenta, ad deligationem nos accingebamus. Apprehenso scilicet penicillo, ex linteaminibus carptis confecto, & spiritu matricali, nec non aqua anhaltina humectato, cavitates, in quantum penicillo in eas aditus patebat, abstergebamus. Postea penicillo alio, ex eadem materia parato, ubique linimento [s] vulnus inungebamus, chartam masticatam colophonio, in pulverem redacto, conspergebamus, oris vulneris linteamina carpta, spiritu supra laudato, nec non essentia ocu-

[r] Recipe aquæ scorzoner. sambuc. galeg. cerasor. nigr. flor. naph. cinnamom. s. v. ana unc. j. pulver. bezoard. *Sennert.* specific cephal. *Mich.* epileptic. March. antimon. diaphoret. ana scrupul. j. extract. theriacal. scorzoner. ana gran. IV. confect. alkerm. drach. j. M. Detur singulis horis ad cochlear unum, facta prius agitatione.

[s] Linimentum erat traumaticum atque balsamicum, constabat ex sequentibus; recipe pulver. myrrh. mastich. aloës, gummi sandarac. radic. aristoloch. long. vulgar. ana drach. j. colophon. balsam. peruviani, Copaivæ ana drachm. ij. mell. rosar. Q. S. M. Hoc erat defensivum remedium, ac insimul suppurationem promovebat.

Landesbibliothek Oldenburg

oculorum populi [*t*] aliquantum tincta, imponebamus. Prima duo minora ſplenia, eadem ratione humectata, applicabantur; verum majora, quæ ſequebantur, ſicca adhibebantur, iiſque totum vulnus obtegebatur, faſciis denique & ligaturis brachium rurſus involvebatur. Faſciæ interim aliquantum remiſſiores placebant, quod in vinculo tortili fiducia reponi poſſet, & ſic, *Deo* benedicente, hac deligatione ſanguis ſiſtebatur. Vinculo tortili aliquantum retorto, ſingulis tribus vel quatuor horis brachium ſpiritibus illinebamus, illudque pellibus leporinis calefactis contegebamus. Veſicæ; in vola manus ortæ, & inciſæ, emplaſtro miraculoſo cooperiebantur. Ægrotans, nobis ita diſponentibus, ulterius juribus veſcebatur, decoctumque ſuum bibebat; prætereaque internis medicamentis levabatur. Ex quo, paucis poſt horis, tumorem, qui brachium ſuperius uſque ad humerum occupaverat, magis magiſque emolliri obſervabamus. Tumor, brachium inferius afficiens, ſimiliter emollitus ceſſabat, & digiti tumidi turgidique attenuabantur [*u*]. Poſtea, cum patiens primis diebus non niſi minorem digitum, una cum pollice, ita movere poſſet, ut motus in ſenſum caderet, tres medios vero digitos æque movere non valeret, eum die Veneris non ſolum omnes digitos ex voto perfecteque moventem, verum etiam ipſum carpum, gaudentes conſpiciebamus. Exinde, flexoribus & extenſoribus carpi plures vires acceſſiſſe, concludebatur [*v*]. Hoc fiebat, ut die Veneris, qui menſis dies vigeſimus octavus erat, tertia à D. Præſide inſtitueretur deligatio; præſertim cum patiens alacrior, validior, & firmior eſſet redditus; odore interim, quem vulnus ſpirabat, forti, & quodammodo cadaveroſo exiſtente. Sublatis faſciis atque ligaturis, in extremitate cutis

[*t*] Eſſentia oculorum populi, ſi non maximum, tamen non infimum remedium eſt traumaticum, externe in vulneribus adhibendum: etenim ſi recipiuntur oculi populi vernali tempore, quando ſuccum reſinoſum fragrantiſſimum continent, & ſpiritu vini infunduntur ac digeruntur, impetratur eſſentia valde ſaturata & reſinoſa. Nam balſamum, in oculis populi contentum, re vera convenit cum balſamo peruviano, in colore, odore & ſapore. Hinc, vulneribus applicatum. ea mundificat, ſuppurationem atque exoptatiſſimam conſolidationem promovet.

[*u*] Tumor in partibus hiſce natus eſt à compreſſione vaſorum, facta à vinculo tortili; libere enim neque per venas ſanguis, neque lympha per vaſa lymphatica redire verſus cor ab extremis partibus potuerunt; hinc nata eſt liquidorum ſtagnatio, vaſorum repletio, atque partium molliorum extenſio.

[*v*] Motus digitorum & ipſius carpi ceſſabat, quoniam neque ſufficiens ſpirituum quantitas per nervos, neque ſanguinis per arterias neceſſaria abundantia ad partes fluere valebat. Ad motum, in partibus præſtandum, requiruntur oſſa, quæ ſunt vectes, muſculi & tendines, qui funiculos, vectes commoventes, repræſentant. Muſculi vero commoventur a vi quadam motrice duplici, ſanguine nempe, muſculos replente, & fluido nerveo, fibras nerveas inflante. Quod hæc bina fluida ad motum muſculorum præſtandum abſolute ſint neceſſaria, confirmant experimenta. Etenim, nervo ligato, abſciſſo vel vulnerato, perit motus, extinguitur quoque ad tempus, ſi arteria, ad muſculos tendens, vinculo conſtringitur, quo vero relaxato, priſtina motus potentia redintegratur.

Landesbibliothek Oldenburg

cutis una alterave macula nigra [x] in oculos incurrebat. Hæ maculæ ſeſe ſeparaverant, ideoque forfice eaſdem recidendas eſſe ſatius arbitrabamur. Hac reciſione feliciter peracta, linteamina carpta ex cavitatibus ſuaviter extrahebamus; chartam maſticatam interim, arteriæ ſuperimpoſitam, in loco ſuo, quem occupabat, immotam tenentes. Materia, in cavitatibus contenta, molliter itidem expreſſa, duas circiter uncias adæquabat. Quo facto, ſpiritus matricalis & aqua anhaltina cum eſſentia oculorum populi, elixirioque proprietatis ſine acido, cavitatibus infundebatur. Penicillo deinde, linimento ſuperius dicto, omnia abſtergebantur, linteaminaque carpta, eſſentia oculorum populi humectata, locis gangrænoſis applicabantur, charta maſticata denuo colophonio conſperſa. Splenia duo prima, ſpiritibus humectata, reliqua vero ſicca circumvolvebantur, brachiumque, prouti decebat, deligabatur. Priuſquam hæc fiebat deligatio, vinculum tortile firmabatur; ea vero peracta; rurſus aliquantum remittebatur; quantum ſcilicet nobis neceſſarium videbatur, ad impetum ſanguinis per arteriam vulneratam quodammodo coërcendum. Die Saturni, quo circa horam primam promeridianam rurſus faſcias & ligaturas liberabamus, charta maſticata, cum reliquo apparatu, motu proprio decidebat; totaque charta dicta materia quadam purulenta tecta erat [y]. Diſtincte, his remotis, locus conſpiciendus præbebatur, in quo arteriæ inciſio facta erat. Hoc non obſtante, chartam maſticatam, liquore ſtyptico dippeliano humectatam, colophonioque conſperſam, loco, in quo arteria inciſa fuerat, imponebamus, totumque vulnus ſpiritu, cujus aliquoties mentio facta fuit, & eſſentia oculorum populi eluebamus; potiſſimum, ut fœtor cadaveroſus, qui ex vulnere prodibat, depelleretur. In primis ea humectabamus loca, quæ notas aliquas indolis cadaveroſæ prodebant; carnem vero recentem, in vulnere conſpicuam, non æque

[x] Nigredo & ſphaceloſa corruptio in cute inevitabilis erat. Etenim ante operationem cutis hinc inde in vitalitate ſua erat deſtructa, perferre ex hac ratione poterat ſtudioſus noſter ſectiones ſine notabili dolore. Aſt cutis, à reliquis partibus tam enormiter ſeparata, nulla arte, nulloque remedio à corruptione defendi poterat.

[y] Hæc purulentæ materiæ præſentia indicabat inchoatam conſolidationem, novæque carnis proventum, & vulneris arteriæ clauſuram. In omni vulnere, majori in ſpecie, ante tertium diem nulla expectanda eſt ſanguinis à partibus ſeparatio, & purulentæ materiæ proventus; quando vero nova caro ſuccreſcit, tunc inſimul propullulat ex tubulis extremis purulenta materia, quæ vel de chylo participat, vel ſanguis in chylum reſolutus eſt. Corpus noſtrum humanum machina eſt, ex infinitis tubulis compoſita, in quibus conſtanter liquida moventur. In vulneribus horum tubulorum unitas diſſolvitur, ergo ex apertis tubulis ſanguis propullulat. Si conſolidatio fit, tubulis illis apertis novi annuli ſuperimponuntur, qui, quando ſe in duabus extremitatibus illis vulneratis, iterum de novo contingunt, tubulos diſſectos iterum uniunt, & ſic nova fit tubulorum connexio novuſque fluidorum motus, per tubulos hoſce, jam iterum in unum canalem conſolidatos. Et hæc operatio eſt effectus vitalitatis & opus principio vitæ unice tribuendum. Chirurgus per ſua remedia quidem hanc operationem non præſtat, ſed modo impedimenta declinat, quæ hancce novam tubulorum unionem & conſolidationem ſuffiaminare & impedire poſſunt.

Landesbibliothek Oldenburg

æque madefaciebamus. Postea omnia unguento illinebamus, integrum vulnus, aut potius ulcus, colophonio contuso conspergebamus, plumaceolis idem obtegebamus, duo splenia minora, spiritu matricali, & aqua anhaltina irrigata, superimponebamus, tandem majora applicabamus, & fascias ligaturasque leniter circumvoluevamus. Die 31. Decembris clyster, denuo adhibitus, paucis post horis effectum desideratum præstabat, siquidem, ex quo primus clyster applicatus fuerat, nullam alvi solutionem expertus fuerat patiens. Die primo anni millesimi septingentesimi tricesimi secundi omnis tumor brachii subsederat evanueratque, tum supra, tum infra vulnus, similiterque color totius brachii erat naturalis. Immo circa ipsum vulnus neque rubrum inflammatum, neque lividum gangræ̃nosum vestigium conspiciebatur. Durities tamen quædam, sed non admodum sensibilis, manus latitudinem adæquans, super carpum observabatur. Stylo in vulnus immisso, deprehendebatur, duritiem prædictam ad tres circiter digitos carpum versus procedere, & quidem intra corpora musculi sublimis atque profundi [z]. Quare mollem conficiebamus turundam, quam, unguento illitam, in cavitatem immittebamus; id quod etiam die secundo Januarii in deligatione fiebat, quo pus valde pulchrum, sanumque, & omni odore destitutum, admodum paucum tamen, in vulnere reperiebatur. Nos vulnus, ubi opus erat, essentia ōculorum populi eluebamus, illud unguento balsamico illinebamus, denuo chartam masticatam ea in regione, in qua arteria aperta fuerat, & quæ regio carne jam omnino vestita clausaque erat, collocabamus, & hoc quidem, ut eo cautius procederemus. Omnibus locis colophonium adspergebamus, vulnus plumaceolis contegebamus, unguento illitis, illudque spleniis admotis deligabamus. Neque enim ullum hactenus emplastrum imposuimus. Splenia singulis tribus horis calidis spiritibus irrorabantur, manus etiam & brachium superius illis illinebantur. Vesicæ, in manus vola hactenus existentes, hoc die plane sanatæ fuerunt. Unde quoque nil quicquam emplastri miraculosi ad earum sanationem à nobis amplius applicatum fuit. Patiens interim, constanter juribus, nec non parco cerevisiæ tenuis potu nutritus, medicamentisque præscriptis simul adhibitis, quieto fruebatur somno, quodammodo & esurire incipiebat, ac nullam molestiam amplius sentiebat. Equidem tribus ante diebus in condylo interno hume-

[z] Nulla fieri potest suppuratio, nisi præcesserit sanguinis stagnatio & extravasatio. Dum suppuratio à natura suscipitur, semper nova affluit materia sanguinis ex vulneratis vasculis, quæ quoque in pus convertitur. Expectare quidem debemus perfectam suppurationem, priusquam tumor suppuratus, vel cauterio, vel lanceola, ad pus educendum aperiatur; interim tamen, si quis apertionem retardat, plerumque sinus formantur. Nam purulenta materia, majus spatium affectans, tunicas, musculos, vel majores vel minores, immo fibrarum connexiones dissolvit. Quo major vero est tumor, eo major metuenda est hæc jam indicata solutio, & eo plures formantur sinus, qui curam & confolidationem retardant, chirurgumque necessitant, ad ejusmodi sinus aperiendos, novasque sectiones instituendas.

humeri, nec non ea in regione, in qua musculus anconeus deprehenditur, aliquos sentiebat dolores, qui nos sollicitos reddebant. Verebamur scilicet, ne, (quod non nunquam in hac operatione contingit,) ligamentum, articulos circumdans, quo sinus bathmides & processus sigmoideus involvuntur, aperiatur, & synovia effluat; qui casus alioquin multa molesta phænomena induit, & curationem difficilem efficit. *Deus* autem hoc etiam periculum clementer avertit, & ita per duorum mensium spatium studiosus noster, liberatus ab omni impotentia motus, convaluit.

FINIS.

QUÆSTIO

CXXXIX.

QUÆSTIO
MEDICO-CHIRURGICA,

Præside

M. JACOBO ALBERTO HAZON.

Resp.

FRANCISCO THIERRY

TULLENSIS.

Paris. 5 Febr. 1750.

An tutior faciliorque vulgari detur aneurysmatis Chirurgica curatio?

Landesbibliothek Oldenburg

CHIMIA

QUAESTIO

MEDICO-CHIRURGICA,

Praeside

M. IACOBO ALBERTO HAZIUS

AB

FRANCISCO THIERRY

TUBERNAISIS.

Ad tuendam Facultatis suffragia dabit exorsurus Chi-
rurgiae magister?

Die 3

I.

A Neuryſma Græcis, Latinis accurate redditum dilatatio, arteriæ fere ſolius morbus dicitur, de cujus natura & differentiis haud ita plane conſtat. Antiqui enim, Galenus, P. Ægineta, &c. obſcurius quam more ſuo morbum deſcribentes, ipſius eſſentiam & ſpecies in arteriæ anaſtomoſi & ruptura conſtituere videntur; recentiores vero dum aneuryſmatis duplex genus admittunt, legitimum unum quod ab arteriæ dilatatione ſola, ſpurium alterum quod ab ipſiuſmet apertura naſcitur: eas aneuryſmatum ſpecies pro legitimis ſæpe accipiunt, quæ tamen à ſola arteriæ apertura pendent. Opinionum itaque diverſitas, reique implicatiſſimæ momentum requirunt ut morbi cauſas, earúmque effectus diligentiori examine primo inquiramus. Cauſæ hæ recenſentur: externæ, contuſio, percuſſio, violenti corporis niſus, validæ membrorum diſtentiones, punctio aut aliud quodvis arteriæ vulnus, mercurialium frictionum uſus: internæ, pravus corporis habitus, ſanguinis tenuitas nimia vel acrimonia, ulcus, abſceſſus, tumor quicumque in arteriæ vicinia, horum plurium concurſus. In ſignis porro diverſitas occurrit à veteribus prætermiſſa fere, à noſtræ ætatis ſcriptoribus accuratius notata. Si tumor rotundus eſt, æqualis, elatior, ſenſim creſcens, in ſui principio digito parumper cedens, ſi color non mutatur, & dum adoleſcit vehementius pulſat; tunc aneuryſma ex ſola dilatatione arteriæ fieri credunt recentiores, legitimumque appellant. Sin e contrario tumor, magis durus eſt, depreſſior, ad cutim latior & inæqualis, minus pulſans, citiſſime increſcens, cum mutato colore, ſpurium. Utriuſque tamen unam & eandem cauſam ſæpius eſſe arteriæ rupturam veroſimilius eſt; cum, ſi arteriæ vulnus vel quæcumque alia ſolutio major ſit, cutis vero rima minor, vel nulla, adeoque ſanguis libere per eam effluere non poſſit ea quantitate, qua ex ipſamet arteria effunditur; cellularis ſubſtantia quæ, ubique in corpore præſens, arteriis copioſior circumjacet, cruore brevi repleta diſtendetur, naſcenturque ſymptomata ſpurii, ſic dicti, aneuryſmatis propria: quod ſi vero, iiſdem poſitis ex parte cutis, arteriæ apertura minima ſit, præcipue autem ſi dura aponeuroſi capſulave, ut in brachii flexura obſervare eſt, arteria coerceatur; tunc ſanguis guttatim ex arteria effluens, itinere intercluſus, ſtatim coagulabitur, & inſita indole grumum efficiet, qui brevi ſolidus factus, arteriæ adhærens, novo ſanguine continenter accedente, ſenſim augebitur: inde tumor ſtatim mollis, lente creſcens, pulſans, deinde polypoſus, arteriæ celluloſa tunica vel alia vicina per tempus calleſcente craſſiorique reddita, indutus, & ideo procedente tempore, minus pulſans, formabitur: quem proinde ex ſignis legitimum quaſi aneuryſma omnes accipient. Propoſitæ aneuryſmatum formationi præter phænomena favet partium fabrica. Si enim cauſarum efficacia

tunicæ tantum arteriæ exteriores, quæ cellulares sunt, lædantur; alteram quæ muscularis aut tendinea est, omnium robustissimam, dilatatum & expansum iri credere absonum est: hanc si porro etiam lædi supponas, tertia intima quæ debilis est, impetui sanguinis sola sustinendo multo impar brevi dissiliet: quod si vero intimam dumtaxat lædi statuatur, distractis alterius tunicæ fibris muscularibus, verosimilius liquidum vitale in cellulosum tenue textum, quo illæ inter se vinciuntur sese insinuans, ad cellulosas exteriores usque [a] exudabit. Hæc præterea confirmant sectiones, quæ arterias si aliquando dilatatas, easdem simul dilaceratas exhibent, sæpius tantummodo ruptas. His addendum facilem, hac in re, fuisse errori locum: quippe factitias, vel cellulares quascumque membranas densas, duras, sanguine concreto fluidove distentas, pro veris arteriæ tunicis promptum erat accipere; cum tamen diligentiori examine mediis his in cellulosis, arteria sauciata, non dilatata reperiatur. His ergo adducimur rationibus ad credendum 1°. Aneurysma ex arteriæ integræ sola dilatatione ortum rarius [b] esse. 2°. Si accidit, illud potissimum in partibus interioribus, posito sanguini arterioso obice, produci; vix fere unquam unum arteriæ locum, sed totum simul truncum dilatari, ut in aorta, corde etiam aliquando observatum est. 3°. Aneurysma ex prægressa venæ sectione ortum ab arteriæ apertura perpetuo pendere. Cæterum aneurysma ubicumque fieri posse, cum arteriæ ubique sint, manifestum est: at in brachio frequentius reddunt celebratæ ibi in basilica præsertim venæ sectiones. Morbum autem gravissimum esse indicant partis affectæ necessarius usus, sanguinis diffusio in vicinas partes jam facta, aut levi de causa pertimescenda, earum major ac major in dies compressio, pernicioſa, quam ipse sanguis effusus concipit labes iisdem communicata, curationis tandem periculum. Prognosis autem in genere varia est pro tumoris loco, diuturnitate ac magnitudine, arteriæ læsæ diametro, distantia à corde. Porro in curatione chirurgorum vulgus peccat, dum eandem methodum diversis in casibus adhibent, vel minus tutam eligunt, legemque religiose observant, contra quam tamen agere sæpius utile est.

II.

Quæ interius latent aneurysmata, vix aliam curationem admittunt quam *palliativam*; sanguinis quantitatem & impetum minuendo diæta, corporis quiete, commotionum præsertim nervorum sedula vitatione, imperio quorum late subjicitur vasculosum systema. Externo vero duplex curandi modus est: nimirum vel apta compressio & deligatio spleniis, fasciis, variis machinamentis, vel scalpellum. Priori modo aneurysma, quod legitimum credunt, curare primo tentant chirurgi, qui si non feliciter cesserit, ultimum

[a] Rufus apud Aëtium Tetr. IV. Serm. II. cap. 51.
[b] Freind. Hist. Medic. Artic. de P. Ægin. Monro. Act. Edimb. Tom. II. Artic. 16

timum auxilium in operatione supereſſe exiſtimant; arteriam itaque ligant, moxque ipſam plerumque incidunt. Audaciſſimam hanc chirurgiam, abſque partium inferiorum necroſi ſubſequente, ſæpius permittunt vaſa lateralia, quæ ubique, præſertim in brachio [c], haud conſtanti tamen numero & ſitu, fere ſemper adſunt. Spurium autem aneuryſma, ſui initio, ſtatim ſcalpellum expoſcere omnes ultro fatentur. Quare, torculari immiſſo, tegumentis, pro re nata, magis minuſve inciſis, cruor materiaque omnis aggeſta eximitur: quibus peractis torcular pauliſper relaxatur, ut ſanguis prorumpens arteriæ vulnus oſtendat: tum, conſtricto rurſus torculari, qui arteriæ ligaturam renuunt, fruſtum unum aut alterum chartæ maſticatæ arteriæ foramini imponunt, vel penicillum aqua ſtyptica imbutum; multis deinde aliis gradatim ita diſpoſitis, ut pyramidis apex in arteriæ vulnus ſpectet, totum ſuperius membrum, præcipue autem arteriæ læſæ locum debitis faſciis deligant. Longe plures vero hanc curandi rationem aſpernantes in ſpurio, non ſecus ac in eo quod legitimum putant, arteriam lino vinciunt. De reliquo ſuus cuique operandi modus eſt. Sunt qui ligata ſuperiori arteriæ parte, inferiorem quoque ad aliquod intervallum vinciunt, quod inutile alii, imo pernicioſum exiſtimant. Nonnulli duobus in locis injectis vinculis, medium quidquid interjacet, ſcalpello amputant, quæ operandi ratio Purmanno debetur. Alia eſt, quæ Anellum auctorem habet: ligata in parte ſuperiori tantum arteria, ea quæ in tumore continentur exprimere tentant, intactus autem ille relinquitur. Cæterum præſcribunt omnes nervum ab arteria, ſumma adhibita cautione, ſeparandum, ne ſimul cum arteria vinciatur. Quas vero methodos & leges quouſque ſequi conducat, variiſque circumſtantiis ſi definiveris, aneuryſmatis chirurgiam tutiorem longe reddes & faciliorem.

III.

Jam vero, cum externum aneuryſma ex arteriæ ſimplici dilatatione rariſſime occurrat, in brachio autem ex prægreſſa venæ ſectione perpetuo (Sect. I.) ab arteriæ apertura oriatur, certiores inde deducuntur indicationes. Unicus quippe curationis ſcopus eſt, ut arteriæ perforatæ vulnus conglutinetur. Si quæ porro in ſanando venit diverſitas, ea effectum cauſæ, non cauſam ipſam reſpicit. Effectus autem, ut ſupra propoſuimus, duplex eſt: nimirum ſanguinis immodica profuſio, vel grumus arteriæ adhærens, qui lente creſcit. Si in primo caſu, liquidum arterioſum per cellularem ſubſtantiam, quæcumque interſtitia replentem, tanta copia fuerit effuſum, ut illud ſponte vel fomentis reſolvi poſſe non ſperemus; ante omnia, debita inciſione, cruor omnis tollendus, cum in omni vulnere heterogeneum quodvis primo eximendum ſit. His peractis vulnus ut in altero

[c] Monro ibid. Art. 17. Car. Guattani Hiſtor. Aneuryſm. Fig. 1, 2, 3.

altero casu, simplex est, & in utroque, indicationibus causæ jam satisfaciendum. Hæc autem postulat factum grumum indurescere nec augeri, dum cicatrix inducetur, vel hujus loco cellulares adscitiasve membranas ita callescere densarique, ut unum & idem corpus cum arteria efforment. Omnia assequemur debita ac constanti compressione, cujus beneficio simul laterales rami sensim, non uno impetu dilatantur. Machinamenta porro compressioni dicata, id incommodi habent, quod laminis vel globulis, ampliori superficie vasa fere omnia, æqualiter comprimant, quo omnino vacat machina cujus quamdam adumbrationem apud Scultetum [*d*] reperire est, à perito medico Lugdunensi [*e*] melior postea simpliciorque reddita, quæ sic se habet. Circulus ferreus argenteusve, multo amplioris diametri quam brachium cui inducitur, partem habet in circumferentia latiorem qua cubitus excipiatur, e regione cujus perforatur, ut cochlea e simili metallo, per receptaculum striatum deorsum producta, in apicem obtusum desinens arteriam solam, penicillis interjectis, minimo puncto comprimat. Quod si vero aneurysmaticus tumor neglectus, aut prava medendi methodo magis increvit, antiquior & durior est, si dolor urget, vel etiam si tumoris membranarum & cutis tenuitas nimia est, quam ut tumor externa compressione curari possit, exscindendus erit; nec quidem tardius, cum malo in dies crescente rami laterales haud pauci pessime affici possint, quibus tamen vitæ membri spes sola committitur, si forte trunco ligatura adhibenda erit. Scalpello itaque instructus chirurgus, probe monitus cruore vel cellularibus adscitiis, non autem à propriis arteriæ dilatatis membranis tumorem efformari, illum audacter incidet, arteriamque his sublatentem quantum fieri poterit, reteget; diligenter explorans, quæ, quanta, ubi, qualis arteriæ ruptura, vel incisio sit? num aliud vitium? qui vasorum lateralium situs, numerus? ut his perspectis certior eligatur medendi methodus. Si quidem arteriæ vulnus minimum, si nulla alia prava affectio est; vel si truncus principalis, ut arteria brachialis, læditur; aut si rami laterales infra arteriæ vitium præcipui inde enascuntur; ligatura periculi plena est: torcularis igitur relicti ope & spleniorum (Sect. II.) postea vero machinæ superius descriptæ subsidio, compressionis via tentabitur. Sin e contrario arteriæ apertura major est, nec in uno loco, si ex diuturnitate temporis longe immutata ipsius fabrica; vel si trunci loco, ramus tantum, ut Radiæa Cubitalisve, læsus est; profecto ligatura præstat. Hoc autem in casu, quæ methodus potior sit, paucis disquiremus. Arteriam loco superiori fortiter vincire plerumque satis est & melius; cum in duplici vinctura chirurgia fit operosior, plaga & cicatrix longe major, & inde rigoris cubiti aliquod subsequatur periculum. Est tamen ubi parti quoque inferiori, imo longe plures aliæ vincturæ injici debeant;

[*d*] Armamentar. Chirurgic. Tab. XVIII. fig. 4.
[*e*] D°. Vallant.

debeant ; quando ſcilicet rami laterales prope arteriæ aperturam inſeruntur ſanguinemque fundunt : quod quidem dumtaxat ex laxato torculari edocebimur ; cum in his lex perpetua eſſe non poſſit. Purmanni methodum requirunt aneuryſma ingens, durum, arteriæ membranarum graviſſimum vitium, cæteroqui haud adhibendam. Anellam e contrario commendant tum chirurgia expeditior, futura cicatrix longe minor, tum ex parte lateralium vaſorum major ſecuritas : in uſum itaque advocanda cum tumor parvus eſt, ſic conſtitutus, ut hiantibus adhuc arteriæ membranis intimioribus, cellulares externæ jam conſolidatæ ſint : in aliis vero minus tutam cenſemus vel etiam inutilem. De vinculo autem perpetuum præceptum eſt, illud loco ſupra vulnus proximo injiciendum eſſe ; cum inde plurium lateralium vaſorum integritati proſpiciatur.

IV.

Præterea, ſi dum aneuryſmati operatur chirurgus, in ſeparando ab arteria nervo, eaque ſola vincienda major difficultas occurrat, utrumque ſimul colligi & ligari poſſe abſque gravioribus ſymptomatibus, experimenta demonſtrant. Canibus adultis, variæ ætatis, ſexus & magnitudinis, cruris arteriam cum nervo adjacente, tum ſupra, tum infra, aliquo relicto intervallo ligavimus : nec paralyſes, nec convulſiones, aliave hujuſce generis ſuperveniebant, ſed peracta operatione tranquilli erant, ſenſu, calore, motu, niſi hunc ultimum vulnus & faſciæ ſtatim impedirent, nihilo fere magis immutatis : quod quidem in cruribus tam anticis quam poſticis ad eorum cum trunco articulos eodem ſucceſſu non ſemel tentavimus ; eo tantum obſervato diſcrimine, quod crure poſtico, quaſi non vulneratum fuiſſet, paucis poſt horis libere ſatis uterentur, antico autem difficilius, niſi poſt inductam cicatricem. Sectis deinde canibus, locis quibus vincturæ injectæ fuerant, nervum durum, denſum, in olivarem figuram maxime ampliatum, tum ex membranarum parte, ſed interioris potiſſimum ſubſtantiæ, reperimus (ganglia dixiſſes) : variæ autem magnitudinis pro nervi haud dubio craſſitudine, pro vinculorum intervallo, temporiſque ſpatio, quod à vinctura ad ſectionem uſque intercederet. Haud infeliciori eventu rem in hominibus ceſſiſſe [f] fideles docent hiſtoriæ. Ex tribus varii habitus ætatiſque viris, quibus cum brachii aneuryſma curaretur, nervi ſtrictiſſime abſque ſplenio ullo cum arteria ligati ſunt, nullus alia ſymptomata paſſus eſt, quam quæ operationi vulgo ſuperveniunt ; imo trium uni membrum læſum poſtea robuſtius acceſſit. Fatendum tamen, quo tempore nervus conſtringebatur, doloris vim majorem homines perſenſiſſe,

[f] Bononienſ. Scient. Inſtit. Comment. T. II. part. I. 1745. p. 178. Molinell. ibid. T. II. part. II. 1746. p. 67.

motum & ſenſum magis fuiſſe imminutos. At hæc brevi evaneſcebant; & ita ad ſanitatem perducti ſunt, ut neque celerius, neque melius non ligato nervo perduci potuiſſe viderentur. Quid porro nervis, ſi in hominibus vinciantur, accidat, illud conjicere licet ex viri chirurgi poſt mortem ſectione, qui triginta ante annos aneuryſmate laborans à Valſalva curatus fuerat, adeo feliciter, ut quo læſus fuerat brachio, in ſecanda vena, aliiſque operationibus adminiſtrandis perinde uteretur, ac ſi integerrimum antea ſemper habuiſſet. Loco nempe arteriæ venæque brachialis, quæ per tractum non brevem deficiebant, nervus (veroſimilius in operatione ligatus) inſignem craſſitudinem contraxiſſe viſus eſt, ex tereti in ſphæroïdem mutatus, ganglio ſimilis, qui diſſectus fibras longas exhibebat, cum aliis reliqui nervi continuatas, ſed ibi à ſe invicem disjunctas, interſtitiis [g] ſubſtantia quadam celluloſa repletis. Cæterum nervi mediani, qui in homine ligatus eſt in operatione aneuryſmatis, ad alios ex flexura cubiti in reliquum membrum inferius proſpicientes, ratio videtur eſſe ad minimum ut 1. ad 3. In canis antico pede nervorum ligatorum ad non ligatos ratio fere ſimilis apparuit, in poſtico autem longe minor.

V.

Fruſtra objiceres, allata ſuperius experimenta multis aliis poſſe oppugnari; ea etenim, quæ de ſenſu motuve pereuntibus, paſſim obſervata ſunt; hæc vel plane diſciſſum nervum, vel admodum mollem, vel ligatum moxque reſtitutum unicum nervum, qui parti proſpicit, reſpiciunt: in noſtro vero caſu, quid membris, cum nervus durior, qui non unicus ſit diutius ligatur, ſuperveniat, tantummodo definitur. Præterea forſan objicient, nervum, ſi cum arteria ligetur, molliori vinculo ſtringendum eſſe, ne principium motus intercipiatur; adeoque facilem quidem magis operationem; at ex altera parte minus tutam fore, cum ex ligata molliter arteria effuſionis ſanguinis proximum ſit periculum. Verum hoc argumentum facile dilui apparebit, dum obſervetur, ex ligato ſtrictiſſime abſque arteria ſolo nervo, eadem quæ ſupra attulimus eveniſſe, niſi quod in ſectione varia quædam occurrerint. Nervus ſcilicet 12 dierum ſpatio eam magnitudinem adeptus fuerat ut pollicem æquaret, majorem ea quæ in ſimili nervo cum arteria ligato, multo longiori tempore obſervata fuerat: præterea fibræ nerveæ magis conſpicuæ, ſinuatæ apparebant, ſubſtantia inter eas interjecta, quæ modo cellularis, vel glanduloſa, modo medulloſa videbatur. Porro ſi vincto uno nervo motum ſenſumque partibus inferioribus nihilominus ſupereſſe cogites, propterea quod à vicinis nervis, utpote dilatatis, uter-

[g] Molinelli, ibid. Tab. I. fig. 1, 3.

uterque ſuppleatur ad inſtar mechanices arteriarum ; id credere vetabunt tum fibrarum nervearum à cerebro ad partes ſine diviſione in ramos progreſſio , tum autopſia , quæ nervum ipſummet qui vinctus eſt , dilatatum , vicinos vero in ſtatu naturali exhibet. An dilatatio nervi ut gangliorum conformationem æmulatur , ſic etiam officio perfungitur ? An non potius ganglia hæc arte facta ſimilis in naturalibus originis ſuſpiciones moverent : adeoque ut illa mechanica neceſſitate ad libitum formata , nullum ex natura inſtitutum uſum arguunt , ſic & horum aſſignatæ functiones [*b*] mere fictitiæ viderentur ? Quippe nullibi ganglia ſunt, niſi ubi corporis ſolidioris preſſioni , nervi exponuntur , ut intercoſtales , vertebrales aliique gangliis inſtructi edocent. Id unum inconcuſſum maneat , nervos duros , muſculos adeuntes , ligari poſſe illæſis functionibus , dum ratio vincti nervi ad alios non major ſit quam 1. ad 3. Inde ergo aneuryſmatis multæque chirurgicæ aliæ operationes citius , facilius inſtitui poſſunt. Inde etiam aneuryſmati curando major accedit ſecuritas , cum rami laterales nerveæque partes minus cultro exponantur. Hinc cum multis difficile videatur [*i*] abſque punctionis nervi periculo arteriam à nervo ſeparatam lino vincire , & aliunde ligandi nervi vana formidine terreantur , aneuryſmatico ſacco aperto , arteriæ inciſæ orificio ſuperiori glebam ex vitriolo objicere ſatis habent : qua ſane methodo , ſi nos audiant , deinceps abſtinebunt , ut pote [*k*] infidiſſima. Ligata porro in cane ſalvo membro crurum (Sect. IV.) arteria audaciores nos jubet eſſe ad tentandam aneuryſmatis in femorum hominis arteria curationem , ſervandumque membrum ; trunco enim haud pauci adſunt rami laterales , quorum unum minimum , maxime dilatatum brachio vitam ſervaſſe ſectio [*l*] edocuit. Quod tamen obiter indicaſſe ſatis fuerit , cum ex præmiſſis hanc tantum nobis liceat deducere concluſionem.

Ergo tutior faciliorque , vulgari , datur aneuryſmatis chirurgica curatio.

[*b*] Lancif. de Gangliis nervor.
[*i*] Platner. Inſtit. Chirurg. N°. 344.
[*k*] Aëtius ibid.
[*l*] Molinell. ibid. Tab. II. fig. 2.

FINIS.

Landesbibliothek Oldenburg



DE

Landesbibliothek Oldenburg

CXL.

DE

NOVA BRACHIUM AMPUTANDI RATIONE

DISPUTATIO.

Præside

EL. FRID. HEISTER,

Respondit

RUDOLPH. HENR. ZEIDLER

VERDENSIS.

Helmstad. 21 Mart. 1739.

Landesbibliothek Oldenburg

PRÆFATIO.

ARtem ſalutarem maxima capere incrementa, ſolerti & accurata obſervationum, commemoratione dignarum, annotatione atque deſcriptione, unanimi profecto præſtantiſſimorum medicorum conſenſu aſſeverare licet. Ipſe hujus ævi rationalis medicinæ ſtator & coryphæus, illuſtr. Frider. Hoffmannus, *Halenſis, affirmare non dubitavit*, quod ad progreſſum artis noſtræ augendum potiores partes obſervationes, quam ratiocinia ſibi vindicent. [a] *Et rerum geſtarum annales docent, quod, ſpretis morborum hiſtoriis & experientiis luxuriantia ingenia hypotheſes, opiniones, imo monſtra opinionum ſibi finxerint, quæ non ſolum plerumque vana, abſona & a vero quam alieniſſima erant, verum etiam ita ſæpe comparata, ut non niſi in exitium generis humani ad ipſum artis exercitium applicari potuerint* [b]. *Quam ob rationem vitæ & ſanitatis antiſtites nihil melius, nihil præſtabilius agere queunt, quam ſi ſumma cura, atque induſtria notant, quandonam ipſis in medicina facienda morbi antea non viſi, aut prætervisi obveniunt; aut ſi novas, nec ante auditas, curandi rationes vel ipſimet excogitarunt, vel ab aliis inventas ac nondum cum publico communicatas ſciunt: nam experientia medicina crevit, atque experientia ſemper ad majorem perfectionem progredi debet. Quæ cum ita ſint, me oleum operamque perditurum haud eſſe credidi, ſi in præſentiarum ſingularem & notatu digniſſimam brachii, per ignem deſtructi, hiſtoriam, novamque, nec ante ab alio, quantum ſcio, adhibitam illud reſecandi rationem in muliere quadam, anno ſuperiori optato cum ſucceſſu adminiſtratam, litteris mandarem. In animo quidem mihi erat hanc hiſtoriam atque diſſertationem, jam ante aliquot menſes, litteris conſignatam, mox etiam typis tradere atque evulgare; verum & iter aliquod inopinatum & hoc mox inſequens gravis ac diuturnus morbus in cauſſa fuerunt, quod id citius efficere non potuerim. Interea autem Deo T. O. M. humillimas perſolvo gratias, quod nonſolum in hoc argumento pertexendo, ſuo favore & gratia mihi adeſſe, verum etiam ab atroci illo morbo me rurſum liberare quam clementiſſime voluerit.*

I.

[a] Vid. Medicinæ ejus rationalis ſyſtematicæ Tom. II. prolegom. cap. 1. §. 5.

[b] Hoc copioſe & ſolide demonſtratum eſt à Parente, ſempiterna pietate venerando, in oratione *de hypotheſium medicarum fallacia & pernicie*, dicta anno 1710. quum anatomes & chirurgiæ profeſſionem in Academia Altorfina ſuſciperet.

Landesbibliothek Oldenburg

I.

Quum de nova quadam brachium amputandi methodo differere animum induximus, definiendum nobis est, *quid per amputationem* generatim intelligatur. Intelligitur autem hoc vocabulo illa actio, qua membrum quoddam, extremitas seu artus aliquis corruptus, sive destructus ad vitam ægri servandam à corpore dextra chirurgi aufertur.

II.

Extremitates autem sive artus corporis in medicorum scholis dicuntur illæ partes, quæ e trunco exporrectæ, ossibus, musculis, arteriis, venis, nervis &c. constant, ligamentis nectuntur, adipe involvuntur, cute teguntur: suntque vel superiores vel inferiores. Superiores humerus sive brachium, cubitus, manus ac digiti conflant, & uno vocabulo *brachia* appellantur; inferiores autem, qui *pedes* dicuntur, femur, crus, pes extremus, cum suis digitis, constituunt.

III.

Inter omnes, quæ à chirurgo administrari solent curationes, hæc dubio procul *maxime terribilis existit*, qua integra membra extirpantur. Interim sæpe sæpius casus incidunt, ubi suscipienda est, nisi ægrum tandem certæ atque miserrimæ morti tradere velimus. Præcipua noxarum genera, quæ sævam hanc curandi rationem depoſcunt, sunt (1) *sphacelus* gravior, cutem, adipem, musculos cum vasis sanguinem spirituſque vehentibus ad os usque destruens; (2) *caries* nulli cedens medelæ; (3) *spina ventosa* insanabilis, qualis potissimum esse solet ea, quæ ipsos ossium articulos occupat; (4) *collisio vehemens*, partes molles contundens, ossaque simul confringens; (5) *arteria brachialis*, quando unicus tantum ramus præsens est, aut cruralis percussa, si sanguinis fluxus aliter cohiberi nequeat; (6) *combustio*, quæ membrum aliquod ad os usque concremat, destruit & enecat.

IV.

Artuum majorum, ut cruris, femoris aut brachii amputatio, de qua nobis hic loci potissimum sermo est, *longe majori olim cum vitæ periculo, quam hodie perficiebatur*; dum veteres præstantissima sanguinis profluvium cohibendi artificia ignorabant. Etenim, dissectis scalpello partibus mollibus, os serra, vel, quod in manu & pede extremo fieri solebat, scalpro

sive

sive cuneo quandoque amputabant [c], & dein enormem, nunquam non contingentem, profusionem sanguinis unice medicamento adstringente, aut igne seu ferro candente, linamentis, splenüs, fungo, bovista dicto, & fasciis sedare tentabant.

V.

Hæc autem remedia sæpius ad sanguinem ex majoribus arteriis, præsertim in brachio vel femore prosilientem, cohibendum, haud raro tam parum valebant, ut ægri operationi subjecti cum cruore ipsam animam sæpe effunderent. Quapropter *Paræus*, chirurgus manu & ingenio præstantissimus, per eximium & nunquam satis laudandum excogitavit artificium, post peractam operationem arterias majores volsella comprehendendi filoque constringendi, utpote quo omnium tutissime latici vitali, effluxum molienti, via præcluditur, ægro vires conservantur, isque postea plerumque feliciter sanatur.

VI.

Quum vero per illud temporis spatium, quo consueta olim methodo per serram membrum auferri solebat, enormis semper, præsertim in femore & brachio, ubi prægrandes sunt arteriæ, imo interdum lethalis sanguinis profusio contingeret; *Botallus*, Henrici III, Regis Galliarum Medicus, machinam aliquam excogitavit atque adhiberi docuit, cujus ope simultaneo ictu, momento temporis, & ictu quasi oculi, membri corrupti carnes una cum ossibus amputarentur. Fabricam ejus Cl. *Hornius* ita describit [d]. „ Fiant duæ columnæ ligneæ ponderoso cippo in„ fixæ, & utrinque per longitudinem interius sulcatæ. In inferna parte „ cippi infixus sit firmiter latus culter, acie sua sursum spectans & alte„ rius cultri per sulcum mobilis, aciem sibi oppositam habens. Ubi de„ truncandum est membrum, superior ille culter, plumbo oneratus, e „ superiore parte descendit, (*vel potius cum impetu prolabitur*) aut malleo „ gravi adactus carnem simul cum osse dissecat. Atque hunc modum ad„ modum indolentem atque expeditum esse, testari *Jo. Regium*. Hactenus „ *Hornius*". Sed quamlibet hæc machina satis ingeniose excogitata fuerit; attamen ejus usus parum in consuetudinem venit, atque minime commendandus mihi videtur. Fieri enim aliter vix potest, quam ut instrumento istoc, vi in membrum adacto, ossa subjecta, præsertim dum ea cava

[c] Sicut in figuris apud *Scultetum* in Armament. chirurgico videre licet, Tab. mihi LIII.

[d] In Microtechne §. 17. & ab ipso *Botallo* in oper. ab *Hornio* 1660 Lugd. Batav. editis pag. 790.

cava sunt, non ad perpendiculum semper & æqualiter discindantur sive perfringantur, sed inæquali modo in frusta fortuita atque irregularia, quemadmodum apud laniones & in culina, dum ossa securi diffringere volunt, videmus, dissiliant, & hoc ipso novæ fracturæ aut fissuræ, fistulæque insanabiles facile suboriantur. Quam ob caussam tantum abfuit, ut prudentes medici aut chirurgi hanc artus amputandi rationem suo approbaverint calculo, ut illam potius omni dissuadere conatu operam dederint. Vid. *Hildani* lib. de sphacelo, *Schelhammeri* Oncologia p. 171. *Hilscheri* disp. de artuum amputatione rite administranda, Jenæ 1718. 4. edita; aliique.

VII.

Longe felicior hac in re fuit *Morellus*, chirurgus quoqûe Gallus, qui secundum variorum sententiam celebratum illud instrumentum, torcular, Gallis *tourniquet* dictum, divinum sane remedium & sacram sauciatorum anchoram, fausto sidere adinvenit [*e*]; cujus adjumento truncus arteriæ brachialis vel cruralis peculiari ratione tamdiu comprimitur, donec membrum resectum & arteriæ majores, methodo *Paræi*, ope ligaturæ, vel alia ratione constrictæ, membrumque truncatum rite deligatum est [*f*]. Atque hac demum ratione artuum amputatio ad hunc perfectionis gradum evecta fuit, ut illa hodie multo minori cum discrimine, quam pristinis temporibus possit administrari: dum haud raro ne uncia quidem sanguinis unica in operatione deperditur, adeoque vires ægrorum egregie conservantur, atque hoc ipso curatio multum promovetur.

VIII.

Dum vero de brachii amputatione potissimum nobis sermo erit, nolumus jam prolixius hic recensere, *quas diversas amputandi rationes chirurgi in pedibus adhibuerunt:* cumprimis hic agere possem de ea, quam omnium plenissime Petrus Adrianus *Verduinius*, chirurgus quondam expertissimus Amstelodamensis, peculiari libello, anno 1697. diversis linguis descripsit & cujus inventionem nonnulli *Joungio*, aut *Lowdhamo*, Anglis, alii chirurgo Genevensi, *Saburino* vindicare volunt [*g*]. Sed prolixitatis nimiæ hic vitandæ caussa, nunc solum breviter proponam, *qua ratione brachii corrupti amputatio* hodie *à prudentioribus chirurgis* perfici soleat. Uti vero in omni operatione, ita etiam in hac, tria cumprimis sunt observanda. Nimirum (1) quid ante, (2) in, & (3) post operationem fieri opor-

[*e*] Vid. Lib. gallic. Anonymi titulo *L'art de saigner* cap. 20. p. 322.

[*f*] Variæ torcularis ejusmodi species, & quidem variæ multum præ antiquis emendatæ videri possunt in chirurgia Parentis, præsertim latina, Tab. III. V. VI. & XIV.

[*g*] Vid. Parentis Chir. latina Part. II. cap. 35. ubi de pedum amputatione.

oporteat. *Priusquam ergo ipsa operatio instituitur*, observandum est, an vires ægri adhuc sufficiant ad operationem hanc perferendam, eisque adhuc præsentibus, curandum est, ut apparatus huic negotio perficiendo necessarius probe adornetur; administri seligantur idonei, pro ægro potissimum & brachio probe sustentando, iidemque ad sua munia rite exequenda admoneantur; ægrotans haustu vini vel aquæ cinamomi, vel alio medicamento confortante excitetur, & in sella quadam humiliori medius in conclavi collocetur. Tunc torcular ægro brachio, quodcumque optime placuerit, injiciendum, eoque arteria brachialis usque adeo blande comprimenda, donec nulla amplius ejus infra torcular, & imprimis circa carpum pulsatio sentiri potest. Dein extenso & à ministris firmato rite brachio, retractaque probe cute, funiculus planus lineus, digitum transversum latus, dimidiam fere ulnam parisinam longus, statim supra illam partem, in quam ferrum immitti debet, circumducendus atque acicula affigendus, eoque caro firmanda, ne cedere scalpello possit.

IX.

Quo facto, *chirurgus medium inter ægroti pedes locum occupans* [*h*], in loco brachii designato scalpello minori, per sectionem annularem, *summam cutem dividit*; dein retracta magis cute, vel eodem scalpello, vel alio majori, incurvo, carnem omnem ad os usque dissecat; tunc periostio supra osse gnaviter inciso & raso, linteum dimidiam ulnam sive tres spithamas longum & sex digitos latum, juxta longitudinem ad dimidium fissum in plagam convenienti ratione injicit, eoque carnem partis superioris per administrum, qui a tergo ægri stat, retrahere jubet, ut os altius rescindi, hocque postea facilius carne contegi, atque glutinatio eo ipso promoveri queat: tandem serram ossi admovet, eaque prudenter hinc inde mota membrum corruptum aufert.

X.

His peractis præcipua chirurgi cura in eo versatur, *ut sanguinis ex arteriis profluvium cohibeat*, & reliquo brachii trunco apta deligatione prospiciat. Prius olim medicamentis adstringentibus, vel ferro candente potissimum tentabatur. Hodie vero ab istiusmodi remediis prudentiores, in humeri præsertim & femoris amputatione, abstinere jubent; dum illa ægro parmit nimis horrenda & crudelia existunt, partim minus secura & certa ob-

 servata

[*i*] *Garengeot* contra sententiam plerorumque scriptorum chirurgicorum præcipit, in operat. chirurg. T. III. cap. de cubiti & humeri amputatione, chirurgum in hac operatione in latere brachii externo stare debere. Sed quum nullam hujus mutationis rationem afferat, præstare puto, antiquum & receptum modum retinere; quia sæpissime sic feliciter peracta est, mihique illo longe commodior & aptior videtur.

Landesbibliothek Oldenburg

servata sunt. Haud raro enim contigit, ut crusta, his medelis arteriis inducta, post aliquot dies ex improviso resoluta, nova iterum eademque feralis *hæmorrhagia* suborta fuerit. Præstat itaque hoc neglecto excogitatum ab ingenioso *Paræo* artificium præcisas vinciendi arterias adhibere; quod variis quidem modis, plerumque tamen hodie ita solet peragi. Relaxatur paululum torcular, & confestim sanguis cum impetu prosiliens majorum oscula arteriarum manifestat. Quandoque unicum tantum, interdum duo aut tria se offerunt, in quibus vinctura fili ope necessaria est. His conspectis & notatis imperandum mox est, ut torcular iterum, quantum satis est, constringatur. Tunc maxima illarum, quæ nunquam non in interiori brachii latere sita est, volsella blande comprehendatur, & filo robusto circumjecto deligetur. Post modum, si majores adhuc rami præsentes sunt, illos pari ratione prehendere & vincire oportet. Firmius adhuc vinciri arteriam nonnulli autumant, si per eandem, forcipe protractam, filum acus minoris auxilio transmittitur, & ea tunc demum hoc filo deligatur. Sunt quidam, qui acu curva paulo majori filum ceratum & robustum per juxta positam carnem duplici punctura utrinque sic trajiciunt, ut arteria in medio collocata una cum insigni carnis juxta positæ portione constringatur: quam ultimam methodum plerique recentiorum non sine ratione præ ceteris commendant, dum hoc ipso præcavetur, ne arteria constringenda filo proxime circumjecto facile disrumpatur.

XI.

Reliquum deligationis negotium ita perficitur: os cum carne vel linamentis carptis siccis eisque multis, vel alcohole vini, aut oleo terebinthinæ calido imbutis contegitur. Super linamentis his injicitur amplum aliquod fungi illius, crepitus lupi aut bovistæ dicti, frustum, huic supradatur emplastrum figura crucis melitensis, accurate membro mutilato circumducendum ac deinde splenium magnum, crucis quoque melitensis similitudinem habens, tandem splenium quadratum, crassum; denique tria splenia longa, angusta, in forma stellæ supra truncum disposita, *splenia stellata* inde dicta, quæ omnia tandem fascia idonea rite firmantur. conf. Parentis institutiones chirurgicæ T. II. c. 34.

XII.

Novam nec ante auditam *brachii in ipsa humeri cum scapula junctura amputationem Dranius*, chirurgus Parisiensis Celeb. primus instituisse videtur [*k*], quæ operatio unice tunc adhibenda est, quando suprema humeri pars seu caput ejus, uti in scholis vocatur, vel externa violentia vel

[*k*] Conf. ejus observ. 43. p. 315. & Parentis chirurgia P. II. c. 37.

vel interno morbo deſtructum atque corruptum eſt. Peragi autem ſequentem in modum ſolet. Acus quædam magna, eademque curva, qualem fere fig. III. tabulæ noſtræ æneæ exhibet, funiculum ſive filum lineum, robuſtum, e ſex vel octo filis compoſitum & ceratum ducens, in interiori humeri latere, binos circiter digitos infra axillæ ſinum, inter os humeri & arteriam brachialem, per cutem & carnem pertunditur, & arteria cum carne circumpoſita ope funiculi tranſmiſſi conſtringitur, tam arcte, ut ſub ligatura omnis pulſus evaneſcat. Tunc binos vel trinos digitos tranſverſos ſub acromio, cutis, pinguedo & muſculus deltoides incidatur & ad ſcapulam uſque ab oſſe ſolvatur, ubi capita bicipitis muſculi abſcindenda & ligamenta ipſa articuli incidenda. Hac ratione oſſis humeri caput ex ſcapulæ acetabulo reſolutum erit; reliqua poſtmodum, quæ humeri caput circumdant, ad pollicem uſque infra ligaturam ſollicite diſſecanda ſunt & ab oſſe reſolvenda, ubi demum caro & cutis ita in tranſverſum diſcindi debent, ut totum membrum e ſinu ſcapulæ commodius eximi queat. Itaque cutis cum ſubjecta carne hic ab oſſe humeri utrinque reſolvitur, ut fruſtum aliquod ferme triangulare in utroque latere pone alam reſtet.

XIII.

Humero itaque in ipſa junctura exciſo, arteria deligata quærenda eſt, & paulo ſupra priorem deligationem nova ligatura, ope acus curvæ minoris, filum robuſtum vel funiculum trahentis, inſtituatur, trajecto inter cutem & arteriam filo vel funiculo, eoque poſtea circa arteriam conſtricto, prima ligatura, cutem ipſam comprehendens, inflammationis præpediendæ cauſa, iterum reſolvitur. Poſtea fruſtum carnis inferius dependens, in quo arteria axillaris deligata hæret, ſurſum, ſuperius vero deorſum adducitur, ut ſe invicem contingant, eiſque ſcapulæ acetabulum obtegitur, linamenta carpta ſicca multa ſuper injiciuntur, quæ emplaſtro, crucis melitenſis formam gerente, firmantur. Huic primo ſplenium quadratum craſſum & amplum, ac poſtea aliquot ejuſmodi ſenſim majora atque majora ſupradantur, axillæ ſplenium rotundum pro comprimenda arteria axillari ſubjicitur, ad infringendum ſanguinis arteriam pulſantis impetum. Hæc omnia ſplenio duplicato, crucis melitenſis figuram præ ſe ferente, muniuntur, cui tandem adhuc tria ſplenia longa & craſſa in formam ſtellæ diſpoſita ſupradantur, quæ ſingula denique faſcia ſpica deſcendens dicta, firmantur: plura hac de re vid. in Parentis chirurgia, vel *Dranii* obſervationibus ſupra laudatis.

XIV.

Præmittenda hæc fuerunt, ut luculentius appareret, qua in re amputandi ratio, in hac noſtra diſſertatione deſcribenda, à methodis hactenus

cognitis differat, & quid ea peculiaris novique habeat. Igitur nunc ad illam ipsam exponendam accedimus, quod optime fieri posse arbitramur, si *totam historiam, cujus occasione illa administrata fuit*, prius proponamus.

XV.

Walbeccæ, oppido, quod milliare germanicum Helmstadio distat, mulier quædam 40 quasi annos nata, animi defectione sæpius vexata, eadem subito corripitur d. 6 Octobr. 1737, quum illa sola prope focum ad cibos parandos & coquendos versaretur. Tam infausto sidere tunc concidit, *ut brachium dextrum totum* in *ignem illaberetur*. Aliquandiu post ad triste & horrendum visu spectaculum, forte fortuna adventantes, miseram omni sensu ac motu privatam & quasi mortuam, confestim quidem ex flamma eripiebant; sed priusquam aliquis accedisset, brachium jam à digitis ad axillam fere ad os usque ignis violentia destructum, imo magna portio cutis thoracis, latus dextrum obvelantis, consumta erat, quemadmodum ex addita figura I. & II. aliquomodo cognosci potest.

XVI.

Posteaquam ægra vellicationibus ac clamoribus adstantium, spiritibus aliisque remediis, hunc in finem adhibitis, excitata esset, & ad se rediisset, chirurgus sive balneator illius loci protinus advocatus, unguentis & emplastris, quæ alias ad adusta commendantur, læso brachio prospiciebat. Chirurgus alius deinde Helmstadio accersitus, idem omni cura & solertia agebat, ut brachium servaret; sed dum hæc omnia parum essent, chirurgus Helmstadiensis parenti & mihi tristis illius casus historiam retulit, nostrumque petiit consilium. Quo facto *ad ægram casumque rarissimum & notatu dignissimum videndum cum chirurgo hoc Walbeccam ipse me contuli*, die, qui decimus erat ab hujus calamitatis initio.

XVII.

Deprehendi conditionem mali ita comparatam: manus cum digitis, totus cubitus & humerus, ad duos digitos transversos sub ejus capitulo, ad os usque destructa erant; vid. Fig. I. ab A ad B & C C. Hinc & inde ossa prorsus nuda conspiciebantur, hinc & inde quidem musculi, vel potius tantum reliquiæ musculorum adhuc hærebant, sed exusti, nigricantes, aridi, instar carnis fumo induratæ, & exsangues animadvertebantur; scalpello enim incisi nullum fundebant cruorem, omnique motu & sensu privati erant, ligamenta quoque circa articulos maximam partem ignis vehementia corrupta, vix amplius ossa colligabant. (vid. fig. I. brachium à parte anteriori & fig. II. à parte posteriori repræsentans.)

Nul-

Nullus ſenſus, nullus motus, nulla arteriæ pulſatio ab A ad B & D ſupererant. Vis ignis ulterius progreſſa erat, & ut fig. I. exhibet, a B & D ad C C, magnam portionem cutis muſculos, pectoralem, deltoidem, cucullarem alioſque hæc loca occupantes, tegentis conſumſerat, ita ut partes muſculoſæ prorſus denudatæ in conſpectum prodirent; quæ tamen jam à cruſta aduſta purgatæ, recentes, rubicundæ, acutiſſime ſentientes atque ad minimum contactum atrociter dolentes animadvertebantur, eoque ipſo vitam adhuc iis ineſſe manifeſtabant. Itaque re curioſius examinata, partem ab A ad viciniam B & D, prorſus deſtructam & mortuam cognovi, adeoque hic non niſi miſerum, ſed unicum ab amputatione auxilium exſpectandum eſſe judicavi.

XVIII.

Sed *non leves circa ipſam amputationem difficultates ſe ſe offerebant.* Torculari enim hic locus non erat; quia proxime fere ſub axilla amputatio inſtitui debebat, & quia propter denudatam carnem, B C C D, acutiſſime ſentientem & ad leviſſimos contactus vehementiſſime dolentem, applicari non poterat. Deinde ſi torcular non adhiberetur, metuendum erat, ne durante operatione ex arteria brachiali funeſta ſanguinis profuſio accideret, præſertim quum ægra ob diuturnitatem mali & vilem parciſſimumque victum, quia pauperrima erat, defectumque remediorum roborantium jam omnibus propemodum viribus orbata erat.

XIX.

Quam ob rem, quum propter cauſſas modo adductas *amputatio conſueta hucuſque methodo perfici non poterat*, & tamen ægra ſine illa non reſtitui, aut a combuſto hoc miſerandi aſpectus brachio liberari, in conſilium chirurgus Helmſtadienſis *Voſſius* & ego adhibuimus parentem, eique caſum, ut modo ipſum deſcripſi, retulimus. Hic igitur re ponderata, auctor fuit, ut ſine torculari adhibito, acu magna, filum duplex robuſtum trahente, quam hunc in finem ex armamentario ſuo chirurgico nobiſcum communicavit, (vid. fig. III.) caro brachii adhuc reliqua juxta caput oſſis humeri, inter os humeri & arteriam brachialem, perforetur, filoque trajecto in interiori brachii parte, quæ litt. D. Fig. I. indicatur, arteria una cum carne cruda & cute per ignem orbata, fortiter nodo conſtringatur, ſicuti fere fieri ſolet, quando brachium ex articulo humeri exſcinditur. Poſtea idoneo ſcalpello infra hanc ligaturam carnem in circuli figuram, ut alias in amputationibus horum artuum fieri ſolet, eſſe diſcindendam, os ſerra, conſueta ratione reſecandum, ac denique, deligationem fere ut in caſu, ubi brachii os ex articulo exciſum eſt, eſſe inſtituendam. Hoc itaque conſilio inſtructi, inſtrumentiſque & reliquis ad de-

deligationem neceſſariis præparatis, ad ædes ægræ una cum multis medicinæ & chirurgiæ ſtudioſis, inter quos etiam Nob. Reſpondens noſter erat, abivimus, ubi operatio hæc nova, ſequentem in modum adminiſtrabatur.

X X.

Neglectis & omiſſis torcularibus omnibus, *acus prædicta magna, incurva, filum duplex robuſtum, illudque ceratum trahens, in loco brachii* D, proxime ad os à chirurgo, ſupra jam laudato, *Voſſio*, dum quidam miniſter brachium extenſum, alii ægram continebant, *per carnem* ita, ut Fig. I. lit. D. demonſtrat, *pertundebatur & circa arteriam brachialem circumducebatur, filoque deinceps arteria, una cum reliqua vicina carne, firmiter conſtringebatur.* Deinceps ſcalpello paululum infra hanc ligaturam caro circumcirca ad os uſque diſſecabatur, & remoto per ſcalpellum periostio, tandem admota ſerra os ipſum reſecabatur; *adeoque tota amputatio hac ratione quaſi per compendium, ſine ulla notabili ſanguinis profuſione adminiſtrata eſt. Torcular enim nullum adhibitum, nec neceſſarium fuit; nec poſt reſectionem volſella, qua arteria comprehendi alias & protrahi ſolet, opus erat, nec ulterior vaſorum hac volſella protractorum deligatio; nec ſyptica medicamenta, nec ferra candentia in auxilium vocabantur;* ſed truncus ſtatim, uti alias moris eſt, linamentis carptis, emplaſtris & ſpleniis craſſis proſpiciebatur, quæ omnia deinceps faſcia prælonga eo modo, ut in amputatione in articulo, firmabantur.

X X I.

Sanationis negotium, nullo gravi vel inſinuato ſymptomate ſuperveniente impeditum, per medicamenta balſamica & raram deligationem *ex voto ſuccedebat.* Octiduo enim nondum præterlapſo, quum tertium deligaretur, filum, quo arteria ligata fuit, ſponte ſucceſſit, ſine ulla ſanguinis profuſione, & medicamenta interna vix alia in uſum vocabantur, præter ſemen ita vulgo dicti *fœniculi aquatici* ſeu *equini*, noſtratibus *Pferde Saat* dicti, cujus in diſſertatione de *hernia incarcerata, ſuppurata, ſæpe non lethali D. Gladbachii* medici nunc Zerbſtenſis, amici mei ſuaviſſimi, ſub parentis mei præſidio menſe martio hujus anni habita, mentio facta eſt, & quod à vulgo in vulneribus, ulceribus & omnibus noxis gravioribus externis his in regionibus maximopere uſurpatur, atque propter admirabilem in iſtiuſmodi malis perſanandis efficaciam miris celebratur laudibus. Plantam hanc Phellandrium J. *Bauh.* eſſe, ſuperiori æſtate obſervare licuit. Ipſa paupertas ægrotantem ſtrictam & tenuem obſervare diætam imperabat. Hac ratione poſt decurſum aliquot hebdomadum vulnus hoc ampliſſimum, B C C D, glutinatum & curatio ad optatum perducta fuit finem. Sed parvus ille humeri truncus, qui remanſit, ita cum thorace coaluit, ut nunc vix ullum

ejus

ejus vestigium possit animadverti. Interim mulier ad hunc usque diem vivit, & ceterum bene valet.

XXII.

Posteaquam tristem brachii, per ignem destructi historiam, & singularem, hac occasione excogitatam, illud resecandi rationem descripsimus, operæ pretium nobis esse videtur, *ut ini usus & commoda novæ hujus amputandi methodi paulo uberius inquiramus.* Dispiciamus itaque, quibus aliis in casibus illa cum successu applicari & in quibus reliquis methodis vel præferri, vel æquiparari saltem queat; ne nobis forte objiciatur, eam solum unico hoc in casu adhiberi potuisse, tales casus raro occurrere, in aliis vero eam inutilem, adeoque non magni momenti esse.

XXIII.

Quilibet autem facili negocio perspiciet, eam reliquis anteferendam esse methodis, *si brachii ambustiones similes* huic, qualem §. XV. seqq. descripsimus, incidunt: rationes §. XVIII. seqq. indicatæ hoc extra dubitationis aleam collocabunt. Ejusmodi vero combustiones non adeo infrequentes esse, haud ignorabunt illi, qui vel castra sequuti sunt, vel graviora incendia & noxas inde illatas viderunt. Igitur, si etiam his solum in casibus utilis esset nostra amputandi ratio, mihi tamen propterea non videtur rejicienda; sunt enim plures curandi viæ tam in medicina, quam in chirurgia, quæ in certis tantum noxis, rarius etiam obviis adhiberi possunt, & nihilominus dignæ censentur, quæ in posterorum usum annotentur: ut, si similes denuo occurrant, inde, quid agere debeant, noverint. Insignem utilitatem rariores conscribendi observationes in medicina egregie nuper evicit Joseph. Anton. *Puiatus*, medicus Italus, in præfatione præmissa observationibus suis rarioribus, Venetiis 1737. 8. editis.

XXIV.

Ne quis ergo existimet, eam in solis ambustionibus adhiberi posse, jam sum commonstraturus, quod etiam aliis adhuc in malis egregio cum successu in usum vocari queat. *Quandonam enim ab externa violentia*, rota verbi gratia, præsertim molari, aut aliarum quarumcunque grandiorum machinarum, *brachium circa partes superiores laceratum, collisum aut comminutum atque à cute sua denudatum esset*, ita, ut propter cutis absentiam aliasve causas torculari locus non sit, brachium tamen servari nulla arte posset; amputatio secundum leges §. XIX. & XX. descriptas, omnium optime instituetur.

XXV.

Imo crediderim, me nil absoni suadere, si hanc methodum *in plerisque brachii sive humeri amputationibus*, præsertim quando paulo altius membrum resecandum esset, omissis etiam torcularibus, commendarem. Ægro scilicet in convenienti situ collocato, acus funiculum trahens haud procul à loco, resectioni destinato, eadem prorsus, ut in ægra nostra factum est, ratione, inter os & carnes, in interiori brachii latere prudenter trajiciatur, filum aut funiculus, remota acu, in interiori brachii latere probe postea constringatur, carnes deinde idoneo scalpello, circa os humeri, in loco, pro amputatione electo, dissecentur, & tandem reliquum amputationis negotium more consueto absolvatur. Multa inde & profecto haud exigui momenti commoda evenient. Carere enim sic torculari possumus, cujus applicatio operationis actum diuturniorem, ægro molestiorem, magisque terribilem facit: & tamen sanguinis profusio, per ligaturam arteriæ, ante carnes dissectas factam, cohibetur. Imo totum amputationis negocium hac ratione longe citius & multo minoribus difficultatibus, quam alias absolvitur. Etenim in consueta methodo post amputationem vitiati membri arteria, laxato prius ac rursus constricto torculari, molestе investigari, forcipe arripi & ligari, vel acubus circumjectis tandem vinciri debet, quæ omnia profecto difficilius sæpe succedunt, quam multi putant, & interdum satis longum tempus requirunt. Nonnunquam etiam arteriæ acubus & filis hic se rursus subducunt, ita ut arteria, quæ putatur esse ligata, non sit ligata; aut saltem tam leviter, ut brevi post deligationem, aut jam in ipsa deligatione, præsertim, ubi fortior sanguinis motus adest, ligatura à vase rursus recedat, unde novus, isque periculosissimus, sanguinis fluxus subsequitur, qui fascias omnes, splenia ac linamenta removere, & totum fere opus reiterare cogit. Interdum filum arteriam proxime ambiens illam disrumpit, quod pariter sine insigni cruoris profusione fieri nequit. Hoc etiam nostro artificio præpeditur: dum arteria cum multa carne circumposita simul ligatur, adeoque quasi involvitur & defenditur, ne à filo facile diffringatur. Atque sic etiam obtinemus illud, quod nonnulli recentiorum, sed longe operosiori via moliuntur, quando post peractam amputationem acu curva, paulo majori, filum ceratum per juxta positam carnem, duplici punctura, sic trajiciunt, ut arteria, in medio collocata, simul cum carne ligetur. vid. supra §. IX.

XXVI.

Si hanc operationem accuratius consideramus, apparet, *ejus usum latius adhuc, quam ad solam amputationem se extendere.* Etenim *in variis arteriæ brachialis vulnerationibus*, ubi os graviter simul læsum, sive collisum, perruptum, aut ablatum est, hæc brachii, ope majoris acus perforatio & arteriæ

teriæ per filum conſtrictio tanquam tutum, certum, minuſque prolixum ſanguinis profluvium cohibendi remedium adhiberi poterit. Sic ex gr. *quando à globo tormenti bellici majoris brachium* maximam partem eſſet ablatum, atque os humeri ſimul cum arteria brachiali perruptum, ubi ob enormem hæmorrhagiam ſummum vitæ periculum eſt, chirurgi præſentis prima cura in eo verſetur, ut ab adſtante arteria ope digiti verſus os humeri truncatum confeſtim & fortiter quidem prematur; deinceps abſque adhibito torculari acum paulo majorem, filum ſeu funiculum planum trahentem, ad ſpatium pollicis vel duorum fere digitorum ſupra vulnus in interiori brachii latere ita tranſmittat, quemadmodum in ægra noſtra factum eſt, & ſicut in Fig. I. noſtra conſpicitur; funiculum poſtea circa truncum arteriæ nodo firmo conſtringat, tunc oſſium ſpinas forte prominentes ſerra vel forcipe auferat, carnes vero inæquales & laceras æqualiter ſcalpello aut forfice reſecet, denique brachium, ut ſupra deſcripſimus, ſolerter deliget.

XXVII.

Si glande plumbea minoris tormenti bellici, ſclopeti, Gallis *piſtolet*, *fuſil* vel *mouſquet* dicti, arteria brachialis vel ſine oſſe humeri, vel cum oſſe transfoſſa, & ſpes brachium ſervandi non eſſet, ſimili prorſus ratione, quam modo indicavi, vas ſuper vulnus ligari poterit. Eandem curandi rationem in vulneribus hujus arteriæ, gladio vel telo vel qualicunque alio inſtrumento ſecante aut pungente, inflictis, præſertim ubi periculum in mora, vel brachium νεκρωσιν jam fuerit paſſum, locum quoque invenire, quis non videt? Sique hanc methodum chirurgi in caſtris obſervarent, ubi hi caſus ſæpe ſæpius occurrunt, multos ſervari poſſe exiſtimo, qui ea neglecta ob ſanguinis profluvium brevi perire coguntur. Propter hæc commoda auctor ego ſum chirurgis omnibus, præſertim caſtrenſibus, ut acum ſemper magnam, curvam, inter inſtrumenta portatilia gerant; quia ſæpe numero accidit, ut vulneratis ejuſmodi e veſtigio ſuccurrendum, ubi vel torcular ad manus non eſt, vel non ſufficiens torcularium numerus præſto eſt, quando nimirum plures ita vulnerati ſunt, ſicut in bello haud raro contingit.

XXVIII.

Tandem etiam aſſeverare non dubito, hunc ſanandi modum *in ipſis aneurysmatibus* tam ſpuriis, quam veris, circa partem ſuperiorem arteriæ brachialis exiſtentibus, tollendis, egregia præſtare commoda, præcipue ſi judicatur, brachium alia ratione ſervari non poſſe. Si enim ſecundum hujus methodi regulas curatio ſuſcipitur, & arteria in *ſpatio* pollicis ſeu duorum digitorum ſupra locum læſum ligatur, opus non erit, ſicut alias in horum malorum curatione fieri debet, torcular prius ægro brachio injicere, cutem dein cum carne ſecundum longitudinem incidere, arteriam moleſta

ac dubia perquisitione investigare, quod sine multis difficultatibus, magnisque doloribus peragi sæpe non potest. Nam facile hic in loco sanguinolento & impuro pro arteria nervus aut vena præsertim à minus exercitatis ligatur, dum arteria est liganda, & reliquæ partes frustra ligantur.

XXIX.

Interdum *arteria prope plagam tam in vulneribus, quam aneurysmatibus varias ob causas putrefit*, uti plures notarunt auctores, atque etiam à parente observatum est; quo in casu, licet ligata fuerit, facile tamen iterum, propter inductam à putredine mollitiem, vel per filum diffringitur, vel per sanguinis impetum perrumpitur, unde periculosa, quandoque lethifera cruoris profusio subsequitur, quod in hoc nostro procedendi modo vix pertimescendum erit. Notandum quidem hic est, me cum parente [*l*] his in casibus amputationi semper præferre ligaturam arteriæ, brachio adhuc relicto, quia sæpe per hanc brachium servatur. Interea quia multi, læsa hac arteria, brachii amputationem suadent, atque etiam instituunt; hi & quicunque eorum curandi modum sequi malint, longe promtius & commodius brachium secundum methodum nostram, quam aliis methodis hucusque usitatis auferre poterunt.

XXX.

Nostrum igitur artificium arteriam ligandi & sanguinis profluvium cohibendi, quod hactenus exposuimus, laudatissimo *Morelli* invento, torculari scilicet, sæpe nil cedere, sed anteferendum adhuc esse, nulli dubitamus. Patet enim eo adhibito frequenter nos torculari omnino carere posse. Si vero torcular omittitur, operatio longe celerius perficitur, quia ejus applicatio satis longum temporis spatium requirit. Igitur noster modus, quum ob simplicitatem, quia minor instrumentorum apparatus est necessarius, tum ob celeritatem egregie se commendat. Imo historia à nobis supra descripta edocet, interdum fieri, quod ad illum, ubi ne torculari quidem locus est, tanquam ad sacram anchoram confugere queamus, sine qua ægri servari haud possent.

XXXI.

Prævideo mihi objici posse, *quod non semper una tantum magna arteria in brachio adsit, sed sæpenumero duæ*; propterea si etiam una nostro consilio ligata fuisset, alteram tamen deinceps in & post resectionem periculosam cruoris profusionem concitaturam fore, id quod in ceteris hucusque consuetis methodis metuendum non esset. Sed respondeo, primo duas arterias magnas non semper præsentes esse, cumprimis circa brachii partem superiorem; adeo-

[*l*] V. ejus compend. anat. Tom. II. Nota 66. de arteria brachiali, & chirurgia.

Landesbibliothek Oldenburg

adeoque si unica tantum adest, modus noster salvus manet. Quia vero interdum præsertim circa mediam aut inferiorem partem truncus in duos ramos dividitur, chirurgus hac in operatione semper simul volsella & acu filum robustum trahente instructus sit, ut, si altera arteria fundendo sanguinem se proderet, illam mox arripere & ligare queat. Ne autem sanguis interim nimis effluat, juxta alam arteriæ truncus pollice vel digitis ministri cujusdam probe comprimatur, quo fit, ut sanguis eodem fere modo, quasi à torculari vas compressum esset, cohibeatur.

XXXII.

Antequam finem huic dissertationi imponimus, restat, ut aliquam adhuc quæstionem diluamus. Quæri enim potest, *si brachium, in quo arteriæ brachialis deligatio juxta methodum à nobis commendatam instituenda, cute adhuc tectum est*, utrum cutis simul cum arteria & carne liganda, vel an prius incidenda sit. Sunt enim nonnulli, qui ex constrictione graves inflammationes, dolores, aliaque mala pertimescunt. Me quidem judice symptomata adeo gravia inde secutura non erunt. Hoc ex eo conjicio, quia tubercula magna tumoresque varii per ligaturam plerumque sine gravibus supervenientibus malis tolluntur, licet cutis undique à filo constricta sit. Qua in re tanto magis confirmor, dum vel ipsorum magnorum brachii nervorum, qui juxta arteriam brachialem siti sunt, & in ægra nostra sine dubio simul cum reliqua vicina carne constricti fuerunt, nullum prorsus symptoma, nullosque novos dolores vel alia, quæ ante non aderant, concitarunt. Interim hanc rem ulterius adhuc observationibus & experimentis explorandam esse arbitror. Si autem fortassis præter spem & opinionem à cute simul per ligaturam constricta graviora mala oborirentur, *mederi iis novo artificio possemus*. Nimirum antequam filum constringitur, ab uno acus vulnusculo ad alterum oppositum, (quæ fig. I. inter litt. B & D ostendit) dum acus adhuc in vulnere hæret, cutis scalpello transversim caute incidatur, postea acus trajiciatur, funiculus constringatur & nodo probe firmetur: vulnus tandem linamentis impleatur, ac spleniis fasciisque convenienti ratione deligetur.

XXXIII.

Denique eadem hæc observatio, cujus occasione dissertationem nostram potissimum conscripsimus, adhuc magni in chirurgica momenti edocet: scilicet ne nervorum quidem, eorumque maximorum, quales circa locum illum, ubi acus D fig. I. transfixa fuit, siti sunt, ligaturam ullum grave produxisse symptoma. Adeoque supervacaneum videtur illorum monitum, qui in amputationibus præcipiunt, in arteriis ligandis nervos prius ab iis separandos esse [*m*], ob metum, ne rigores sive spasmi aut convulsiones nervorum ligaturæ superveniant.

[*m*] Ut Dionis in operat. chirurg. pag mihi 618.

Landesbibliothek Oldenburg

XXXIV.

Ultimo adhuc monendum esse existimavi, eadem artificia, quorum usum in brachii amputatione vel brachialis arteriæ noxis hactenus expositimus, *in variis quoque femoris & arteriæ femoralis læsionibus*, præsertim, quæ amputationem requirunt, felici cum successu applicari posse. Fortassis adhuc melius & tutius arteria cruralis, quam brachialis ligari poterit? nam maximi pedis nervi arteriam hic non comitantur, sed à parte posteriori descendunt. Res autem hæc ulterius experimentis est confirmanda, ad quæ instituenda chirurgos castrenses, vel qui in magnis urbium nosocomiis artem exercent, ubi facile nova tentare licet, serio hortamur. Interim quicunque hanc operationem vel in brachio, vel femore suscipere cupiunt, hi ante omnia curæ cordique habeant, ut situm arteriarum majorum, his in locis præsentium, accuratissime cognoscant.

XXXV.

Novam igitur amputandi rationem, quam hac in dissertatione tradidimus, multiplicis & haud exigui momenti utilitatis esse, nos satis nunc demonstrasse arbitramur. Et quamvis methodi amputandi hac ipsa multiplicatæ fuerint, longe tamen abest, quod istiusmodi multiplicatio inutilis sit, vel noxia, quin potius in difficilioribus præsertim operationibus chirurgicis commendari mereatur: sicut hoc cum celebri *Morando* Parens in chirurgia latina, ubi diversas calculum extrahendi methodos exponit, uberius confirmavit.

COROLLARIA.

I. *Chirurgia plus ratione, quam ἐμπειρίᾳ nititur.*
II. *Tota chirurgia est mechanica.*
III. *Chirurgia est antiquissima medicinæ pars.*
IV. *Ergo medicina mechanica, quæ vulgo hodie recentissima habetur, est antiquissima.*

JOH.

CXLI.

JOH. FRID. TSCHEPII

SOLDAV. PORUSS.

CASUS DE AMPUTATIONE FEMORIS NON CRUENTA.

Halæ 1742 Octobr.

Landesbibliothek Oldenburg

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

AUCTOR.

Quem præsentibus pagellis exhibeo casum, in Berolinensium Nosocomio celebri fama clarissimo, vulgo Charité dicto, quod auctoritate Celeberrimi Schaarschmidii, per octo integros menses frequentare licuit, ipsemet vidi, & initio quidem propter singulare phœnomenon non cruentæ amputationis, rarioribus, quas colligere cœperam, & Berolini potissimum potueram observationibus, brevibus inserui. Nemo omnium, quibus mecum nosse contigit ægrum & hanc ejus conditionem miserrimam, alium quam ancipitem, plurimi, brevi subsecutura morte funestum hariolabantur eventum. Quin & ego tum temporis his quam illis subscribere maluissem. Sed res ipsa succedente tempore contrarium docuit, ut magis fere in vita superstitem, quam non speratum antea phœnomenon miraremur. Maxime cum mense Aprilis in integrum fere restitutus videretur. Quod animum mihi addidit, ut totam morbi historiam penitius cognitam pluribus verbis in privatos mihi usus concinnarem: posthæc vero de themate inauguralis conscribendi speciminis sollicitus, hanc præ reliquis eligerem. Significavi Celeberr. Schaarschmidio institutum, ejus veniam, ea qua par est reverentia petens; quam pro singulari sua, qua cuivis bene cupit propensione, mihi etiam largitus est. Omnem itaque impendi industriam, quo completam fidus Tecum L. B. communicarem consignationem eorum, quæ in hoc casu observatu digna fuerunt, nec quicquam, nisi superfluum plane visum, omisi. Sua integritate ut Tibi redderetur, nec propriis confidebam viribus, sed perlustrationem ejus emendationemque à laudato Viro Excellentissimo Halam petiturus humillime rogavi. Qui precibus meis benevole satisfacturus addidit supplementum etiam de morte me jam absente subsecuta, & ut aiunt visum repertum, seu reliqua, quæ ex dissecto cadavere innotuerant. Pro quo favoris novo documento non minus, quam reliquis in me collatis beneficiis, publicas ago habeoque grates. Non ergo est, quod de dexteritate ejus dubites. Quod ad tractationis attinet methodum, cum temporis habenda foret ratio, casui hinc inde aliquas inserere commentationes constitui, in tractatione ipsa vero quasdam percurrere causas decrevi, quibus præsentibus, cognita sanguinis circulatione, ejus ex vasis apertis profluxus impediri vel saltem retardari possit. Horum ex numero, quæ eundem in nostro casu produxere effectum, colophonis loco adduxi. Cetera, quæ in notabili hoc casu ad peculiarem meditationem adhuc constituere possent dignissimum thema, aliis in præsenti relinquere vel ad commodam usque magis vacationem differre cogor. Tu, L. B. interea conatus meos

æqui bonique consule, & quod in iisdem, dignitati tam ardui casus mearum non respondet virium Tua *benevolentia suppleas. Faxit supremum clementissimumque numen, quo & hæc cœpta vergant, quod supplicibus precor suspiriis, in sui SStissimi Nominis Gloriam. Vale & mihi fave.*

CASUS.

I.

Miles quidem 22. annorum, sanguineo melancholici temperamenti, per totam æstatem anni novissime elapsi in castris commoratus, victu ibidem tenui usus & varias easque insignes aëris mutationes, tempestatem imprimis humidam frigidamque, cum calidissimo interdum cœlo alternantem perpessus, tum quidem liber permansit à diris affectibus vere scorbuticis atque malignis febribus per totum exercitum sævientibus, at sub autumni initium Berolinum redux, incidit in febrem, ex sua relatione continuam, forsan vero ut ex corporis sectione patebit, pleuriticam irregulariter tum atque epidemice grassantem.

Mala sex rerum (recepto in scholis med. termino) non naturalium, in castris administratio utplurimum inevitabilis, omnibus fere morbis eorumque atrocissimæ sævitiei obnoxios reddit ea sequentes. Habitacula ipsis sola sunt tentoria, quæ undas quidem cœlo delabentes, minime vero reliquas aëris arcere possunt injurias. Hinc aëre frigido sicco, frigido humido, l. æstuantes & variis noxiis effluviis coagmentatorum animalium & sæpe vicinorum locorum palustrium conspurcato, cum nocturno frigore alternante, non raro etiam subitaneas mutationes contrarias subeunte, regnant ob stricturas extremorum, contracturæ pedum manuumque, aurium ac narium ulcera imo sphacelus, vertigines, cephalalgiæ asthmata cum omnis generis catarrhis, ob retropulsorum humorum ad viscera congestiones, morbi chronici diarrhææ, dysenteriæ, item febres inflammatoriæ, epidemicæ, malignæ, scorbutus. Cibus & potus quandoque deficiunt, unde languores, quinimo multorum fide auctorum, morbi pestilentiales; quandoque vel in quanto, vel in quali peccantia assumuntur, quo & potum referimus, unde uberrima malorum cacochymicorum progenies, cachexia, hydrops atque acutorum complures morbi. Motus & quies, somnus & vigiliæ, nunquam fere ad proficuum sanitati aut modum aut ordinem accedunt. Se & excretiones ergo omnibus iisdem perturbantur, nimiumque vel augentur vel supprimuntur; quare plurimi modo dictorum denuo generantur morbi. Animi pathemata, præcipue ira, &, apud pauciſſimos licet, terror etiam, non parum adversantur valetudini, motus naturales adaugendo vel imminuendo, adeoque affectus spasmodico convulsivos aut paralyticos indu-

inducunt. Quo pertinent etiam damna ex nefando cum ſcortis conſortio, hic maxime peſſima; & ex imprudenti medicaminum diſpenſatione, quæ lucri cauſa à multis rei medicæ prorſus ignaris, circumforaneis, tonſoribus, agyrtis &c. ſub ſingularium ſpecificorum titulo, venditata triſtia ſæpe inducunt fata. De quibus ſingulis lectu digniſſima eſt diſp. Illuſtr. Frid. Hoffmanni de militum valetudine tuenda in caſtris *nec non Luc. Portius de eod. themate. Pleuritidem fuiſſe eam febrem quam æger noſter antea paſſus eſt, colligimus ex hydrope pectorali qui deſcribitur inferius in huj. caſ. n. XVIII.* 8.

II.

Convaluit ex hoc morbo ſub curatione chirurgi cujuſdam; artis quidem parum periti; ſed vix aliquot diebus poſt curatum morbum elapſis, de doloribus dextrum pedem occupantibus cœpit conqueri, qui ſibi relicti pauco tempore adeo increverunt ut die nocteque ſummis clamoribus impleret domum. Tandem conquieverant ſponte, & præter ſpem mane per totum pedem infimum fuſcus color comparuit cum veſiculis in epidermide junctus ad ſuras uſque proſerpens.

Dubio procul hi dolores rheumatici eryſipelas pedis vel alias ſtagnatione ſanguineas induxerunt, quæ ſibi relictæ, præſertim in corpore ob mox prægreſſum & uti merito ſuſpicandum, perperam curatum morbum acutum, male diſpoſito, eo facilius inteſtinum fermentativo reſolutorium & expanſivum ſubiere motum (unde nimium tenſa vaſa atrociſſimos fecerunt dolores, cum ſubſequuta eorum plenariam uſque ad atoniam expanſione ceſſantes) atque ſic in putredinoſam abiere corruptionem, quæ eſt gangræna; vulgari itaque medicis nomine vocari poſſet gangræna per metaſtaſin ex morbo male judicato orta.

III.

Prior chirurgus gangrænæ forſan metu perterritus, conſuetas ordinavit fomentationes, hiſque fruſtra uſurpatis, ſcarrificationes inſtituit variis locis. Verum enim vero non ſatis profunde factæ videbantur, ex ægroti enim relatione ipſe nec ſenſit inciſiones, nec vidit ſanguinem ex inciſis locis effluentem.

Scarificationes pro curanda gangræna duplici adhibentur ſcopo (1) quo putridus ſanguis evacuetur, (2) quo recentis ſanguinis affluxus vividior reddatur i. e. aliquomodo ad locum affectum augeatur (quo fine etiam tantopere laudantur acriora balſamica ol. cinam. caryoph. &c.) conf. celeberr. Schaarſchmidii *mediciniſche Nachrichten im 3ten Jahrgange p. 29. Aucto hoc affluxu major ſit ſanguinis impulſus & lymphæ affuſio, illo pars corrupta ſanæ vicina concutitur, in cohæſione cum hac imminuitur & tandem penitus ſeparatur; eo ipſo & affuſione lymphæ, quæ copioſior corruptionem putridam con-*

vertit in purulentam, gangrænæ progressus sistitur, sanatio vero & consolidatio consensu clarissimorum medicorum, promovetur.. Hoc ergo respectu non grangræosa solum, sed & proxime sub & adjacentes integræ partes ad doloris sensum, recentemque cruentationem usque incidendæ sunt. Ast vero & in hoc articulo dolenda est plurimorum chirurgorum ignorantia & temerarii ausus.

IV.

Invaluit sphacelus, quo æger affectus transportabatur in nosocomium d. 14. Novembr. Eodem die versus vesperam visitatus, exhibuit nobis pedem dextrum ad genu usque sphaceloſa nigredine corruptum ubivis insensibilem, attactu frigidum, variis in locis scarificatum. Tanta sphacelus incrementa intra quatriduum sumpserat. Præterea ægrotus vultum floridum monstrabat, febre laborabat satis gravi, cum magna tussi, pulsum habebat celerem, haud vero adeo debilem, ut tanto sphacelo alias proprius videbatur, & plethoræ aderant quædam signa. Nullum præter amputationem reliquum videbatur auxilium: quum vero partim nox instabat, partim æger illico eam admittere non volebat; differebatur ad sequentem diem: interim per totam noctem fomentationes ex aceto & aqua calcis vivæ, singulis horis applicabantur, exhibitis insuper interne temperantibus remediis, quæ temperarent æstum.

Gangrænæ sibi relictæ vel incongrue tractatæ in sphacelum transitu nil est solemnius. Consistit enim in plenaria sanguinis stricte ita dicti putredine, quæ in primitivas partes solida dissolvit, & in similem corruptionem fermentativo putredinosam abripit, ut tandem pulposam exhibeant indolem fœtidissimam, pro diversitate fibrarum duritiei in diversa ætate variam, apud juniores fluidiorem, apud senes sicciorem. Hæc fluidorum & solidorum corruptio putrida audit proprie loquendo, sphacelus. Sanguis cum lympha vel sero lymphatico mixtus, stagnans atque corrumpens efficit pus; quo magis ergo hisce fluidis privatur, eo citius faciliusque in gangrænam & sphacelum degenerare potest. Quamobrem etiam senes præ junioribus, plethorici præ iis, qui justa tantum sanguinis quantitate gaudent, impuritatibus salino-sulphureis subtilioribus laborantes præ sanis, partes sanguineæ ut musculi & viscera, præ exsanguibus, membranosis tendineis ligamentosis, diris hisce affectibus magis corripiuntur eorumque incrementa vehementiora experiuntur. Sic quoque insignis plethora & impuritates sulphureo-subtiles acres ex malo febris acutæ decursu restitantes tantorum intra quatuor dies sphaceli incrementorum solæ videntur esse causæ, quippe ad motum intestino resolutorium procliviores, de quibus tamen tanti incrementi causis subsequens non cruentationis dissectorum vasorum tractatio, plura allegare ansam dabit.

V.

Landesbibliothek Oldenburg

V.

Sequenti die, eductis prius per clysterem emollientem sordibus, horis matutinis ad amputationem, ægro jam annuente, præparabatur. Fiebat fere in medio ossis femoris, eo quod supra genu sitæ partes, jam quodammodo corruptæ videbantur. Admoto torculari & reliquis consuetis fasciis, incurvato cultro prima incisio, ut vocant, circularis fiebat per externa integumenta, altera per carnem ad os usque, tumque os ipsum, separato prius periostio serra aufferebatur. Mirum erat, quod sub incisione cutis, æger vehementes ediderat clamores, sub carnis autem dissectione & ossis ablatione ne sonum quidem edidit, neque enim magnum se sensisse dolorem confessus est.

Methodus hæc ubi prima incisione cutis tantum inciditur ac retrahitur altera vero caro dissecatur, Parisiis novissime exculta est, indeque Anglis & Germanis innotuit. Haud exiguus ejus est usus in subsequente curatione æqualiter magis & citius expedienda. Largissima cutis portio, quam omnes chirurgi in amputationibus lucrandam exigunt, eadem maxime obtinetur tanta, ut totam fere dissectorum musculorum tegat superficiem, adeoque minus consolidandum relinquens spatium, consolidationem egregie facilitat, vasorumque compressionem adjuvat. Caro autem sola, altera sectione certius discindetur cum periostio, plurioremque superficiem accipit uno eodemque ictu & faciliorem admittet sanationem.

VI.

Ablato membro arteriæ ad hæmorrhagiam præcavendam, pro more erant deligandæ, quo fine pro iis ex impetu prosilientis alias sanguinis detegendis, torcular aliquo modo relaxabatur, & cum præter opinionem ne guttula quidem cruoris exstillabat, penitus removebatur. Verum enim vero nec ulla apparuit hæmorrhagia, nec arteria distincte in conspectum venit. Caro dissectorum musculorum omni corruptionis ac putredinis labe carere videbatur, hinc in ipsa arteria crurali sphacelum altius penetrasse suspicabatur Celeberr. *Schaarschmidius*, exemplo quodam confirmatus, quod ipsi in Silesia occurrit: ubi miles quidam, cui genu per vulnus sclopetarium conquassatum erat, & sphacelus supervenerat, ultra genu jam progressus, amputationem femoris patiebatur, qua facta nulla se exserebat hæmorrhagia, insequente interim bona suppuratione, sub qua arteriæ cruralis portio, ad minoris digiti longitudinem longa, tota corrupta ex musculis protrahebatur.

VII.

Instituebatur deligatio, adeo, ut os denudatum plumaceolis balsamico

liquore imprægnatis tegeretur, reliqua vero carnosa portio, linteis carptis spiritu vini rectificatissimo irroratis obduceretur, & ceterum convenientes fasciæ admoverentur, habito insuper semper ad manus torculari, ad sistendam, si forsan eveniret, hæmorrhagiam. Præterea fomentationes sedulo admovebantur metu latentis gangrænæ, eo magis, cum æger post operationem confiteretur, se in dissectione musculorum & ossis ablatione vix sensisse dolorem. Accesserat insuper summa imbecillitas pulsusque debilitas; pro quo excitando, unus vel alter haustus vini generosi exhibebantur.

Spiritus vini rectificatiss. metu latentis gangrænæ hic applicabatur pro hujus ablatione vel saltem progressu impediendo. Huic indicationi satisfacere potest, qua partes solidas roborat, sanguinem coagulat & acrimoniam corrigit, propterea etiam à Celeberrimis nostri ævi medicis, præstantissimis annumeratur stipticis, & acerrimos spiritus dulces reddit; coagulando & acriores humidioresque partes invertendo, intestinum cruoris motum compescit, & sic gangrænæ progressum impedit, vasa roborando ac stimulando allicit vividiorem affluxum, cum suis consectariis, quæ ad num. 3. notavimus, adeoque sic & gangrænæ medetur.

VIII.

Versus vesperam accedebat pulsus celer atque febrilis; ordinabantur potiones temperantes & leniter diapnoicæ; & cum æger per insequentem noctem somno satis placido frueretur, ac altero die plenum exhibebat pulsum, sanguinis ex vena in brachio tusa octo circiter unciæ emittebantur; unde pulsus factus regularis, appetitus ciborum naturalis, somnus redibat tranquillus, febris evanescebat, nec habebat æger de quo conquereretur.

Dissentientem habent Celeberr. Schaarschmidium, *qui remediis, ad perferendam sphacelosi membri majoris amputationem, corpus præparantibus, adnumerant V Sectionem. Depletis vasis & imminuta ab humoribus naturalibus resistentia, facilius materia putrida à minutissimis vasculis resorbetur, atque reliquis humoribus commixta, toti corpori pernicioſa evadit. Omnia hæc fiunt per V. Sectionem ante remotum putridum membrum, institutam.*

IX.

Quarto ab amputatione die relaxabatur prima deligatio, ubi præter spem suppuratio laudabilis satis copiosa aderat: sed cutis cujus tamen sat larga in dissectione relicta erat portio, una cum subjecta carne adeo retrocesserat, ut os denudatum ac suo periostio orbatum, longitudine duorum digitorum transversorum promineret. Quum igitur pus caute abstergeretur, in conspectum veniebat arteria, frustra ante quæsita, à partibus circa eam sitis prorsus separata, ac libera propendens simulque exsanguis. Hanc cir-

circumſpecte apprehendens chirurgus facillimo negotio extraxit ad articuli digitorum longitudinem, ſubſequentibus aliquot guttulis ſanguinis puriſſimi arterioſi: extracta hæc portio & curatius examinata, ſiccior paulo comparuit, ſimulque aliquantulum hinc inde corroſa, ut poroſum quaſi corpus præſentaret.

Quomodo ſuppuratione ſuperveniente gangrænoſa pars à ſana ſeparari poſſit ad 3tium numer. notavimus. Hæc actu etiam fieri Ill. Hoffmannus *in diſp. de amput. membr. ſphaceloſor. hiſce verbis docet:* natura non tantum carnem emortuam à ſana ſeparat, verum etiam integra membra ſæpius, quod mirabile eſt, à corpore ſejungit, *& in præſenti phœnomeno ipſa res loquitur. Quod ſi in partibus cavis ut vaſis ſanguiferis evenit per ſuppurationem, eadem in ſuperiore parte coaleſcunt. Abſens poſt extractam arteriam hæmorrhagia hic loci aſſertum comprobat; paucæ vero, quæ exinde effluxerunt guttulæ non ex crurali arteria, ſed tenuiſſimo quodam ramuſculo arterioſo cum corrupta parte firmius cohærente derivanda ſunt. Exemplum vaſorum vulneratorum rem apprime illuſtrat: ceſſante iiſdem conſtrictis vel coagulato cruore obſtructis, hæmorrhagia ope vividi affluxus per vaſcula minutiſſima ſanguifera, majorum membranas perreptantia, laudabilis lympha tranſudans ſanguinem coagulatum protrudit, ex quo cum adjacente pinguedine mixto generatur pus; interim continuo aliqua nobilioris lymphæ guttula cuivis vaſculo adhæret, cum eoque concreſcit, & papilla carnea vocatur. Continuante affluxu huic papillæ nova ſubinde jungitur, idem in omnibus vaſculis ſimul fit, & papillarum moles augetur, donec tandem id acquirant augmentum, ut omnes ſeſe contingant, concreſcant & ſic undique canalem occludant, quæ ejus eſt coalitio.*

X.

Cæterum ſuppuratio cum reliqua ægrotantis valetudine ex voto ſuccedebat. Accedebant quidem primis ab operatione diebus ad latus ſiniſtrum oſſis ſacri ulcera, à compreſſione per decubitum procul dubio exorta; ſed mutato ægri in dextrum latus ſitu & adhibitis convenientibus adminiculis, conſolidabantur cito. Verum enim vero nono poſt operationem die novum oboriebatur ulcus, in regione trochanteris majoris oſſis femoris dextri, quod undique nigrum contrahebat marginem, & gangrænæ metum incutiebat. Hinc repetitas ſcarificationes inſtituere opus erat, quibus debellata gangræna, ulcus ad tantam quidem reducebatur magnitudinem, ut diameter ad 7. vel 8. digitorum latitudinem accederet. Interim bona atque laudabilis ſequebatur ſuppuratio, ſed tanta quantitate, ut cum deligatio per ſola lintea carpta ſicca illi refrænandæ haud ſufficeret, interne aquam ſclopetariam vinoſam quotidie ter vel quater ad aliquot cochlearia exhibere neceſſe fuerit, conjunctis externe balſamicis & leniter exſiccantibus.

Suppu-

Suppurationis incrementum nimium vel decrementum, in copiosiori lymphæ affluxu vel parciori fundatur; illum relaxata & ampliora, hunc angustiora producunt vascula. Quicquid ergo horum mutare potest amplitudinem, augebit simul vel imminuet suppurationem; aqua sclopetaria constat & paratur ex mere vulnerariis ingredientibus, quorum virtus est relaxata vasa paulo constringere, quare interne sumpta eundem præstare valet in suppuratione effectum, quem spiritus vini rectificatissimus cum reliquis balsamicis vulneri applicatus, ejus scilicet imminutionem, producit.

XI.

Imminuebatur sic quidem nimia suppuratio, interim eà adeo invaluerat, ut trochanter major nudus, periostio orbatus ac levi carie infectus in conspectum prodiret. Neque vero hoc obstante intra aliquot hebdomades consolidatio ad finem perducebatur feliciter. Supererat consolidatio cruris, cujus pars amputatione resecta erat: & pro hac omnino obtinenda, spes affulgebat maxima, cum æger pulsu bono, appetitu integro, somno placido frueretur, excretiones naturales rite succederent, vires corporis magis magisque colligerentur, & laudabilis suppuratio, felicis consolidationis prænuncia adesset.

Caries est humorum ossa transeuntium corruptio ulcerosa, os corrodens ac destruens. Vulgo dividitur in quatuor gradus, quorum 1mus consistit in incipiente corruptione humorum in superficie ossis, hoc integro adhuc & quasi pinguedine flava obducto; 2dus corruptionem provectiorem cum sanie acri nigricante exhibet; 3tius est si corrosum os inæqualem præbeat superficiem cum sanie acriore & copiosiore; 4tus si profunde jam penetraverit ossis consumptio. Omnium in curando indicationes sunt (1) mundificatio s. corrupti ablatio (2) consolidatio. Quo major vero præsens est gradus, eo difficilius obtinentur & in ultimo sola amputatione, eoque magis corrosiva sanies partes vicinas molles pessima afficit ulceratione. Ast 1mus gradus utrumque facillime admittit præ reliquis per remedia balsamica acriora v. gr. ess. succin. myrrh. aristoloch. rot. &c. quæ ulteriorem corruptionem atque arrosionem & ulcerationem in vicinis mollibus præoccupant, vividiori affluxu conciliato, corruptum æque ac in suppuratione separant & consolidationem promovent, quæ nostro etiam in casu felici cum successu insecuta est. conf. hac de re Celeb. D. D. Junckerus *in conspectu Chirurg. Med. Tab. LI.*

XII.

Pro hac ea citius impetranda, portio ossis prominens serra auferebatur. Ast vero nihilo secius, inter aliquot hebdomades prominebat iterum ad pollicis latitudinem, adeo, ut circumjecta cutis ac caro tandem circa os firmissime accresceret, illudque circum circa arctissime amplecteretur.

XIII.

Landesbibliothek Oldenburg

XIII.

Ossis hoc peculiare incrementum duplici ex causa derivare licebit : primum enim musculi una cum cutaneis integumentis, puncto fixo carentes, indies magis magisque constringi ac retrocedere videbantur ; dein crescebant, ut nudo oculo conspici poterat, in superficie ossis, à carne denudati, novæ fibræ osseæ, juxta ossis longitudinem arcte ad invicem appositæ, & non nisi mole, quæ in his major erat, differentes ab incipiente ossificatione ossium frontis & parietalium in infantibus.

XIV.

Quicquid sit, sub finem mensis April. a. c. detruncatum femur plenaria potiebatur consolidatione ; ita tamen, ut os integri pollicis latitudine durum, firmum, densum, ac callo fere ossi simile præ mollibus carneis æque ac cutaneis partibus prominens maneret, hæ vero ossi circumcirca firmissime accretæ conspicerentur. Præterea id peculiare comparebat, quod musculosæ partes, quæ in naturali statu externam ossis femoris superficiem obtegunt, mutato hoc situ, discesserant ad internam superficiem, adeo ut externa non nisi fascia lata cuteque obtecta videretur. Derivare licet hoc phænomenon exinde, quod musculi hi, fixo insertionis puncto orbati, ex perpetuo ægri, ob ulcus super trochantere femoris dextro obvium, in latere sinistro sita, proprio pondere sensim discedebant ad interiorem, simulque hoc in situ, inferiorem regionem.

XV.

Durante hac curatione æger colore semper florido gavisus, aliquoties febricula corripi cœpit ; quæ cum partim ob perpetuam, eamque optimam ciborum appetentiam, absente enim motu corporis, partim ob conjunctum plenum & magnum pulsum à plethora derivaretur, semper V Sectione ; & dato insuper leni laxante fuit debellata.

XVI.

Erat denique, consolidato penitus femore in eo, ut cogitaretur, pedem artificialem apponere, eoque fine prominentem ossis portionem serra auferre : cum præter omnem opinionem citra causam manifestam in febrim incideret vehementissimam. Cum hac se ostendebat tumor inflammatorius in inguine dextro. Impediri haud poterat, quin hic tumor abiret in suppurationem ; & quum lanceola aperiretur, prodiit insignis bene cocti puris quantitas. Quod ex ipsa abdominis cavitate scaturire videbatur ; presso enim paululum abdomine largissimum pus e vulnere propullulabat.

XVII.

Huic abſceſſui aperto conjuncta manſit febricula lenteſcens cum appetitu proſtrato, ſomnoque interrupto per tres fere hebdomades. Accedebant per intervalla ſingultus, ac motus convulſivi cum pulſu intermittente, tanta vehementia, ut in agone conſtitutus æger, ne per horulam quidem adhuc vivere poſſe, videretur: at aliquoties hæc ſymptomata ita ſuperabat æger, ut novas recuperare vires ac triumphum ſuper morte ducere crederetur. Tandem vero aliquando vi morbi ac diuturnitate ſuperatus, d. 17. Maii inter motus convulſivos exſpiravit.

XVIII.

Sequente die, præſentibus Viris Celeberr. *Schaarſchmidio*, *Caſſebohmio*, qui ipſe corpus diſſecuit accuratiſſime, & D. Prof. *Pallas*, ſectio corporis inſtituebatur, & primo quidem femoris detruncati conditio inveſtigagatur, ubi ſequentia notatu digniſſima ſe conſpicienda præbebant:

(1) Integumenta cutanea tumore œdematoſo erant inflata, adeo, ut iis inciſis, & a ſubjecta carne undique ſeparatis, ſeri ſubflavi copia inſignis effluxerit.

(2) Separatis integumentis & ablata inſiumul faſcia lata partes muſculoſæ nihil præternaturale exhibebant, niſi quod mutato naturali ſitu, omnes à regione externa femoris oſſis ad internam diſceſſerant, & inferius prominentem oſſis portionem circum circa arctiſſime amplexæ erant.

(3) Nervi majores ſub cute ſuper muſculos decurrentes tumefacti erant, ac duplo craſſiores quam ſolent; ſerum enim intra eorum ſubſtantiam continebatur copioſum, quod iis compreſſis largius exſtillabat. Diſciſſis tranſverſim iis, oculis patebat clariſſime, quod innumeris fibris ac vaſculis, etiam rubicundis, hic ſanguiferis conſtabant, quæ ſubſtantia quadam ſpongioſo-celluloſa, ſero turgida invicem velut connectebantur. Exterius incumbebat his nervis hinc inde ſerum acre, à quo variis locis arroſi, rubedinem præternaturalem contraxerant.

(4) Vena cruralis una cum omnibus ramis juſto amplior atque tunicis præter ordinem craſſis robuſtiſque inſtructa, intus cruore nigro ac coagulato plena videbatur.

(5) Arteria cruralis deſcendebat ad finem partium cutaneo-muſculoſarum, inferius circa os adhærentium, ibidemque in obtuſum apicem deſinebat, qui ſacci inſtar ne minimum quidem ſtylum tranſmittebat, adeoque omnino erat impervius. Diſſecta ab origine ad finem uſque, præter arteriarum morem, copioſum ſanguinem continebat, & præterea hinc inde concrementa quædam membranacea inſtar polyporum fovebat. Quæ cum curatius examinarentur; apparuit, quod interna arteriæ tunica à reliquis

liquis discesserat, adeo, ut quibusdam locis cohæreret quidem cum reliquis tam laxe vero, ut digitis facillime separari potuerit; aliis locis vero plane separata erat, & in dicta incrementa coiverat.

(6) His investigatis resecabantur omnes partes molles pro osse examinando. Simulac vero musculosæ partes circa ossis femoris articulationem erant dissectæ: En! totum hoc os sponte ex acetabulo prolabebatur. Causa patebat facile, namque capsulare pariter ac sic dictum teres ligamentum, putredine exesum erat consumptumque; & ipsa acetabuli cavitas, substantia quadam spongiosa ultra dimidium repleta, quæ caput ossis femoris jam e sede sua extra limites hujus cavitatis propulerat. Os ipsum ubivis carioſum apparebat, à capite, cujus cartilago erat omnino consumpta ad finem usque ubi serra ablatum fuerat, nisi quod portio ejus extra musculosas partes propendens omni labe careret, ac durissimum firmissimumque instar calli ossei ibidem os conspiceretur: ab illo autem puncto, cui caro adhærebat ad caput usque plurimis locis carie plus minus invalescente, se conspicuum præbebat, exceptis nonnullis, iisque paucis locis, quibus periostium adhuc annexum erat.

(7) Relictis extremitatibus, abdomen aperiebatur: quo facto statim comparebat in cavitate pelvis dextri lateris, prægrandis abscessus, qui externe in regione inguinali apertus erat, & insignem puris quantitatem continebat. Vicinæ huic apostemati partes, maximeque intestina ex parte arrosa & inflammata, partim vero gangræna erant infecta: reliqua imi ventris viscera omni vitio carentia reperiebantur, præter splenem quodammodo inflatum ac justo molliorem.

(8) Thorax præter omnem opinionem peculiare fovebat vitium, sterno enim separato, dextra pectoris cavitas una cum contentis visceribus, nihil quidem exhibebat, quod præternaturale potuisset dici, at sinistra primo intuitu tanta seri subcruenti quantitate erat inundata, ut præ mole aquarum nihil viscerum nec pulmo nec cor in conspectum prodiret. Evacuatis aquis, quæ ad minimum trium mensurarum quantitatem implebant, cor pericardio rite incluſum apparebat, pulmonis vero parvum vestigium in superiori thoracis parte reperire licebat. Exemptus hic parvus pulmo, qui vix ovi gallinacei magnitudinem adæquabat, liber erat ab omni vitio, induratione, ulcere, scirrho; sed densissima erat substantia, ac tanta gravitate pollebat, ut non solum totum dextrum lobum, mole longe ac sextuplo fere majorem perfecte adæquaret, verum etiam aquæ injectus fundum peteret, more pulmonum, quos aër nondum implevit. Nonne igitur hic parvus pulmo haberi potest pro toto sinistro lobo, ab aquarum in pectore collectarum mole sensim compresso, in minus spatium redacto, contracto? Hinc enim gravitate æquabat lobum dextrum & in aqua petebat fundum. Verum cur in tanta thoracis læsione, in tam præternaturali viscerum statu æger in vivis nec tussi, nec asthmate, nec aliis symptomatibus, quæ alias thoracis morbos comitari solent, fuit vexatus? inquirant

Landesbibliothek Oldenburg

alii. Mihi supereſt, ut deſcripto ample ſatis de non cruenta amputatione caſu, jam ex principiis medicis deducam, quomodo fieri poſſit, ut amputatio ſine hæmorrhagia contingat.

---

§. I.

NOtum inter omnes eſt, quod ſub amputatione majorum membrorum omnes amputandi membri partes molles hinc etiam vaſcula minima haſce partes tranſeuntia, quin etiam vaſa majora arteriæ & venæ tranſverſim diſſecentur. Ergo vi circuli ſanguinis neceſſarium eſt ut ſequatur hæmorrhagia. Quamobrem etiam tantæ in amputationis operatione & in applicatione torculi item in deligandis vaſis adhiberi ſolent a chirurgis cautelæ. Quare meum *de amputatione non cruenta acturi*, erit, prius perveſtigare leges illas motus ſanguinis circulatorii, propter quas, inciſis vel diſſectis vaſis, cruoris effluxus inevitabilis eſt; tum vero progredi ad conditiones, quibus præſentibus, diſſectis licet cum venis tum etiam arteriis, nulla tamen contingat hæmorrhagia, vel ſaltem retardetur inſigniter; & tandem in ſpecie, quænam in præſenti caſu non cruentationis fuerunt & obſervari potuerunt cauſæ allegare, explicare.

§. II.

Sanguinem ex corde per totum corpus continuo moveri atque rurſus redire ad cor & per experimenta *Harveana Exercitat. Anat. Exerc. l. c. 9.* nec non Illuſtr. *Fr. Hoffmanni* Medic. rat. Syſt. T. I. p. 104. evictum habemus, & per cultiora microſcopia in variis piſcibus & inſectis videmus. Neque motu deſtitui potuiſſe ſanguinem inde conſtat, quod quieſcens, propter diverſiſſimæ indolis partes conſtitutivas mox coaguletur vel putreſcat. vid. Illuſtr. *Fr. Hoffm.* l. c. p. 102. Præterea calor naturalis, ſine quo vita conſiſtere nequit, maxime ab eo dependet. Calor namque ad mentem Celeberr. *Hambergeri* oritur à reſolutione partium ſulphurearum ſanguinis per ſalia; quæ non agunt niſi fluido quodam ſolvantur & cum partibus in quas agere debent, ſeſe contingant; in quieſcente vero ſanguine talis contactus non evenit, quia promptiſſime partes eum conſtituentes tum à ſe invicem ſecedunt: quare opus fuit ut hæ partes & ſolventes & ſolvendæ, verſus ſe invicem impellantur, h. e. ut totus ſanguis moveatur.

§. III.

Viæ per quas & in quibus movetur ſanguis aliæ non ſunt, quam cor, arteriæ & venæ. Cordis ſtructuram ampliſſime delineatam nobis exhibet, ex

ex præſtantiſſimorum noſtr. ævi Anatomicorum numero *Winslowius dans l'expoſition Anatomiq. du C. H. T. IV. p.* 294. *ſeqq.* ex quo brevibus quantum ad meum pertinet ſcopum, ſequentia huc allego. Conſtat hoc viſcus muſculoſum conicæ fere figuræ duabus cavitatibus ſeu ventriculis, quorum alter dexter vel potius anterior, alter ſiniſter ſive poſterior ob ſitum naturalem vocatur. Quilibet conflatur propriis fibris, quæ mutuo ſeſe contingentes conſtituunt ſeptum illud carneum, quo uterque diſtinguitur. In ſuperficie ventriculorum interna multæ deſinunt in prolongationes carneo tendinoſas, *columnas* vocatas. Siniſter tamen ventriculus pluribus numero fibris conflatur quam dexter, unde etiam denſiorum parietum, robuſtior, minoriſque capacitatis eſt præ hoc in ſui cavo. Habet & id peculiare ſiniſter ventriculus, quod ſtratum fibroſum, quo intima ejus inveſtitur cavitas, propagetur ad externam totius cordis ſuperficiem, idque adeo obvolvat, ut commune utrique ventriculo involucrum videatur. Omnium cordis fibrarum ſeries eum ſervant ordinem, ut aliæ à dextro ad ſiniſtrum, aliæ ab hoc ad illud latus oblique, rurſus aliæ eæque plurimæ tranſverſim ſeu circulariter decurrant. Quivis ventriculus in cordis baſi duobus præditus eſt orificiis, quorum in ventriculo anteriore, uni auricula dextra cum vena cava, alteri arteria pulmonalis; in ventriculo poſteriore, uni auricula ſiniſtra cum vena pulmonali, alteri arteria magna ſ. Aorta dicta reſpondet. Sunt autem auriculæ ſacci carnei, quorum fibræ duplici ſtrato, obliquitate oppoſita decurrunt, in modo dictis locis cordis reperibiles, ob figuram, quam cum aure canina ſimilem fere habent, ita appellatæ. Sicuti cognomine *dextræ & ſiniſtræ* ita etiam capacitate cavitatis ſuæ & molis externæ, in hac minori, in illa majori, cum cordis ventriculis conveniunt. In ventriculi anterioris orificio auriculam reſpiciente *tres* propagines expanſæ membranoſo-tendineæ ab officio & figura, *valvulæ tricuſpidales* dictæ, & in ſiniſtri ventriculi eodem orificio *duæ mitrales* nuncupatæ adſunt, quæ in cava cordis propendentes, laxe cohærent cum columnis carneis; ſtructura ſua omnibus id teſtantibus experimentis, ſanguini acceſſum ex auriculis ad cor, minime regreſſum ad illas concedunt, quin potius tum occludunt orificia. conf. *Boerhave Inſtit. med.* §. 104. *ſeqq.* Arteriarum quævis & pulmonalis & aorta ad ſui in cor inſertionem tribus productionibus aliquantiſper excavatis, membrana duplici & intermedio ſtrato carneo-fibroſo conſtantibus gaudet, quæ *valvulæ ſemilunares*, ab officio & figura audiunt, ac verſus cor convexæ verſus arterias autem concavæ apparent. Ope earum ex corde quidem in arterias non vero contra in cor ſanguini datur via. Hanc cordis ſtructuram in Celeberr. *Caſſebohmii* demonſtrationibus artificioſiſſimis Berolini habitis videre, eoque omni honoris cultu proſequendo Præceptore, mihi ipſi perſcrutari licuit.

§. IV.

Arteriarum fabricam nobis suppeditat *Heisterus in comp. anat. p. m.* 156. Constant eædem quinque sibi invicem superstratis tunicis. Prima & externa est vasculosa; 2*da* cellulosa, 3*tia* tendinea, 4*ta* musculosa, denso fibrarum annularium strato constans, 5*ta* & intima nervea; quæ unitæ constituunt canalem sat robustum in cadaveribus non concidentem licet vacuum. Quotquot in nostro corpore deprehenduntur arteriæ, omnes proveniunt ex duabus primariis aorta scil. & pulmonali. Hæ namque mox à prima ex corde origine varios, & quo magis ab hoc secedunt eo plures emittunt ramos, qui iterum in plures abeunt ramusculos semper trunco ex quo oriuntur minores, donec tandem in minutissimas tenuissimasque disseminentur ramificationes visum fere effugientes, tamque numerosæ, ut vix ac ne vix quidem in mollibus solidis detur punctum, quod non attingant. Quo magis a corde distant ac in diametro imminuuntur, tanto magis etiam tunicarum crassities ac robur decrescit. Tandem tenuissima membrana progredientes format canaliculos, qui in quantum adhuc sanguinis transitui sunt pares, plures in unum sensim confluunt, fiunt pedetentim ampliores & venæ audiunt; in progressu accedentibus ad se pluribus incrementa amplitudinis capiunt, horum plures, pro vario ad se rursus accessorum numero & mole novum ac diverse magnum conficiunt ramum, idem continuo repetunt, usque dum omnes finiantur in duos maximos truncos venam nempe cavam & pulmonalem, quæ proxime ad auriculas amplissimæ, sacci dicuntur venosi atque in hasce hiant. Sic nulla in toto corpore est vena ex arteriarum finibus orta, quæ non terminetur ultimato in horum alterum, adeoque cum arteriis referunt canales incurvatos ex corde incipientes, & in id ipsum desinentes. Cum auctiore venarum diametro, augetur etiam crassities earundem; sed nunquam eam, quæ arteriis est, assequuntur firmitatem, sive robur sive tunicarum spectes numerum. Tres tantum earundem, easque multo tenuiores quam arteriarum hactenus detexit Anatome testante *Heistero l. c. p. m.* 161. membranaceam scil. vasculosam & musculosam. Hæc ultima tamen in saccis venosis tantam recuperat crassitiem, ut distinctiores visui præbeat fibras carneas. Præ arteriis id præterea singulare habent venæ, quod omnes fere, excepta pulmonali & portarum, variis in locis, maxime ubi ramificationes angulos formant, valvulis sunt instructæ, versus cor mobilibus & aperiundis, versus suas origines autem sanguini retrogredienti iter occludentibus.

§. V.

Cor & auriculæ cum quoad totam sui compagem sint corpora musculosa, & arteriæ quoque distinctis gaudeant fibris musculoso tendineis; tales

vero

vero tenſæ maxime ad priſtinos redire terminos nitantur, & cauſa extendente imminuta ſeſe contrahant i. e. ſint elaſticæ, ſequitur cor, auriculas atque arterias, tenſionis ſibi illata vi, ad ſui contractionem eſſe aptas. Cordis fibræ ventriculos firmantes, partim dupliciter oblique, ſeque decuſſando, partim circulariter tranſverſim ſunt ſtrata (§. 3.) quare ſub contractionis ſtatu, obliquæ cordis apicem baſi propiorem reddere, circulares autem in cavo, quod formant, propius ad ſe accedere debent. Utroque hoc actionis modo ventriculi cordis admodum imminuuntur, eo magis, quod utraque ſimul fiat. Fibræ auricularum conſtrictæ, quia obliqua directione duplici ſibi contraria ſaccos cavos conſtituunt, omnes earundem extremitates ad baſin attrahent, ergo etiam non poſſunt non ſuam arctare capacitatem. Arteriarum muſculares fibræ [*a*] circularem agnoſcunt directionem (§. 4.). Tales contractæ in cavitatis ſuæ diametro ſibi appropinquantur, conſequenter hic imminuitur, quare arteriæ quoque gaudent vi ſuum anguſtandi canalem. Fibrarum circularium conſtrictio ſive contractio, reſpectu ſuæ cavitatis imminutæ mechanicis audit compreſſio & triplo major eſt conſtrictione, (per princip. mechan.) adeoque tanto majoris cavitatum dictarum imminutionis docet poſſibilitatem. Quæ etiam quam arctiſſime fiat, per Anatomica patet experimenta & teſtante Illuſtr. *Fr. Hoffm.* & *Herrm. Boerh.* tanta abſolvitur violentia, ut vivi animalis cor abſciſſo mucrone, immiſſum in ejus cava digitum majore afficiat preſſione, quam quæ unquam à forti manu expectari poteſt. Eadem & arteria majoris ordinis præſtat, & de auriculis analogice concludendo non abſimile valet. *Conſtrictorio-compreſſoria* hæc actio *ſyſtoles* nomine inſignitur. Eadem quoque experimenta docent, ſyſtolem cordis auricularum & arteriarum breviſſimæ eſſe durationis & mox commutari cum alio ſtatu, qui in relaxatione omnium fibrarum conſiſtit, & impetuoſe cor elongatum, auriculas arteriaſque tumentes, & ſic cavitates ab iiſdem factas ampliores reddit, quæ earum conſtitutio *diaſtole* appellatur, nec minus hanc & ſyſtolen continuo & momentanee ſibi invicem ſuccedere, eo ordine, ut cordis ſyſtole & arteriarum auricularumque diaſtole eodem ſemper fiant momento, & vice verſa harum ſyſtole cum diaſtole illius. In venis manifeſtas adeo expanſiones & conſtrictiones nullatenus fieri, omnium experimentis conſtat, ſed ſub eodem caloris gradu in dato corpore, eamdem expanſionis ſervant diametrum. Nec propter debile magis & fibrarum & omnium tunicarum ſimul ſumptarum robur ad eum elaſticitatis gradum ac in arteriis eſt, pares exiſtunt. Interim tamen tenſæ & ad reſiſtendum ſanguini aptæ ſunt. Sed auctiori in ſaccis venoſis muſcularium fibrarum numero ſuas non abjudicamus vires.

§. VI.

[*a*] *A potiori hic facimus denominationem, partim quod hæc tunica craſſior ſit præ reliquis, partim quod ad arteriarum actum anguſtantem, quem experientia fieri docet, circulares fibræ maxime requiruntur. Interim reliquas non excludimus, utpote adjuvantes & muſcularium fibrarum inſertioni atque firmationi ſervientes eas exiſtimamus.*

§. VI.

De vasis arteriosis atque venosis brevibus ex anatome adhuc notamus.

1. Arteriis omnibus ab arteria aorta productis, venas ex eisdem ortas eisque proxime adjacentes majoris semper esse diametri in æquali à corde distantia.

2. Arteriarum & venarum ramificationes, minores tamen in illis ast in hisce majores etiam, quam plurimas ubique admittere Anastomoses, adeo ut sanguis ex uno ramo arterioso in alterum, it. ex una vena in venam aliam per laterales ac obliquo canales transfundi libere possit. In venis hoc ipsum vel solo visu constat; in arteriis autem docet experientia. Nam post deligationem arteriæ brachialis in aneurismatis operatione vel alia ratione vulneratæ, plerumque remanet tamen manus extremæ nutritio. Sæpius insuper in vulneribus ex dissectæ arteriæ utroque osculo sanguinis effluxus videtur.

3. Omnia hæc vasa in statu integro sanguine esse repleta.

De sanguine ipso, id unicum in anteceſſum monemus quod sit fluidum elasticum i. e. tale quod compressum & in minus spatium coactum, cessante vi premente rursus expandatur, & sub eodem pondere majorem acquirat molem. Prouti hoc Celeb. *Hambergerus* evidentissime docet, & ex venis amplioribus multo quam arteriæ sunt (n. 1. h.) patet.

§. VII.

Sic motus sanguinis (§. 2.) vi structuræ cordis ventriculorum eorumdem orificiorum, horum arteriarumque valvularum (§. 3.) nec non vi nexus arteriarum cum venis (§. 4.) aliter fieri nequit, quam ex vena cava & auricula dextra in ventriculum dextrum, ex hoc per arterias & venas pulmonales auriculamque sinistram ad ventriculum sinistrum ex hoc per aortam ad omnes corporis partes, & hinc tandem per systema venosum quod in venam cavam terminatur, denuo ad cordis ventriculum dextrum. Omnes vero fluidorum possibiles motus per datos canales fiunt vel ex proprio pondere, vel ex aliorum corporum impulsu. Ad prius requiritur, (1) canalium immobilis firmitas in parietibus, (2) eorum longitudo diversa, nam sub eadem altitudine constituta liquida sunt in æquilibrio & quiescunt. (per princip. hydrost.) Ad posterius requiritur (a) capacitas quædam, datam fluidi quantitatem continens (b) vis liquidum hoc movens, i. e. actio major, quam omnimoda datur resistentia (c) via aperta qua fluidum motum pro diversa sibi illata vi, vario cum impetu ac celeritate egredi queat. Hæc quo pateant clarius & magis determinate ut loquar, liceat mihi unicum idque domesticum allegare exemplum, antliam nempe pro extinguendis incendiis familiarem (*eine groſſe Feuer-Spritze*) in & ex qua

qua validiſſimi aquæ fiunt motus. Reperitur in hac vas aquam admiſſam continens; vires in hanc exercet embolus deorſum preſſus; tubus vaſi connexus, hoc modo fluido moto largitur egreſſum. Et perinde eſt, num actio hæc ope emboli an vero alia ratione abſolvatur, modo capacitate arctata, fluidum ad huic ſimilem arctationem ſ. condenſationem ſubeundam impar, data via progredi cogatur. Cum itaque vaſa ſanguifera arteriæ & venæ eandem cordi affixa habeant altitudinem & longitudinem, atque canales ſint flexiles, hoc vero repugnet requiſitis (n. 1. 2. h.); ſanguis ex proprio pondere ſolum moveri non poterit. Ergo movebitur impulſu aliorum corporum, quæ vero alia hic eſſe non poſſunt quam ejus vaſa (§. 3. 4.) Et hæc cum requiſitis (a)(b)(c)(h) collata optimam admittunt applicationem. Cordis enim ventriculi relaxati conſtituunt capacitates, ſanguinis certam quantitatem admittentes; muſculi cordis ſunt elaſtici (§. 5.) ergo conſtricti vim exſerent eam movendi; & arteria in quemvis ventriculum patens erit via, qua motus ſanguinis ulterius progredi poſſit.

§. VIII.

Sanguis igitur venoſus auriculas replens, haſce extendit, hæ tenſæ cum propter elaſticitatem ſeſe contrahant, (§. 5.) vehementer eum prement in cordis ventriculos patentibus tum valvulis tricuſpidalibus & mitralibus, (§. 3.) ut *copia* & *impetu* ventriculos extendat, & in contractionis niſum hiſce reſpondentem collocet; & cum impetus ab auricularum conſtrictione momentanea ſit actio momentanea tantum & mox remittens, tenſæ fibræ ventriculorum, ob unam vim imminutam, promptiſſime ſeſe conſtringent. His vehementiſſime conſtrictis (§. 5. in fin.) ſanguis contentus (ut cum Illuſtr. *Fr. Hoffm.* loquar) validi emboli inſtar preſſus, & impedito dictis valvulis ad auriculas regreſſu, patentibus vero ſemilunaribus (§. 3.) in arterias velociter protruditur. Arteriæ, cum nunquam in vita prorſus evacuentur (§. 6. 3.) per novum ſanguinis *impetuoſum* acceſſum, replebuntur magis, extendentur & eadem ac in corde eodem fere modo fient. Ergo & harum conſtrictione acceptus & contentus ſanguis per tenuiſſima vaſcula extrema earum conſtrictione & compreſſione agetur, venas ſenſim ampliores influet, hiſque contentum ad auriculas promovebit, &, ut experientia quidem docet (§. 5. in fin.) placido ſub eadem venarum amplitudine, magis motu. Adauget hunc motum ſanguis ſua expanſione. Compreſſus enim in arteriis, venas ut ampliora vaſa ingrediens, propter elaſticitatem (§. 6.) ſuam in majores terminos ſeſe expandere nitetur, & eo maxime tendet ubi minor reſiſtentia, hæc eſt ubi vaſa ſunt ampliora, ergo vi expanſionis ſuæ verſus hæc, conſequenter & verſus cor maxime movebitur. Cum ergo per has æqualiter ſemper in ſaccos venoſos uſque progrediatur, tempore conſtrictionis auricularum in ſaccis venoſis neceſſario aliqua fieri debet accumulatio, atque horum tanto etiam tenſio major; ut cum & hi conflati ſint inſigniori muſculoſo

ſtrato (§. 4. 5.) majoreque conſtrictionis gaudeant vi, ſanguinem auriculis tanto etiam majori impetu impellent, quanto fuit tenſio major. Impetus vero non eſt in eodem gradu continuus, nam accumulatio per conſtrictam auriculam ſolum fiebat) ergo remittens, ut in corde, ſic etiam hic fibris tenſis ad ſui conſtrictionem compreſſionemque dat locum, hæc ſanguinem rurſus cordis ventriculis infundet, unde in hiſce modo recenſita rurſus fieri, & dicti effectus per totum ſyſtema vaſculoſum produci & tamdiu continuari debent, quamdiu & ſanguis congruam quantitatem qualitatemque & vaſa eum ferentia, juſtum robur conformationemque habent.

§. IX.

Dum ſub cordis ſyſtole arteriæ tantopere diſtendantur (§. 8. 5.) reſiſtentia in arteriis extremis, ſanguini moto, major eſſe debet ea, quam arteriarum parietes præſtare poſſunt. Hæc quæcunque fuerit, tardiore cum motu ſanguinis conjuncta erit. Non vero alia eſſe poteſt, quam anguſtia vaſorum extremorum & ſanguinis (qui natura ſua eſt liquidum denſum ſeu viſcidum) pondus atque compreſſio. Anguſtia vaſorum præſupponit diviſionem vaſorum majorum in minora, numero plura, talis diviſio auget ſuperficies, tam in vaſis quam in ipſo ſanguine hæc tranſeunte. Auctæ ſuperficies plura ſanguinis cum vaſis contactus efficiunt puncta, hic quo pluribus in punctis contingit, eo majorem efficit ſanguinis ad vaſa adhæſionem. Cum igitur motus ſanguinis debeat fieri ſecundum impetum cordis per vaſa, adhæſio autem hic ſit actio fluidi in vaſorum parietes, non poterit non fieri tardior ſanguinis motus in extremis, & ideo eidem arteriarum truncos influenti, reſiſtentia. Pondus ſanguinis reſiſtentiam dare poſſe, nemo negabit, cui notum eſt ſanguinem ceu fluidum grave diverſis & plurimis in locis per venas ſurſum verſus moveri; in quibus ergo contentus augebit reſiſtentiam anguſtiæ. Compreſſio ſanguinis auget dictam in minimis reſiſtentiam, quia fluida preſſa agunt quaquaverſum, atqui ſanguis, ut corpus elaſticum (§. 6.) in arteriis compreſſis, ampliora venarum vaſa ingrediens in ſui expanſionem nititur, venarum vero parietes gaudent vi eidem reſiſtendi (§. 5.) adeoque tantam ejus non admittunt expanſionem, quæ fieret, nulla prorſus præſente reſiſtentia, i. e. eum comprimunt ſub hoc ſtatu, ſi quaquaverſum, neceſſario etiam verſus arteriarum fines aget, reſiſtentiamque in iiſdem augebit. Ne ergo ob tanta liberi transfluxus impedimenta continuo præſentia ſanguinis motus penitus ceſſet, neceſſe fuit, ut arteriæ ſyſtolem perficiendi gauderent potentia, & ad hanc perficiendam ſufficienti robore h. e. tunicarum craſſitie & numero inſigniori ſint inſtructæ. Quæ in venis, quoniam ampliorem ſemper in progreſſu admittunt diametrum tanto facilius abeſſe poſſunt.

§. X.

§. X.

Collatis ergo inter se, quæ sanguini in diversis vasis fiunt, patebit, quod (1) in arterias fortissima vi cordis impellatur, & cum ea, quæ in iisdem jam præsens est portione, ab hoc impulsu nondum ad venas propulsæ, violentam sui efficiat commotionem maximumque expansionis nisum; (2) in iisdem per vim arteriarum constrictoriam in tantum comprimatur, in quantum resistentias (§. 9.) habet, & in tantum etiam de novo in expansionis nisum perducatur, (3) hæc omnia in arteriis minoribus à corde remotioribus tanto minori in gradu fiant, quanto, cum decrescente sensim tunicarum crassitie (§. 4.) minor fiat earundem systole ac diastole, atque cum distantia à corde augeantur resistentiæ adjacentium partium & (§. 9.) (4) in arteriis extremis capillaribus systole ac diastole plane destitutis, & propter causas (§. 9.) tardius moveatur. (5) in venis moveatur (respectu moræ transitus) eadem celeritate quam in arteriis, quia tanta semper in copia cordi advehi debet, quanta ex hoc ejicitur, minime vero eo, quo in arteriis impetu, ob harum cordisque systolen & resistentias (§. 9.)

§. XI.

Ex dictis hactenus & præsertim (§. 9. 10.) constat, sanguinem ubique vasis inclusum in continuo expansionis nisu servari, atque in omni sui motus directione resistentias ac compressiones, pro vasorum diversitate diverso in gradu, varias habere. Cum igitur fluida versus omnes plagas æqualiter agant, & sibi licet relicta i. e. quiescentia ac nulla vi impulsa, maxime eo dirigantur, ubi minor est resistentia; tanto magis eo tendent, si in motu constituta sunt: & sublata eadem penitus in quocunque loco, tanto impetu per hunc effluent, quanta & celeritas eorum motus & reliquæ sunt resistentiæ. Facta ergo in vasorum sanguiferorum quodam puncto resistentiæ sublatione per incisionem vel quorundam dissectionem, effusio sanguinis necessario fieri debet, in arteriis maximo, in venis minori, in harum illarumque extremitatibus subtilissimis minimo cum impetu pro iis, quæ in quibusvis fiunt sanguini (§. 10). Eadem ob causas hæmorrhagiæ arteriarum difficillime, venarum reliquorumque vasorum minorum facilius compesci possunt. Experientia omnia dextre testatur.

§. XII.

Instituti ratio nunc etiam exigit progressum ad præter naturales eas causas, sub quibus ex dissectis actu vasis profluens cruor retardetur vel plane sistatur. Generatim consideratæ eæ contrariæ & prævalentes esse debent illis, quæ motui in vasis & extra vasa (§. 10. 11.) opitulantur. E vel deficiens im-

pulsus, vel huic, naturali etiam major in parte læsa resistentia, per accidens vel à præternaturali partium constitutione producta. Harum ergo species & applicationem, primum ad venas, & tum etiam ad arterias brevibus perscrutari lubet. *Impulsus*, qui à corde & arteriis fit (§. 10.) & in venis quoque progressus sanguinis causa est, imminuitur vel ad momenta aliquot plane supprimitur, per lipothymicos vel syncopticos affectus qui Auctore Illustr. *Fr. Hoffm. med. rat. Syst. T. IV. P. IV. p.* 246. in systoles cordis & arteriarum imminutione vel plenaria cessatione consistunt. Quare non infrequens est observatio, quod vena in sensibilioribus subjectis secta & bene etiam incisa, accedente lipothymia, intentata sanguinis eductio vel plane non, vel paucissima succedat. *Resistentias* impulsui *majores* efficere possunt, *compressio*, *constrictio* & *obstructio* dissectarum venarum. *Compressio* fit, si sanguis intra cutem & subjacentia colligatur, ut sauciatum vas comprimat; aut si ipsæ circumjacentes partes ob multifarias causas eo usque cito intumescant. Utrumque frequentius occurrere iis constat, qui sæpius V S.nibus interfuere, vel ipsimet easdem instituere. In vulneribus idem producitur, si eorundem labia multum à se invicem secedant, sub tali enim statu vulgo tumore huic effectui pari afficiuntur. Hac ratione etiam *ea* fiunt, *quæ chirurgica manus spleniorum applicatione* perficit. *Constrictio* disunitarum venarum hæmorrhagiam præoccupans fieri potest vel ex *animi affectibus*, cum extremorum spasmo conjunctis, (quo *terrorem* potissimum cum Illustr. *Hoffm.* l. c. T. II. p. 159. seqq. referimus,) qui eo certius id præstabunt, quo magis constans est experientia, quod spasmodicus eorundem effectus, in partibus quomodocunque afflictis maxime sese manifestet. Vel propter *aërem frigidum*, qui omnes ad quas libere accedit partes strictiores reddit, atque hanc suam vim, æque ac adstringentia irritantiaque, maxime in partes cute denudatas promptius exercet. Assertum experientia stabilitum vidimus exemplo studiosi cujusdam, Regiomonti Poruss. hyeme 1735ti anni; qui in dextræ manus dorso vulneratus parcissimam, eamque ipso læsionis momento tantum sentiebat hæmorrhagiam, postea vero in calidum conclave delatus vehementissimam patiebatur.

§. XIII.

Obstructio incisis in venis facta dictorum effectuum causis merito annumeratur. Quem enim fugit sanguinem ex VSecta optime salientem, sæpius citra manifestas causas cito subsistere, & facta vulnusculi tepida aqua abluitione, ejusdem fluxum quandoque denuo invitari, quandoque vero nulla arte elici posse. Tumque in hoc casu, si nulla hactenus dictarum intervenerit causa, oculi obturationem adjacente pinguedine, in illo vero sanguinis coagulo, pro fundamento agnoscit. Ultimum hoc in vulneribus etiam evenire, nihil obstat quod contrarietur. Quinimo multa medicamenta eodem modo hæmorrhagias sistunt, ideoque coagulantia appellantur. *conf.* Celeberr. *Juncker. conspect. chirurg.* T. LIX. p. m. 405. Omnia hic dicta venarum parietum ten-

tenuitate (§. 4.) innumeris Anaſtomoſibus (§. 6. n. 2.) & ſanguinis adfluentis imminuta copia in trunco, ad quem diſſecta vena tendit, ad modum ſublevantur. In quantum enim ad hunc ob diſſectum unum ramum minor accedit ſanguinis quantitas, in tantum per reliquos adfluenti imminuitur reſiſtentia, & in tantum etiam celerius per eoſdem movebitur; & ſi hæc aucta celeritas nondum ſufficit eodem temporis ſpatio eandem ſanguinis quantitatem ampliori trunco advehendi, in partem veniet tenuitas venarum, cum vulnerata reliquiſque per quam plurimas anaſtomoſes junctarum & ad eundem truncum tendentium, utpote ab eodem impulſu multo facilius expanſionem admittentium, quam ſuperari poſſit ulla dictarum reſiſtentiarum. Et ſic hæ numero pauciores aſt ampliores, cum celeriori inſimul motu ſuſtinebunt vices in promovenda eadem quantitate, quæ deferebatur ſauciatis adhuc integris & reliquarum diametro minore. Ab hiſce venarum vulneratarum hæmorrhagiis earumque interceptione, ſicuti multum differunt ſpontaneæ ſanguinis promanationes per vaſcula lateralia arterioſa extrema dilatata fientes naturaliter; ita de iis neque nobis eſt ſermo, neque dicta ad eas applicata velimus.

§. XIV.

Ex disjunctis arteriis profluentis ſanguinis retardatio vel plenaria cohibitio pro vario ejuſdem in illis motu naturali (§. 9. 10.) varie conſiderari debet. De minutiſſimis enim earundem (§. 10. n. 4.) hiſque in ordine proximis minimum impetum inferentibus (§. 10. n. 3.) eadem, quæ de venis diximus (§. 12. 13.) ob eundem fere ſanguinis motum naturalem & anaſtomoſes valent. Sic etiam ramuſculi diſtinctiori ſyſtoles ac diaſtoles motu gaudentes penitus diſciſſi, ſi intra muſculos retrahantur [b] ab hiſce vel ſponte conſtrictis, vel arte compreſſis, ſaltuoſam ſanguinis protruſionem parcius, & brevi poſt plane non eructant. Temporiſque haut ita longo intervallo oſculorum concretionem nanciſcuntur. Longe vero alia res eſt illarum arteriarum, quarum magnitudo & robur violentiores & violentiſſimas admittunt commotiones. (§. 10. n. 1. 2.) Ex quarum apertura hic ad mortis uſque ſuperventum ejaculatur, & nulla fere alia arte compeſcitur tuto, quam facta per filum forti deligatione. In hiſce ergo ad hæmorrhagiam retardandam vel ſupprimendam, maximi requiruntur gradus generalium cauſarum, (§. 12.) reſiſtentiæ nimirum augmenti & impulſus imminutionis. E. plenarius ſyſtoles ac diaſtoles defectus, vel in arteriis ſauciatis ſolis, vel in his & corde ſimul. Quod cum horum motuum in utriuſque ſimultanea ceſſatione vel vix ſenſibili præſentia conjuncta ſit hæmorrhagiarum in arteriis ſuppreſſio, vel retardatio, cognita ſanguinis motus ratione (§. 8.) per ſe patet, & lipothymiæ ac ſyncopes (§. 12.) Iiſdem ſupervenientes affirmant. Tale phænomenon ſub finem menſis April. h. a. in Berolinenſi

[b] *Hinc familiaris etiam chirurgis eſt encheireſis pro ſedanda hæmorrhagia*, inciſam *tantum arteriam penitus diſſecare.*

Nosocomio vidimus, præsentibus Celeberr. *Schaarschmidio* & clariss. D. Prof. *Pallas*. Amputabatur viro cuidam brachium sinistrum, quo ablato, cum quærebatur arteria, ut deligaretur, æger incidit in animi deliquium, sub quo relaxato paululum torculari, ne guttula quidem sanguinis stillabat ex aperta arteria. Simulac vero ad se rediret æger, sanguis magno cum impetu erumpebat. Æger ceterum post hæc bene valuit & brevi convaluit.

§. XV.

Systoles & diastoles in arteriis solis defectus, diverse pro diversis causis considerari debet. Absolvitur in statu naturali vi contractili fibrarum musculoso-tendinearum, (§. 4. 5.) & hac cessante deficit & illa. Hæc vero cessat, si vel tales obstent resistentiæ, quæ earum, licet integrarum, contractionem & dilatationem impediunt, vel si ipsæ fibræ sua privantur elasticitate. Prius contingit, si vel tota arteria, vel quædam ejus tunica osseam induat substantiam immobilem; posterius si vel paralysi afficiantur, vel gangræna aut sphacelo prorsus destruantur. Ponamus ergo arteriæ longam partem osseam factam, adeoque systole & diastole privatam, & aderunt effectus, quod (1) ab impulsu cordis minorem admittat sanguinis quantitatem, propter dilatandi impotentiam, quam in statu naturali, (2) quod eandem sua vi per extrema vasa propellere non possit; (3) ergo motus sanguinis in ea tardior erit, quam in venis: nam in his duplici impulsu movetur cordis scil. & arteriarum vi. Talis ergo arteriæ conditio omnino hæmorrhagiam retardare debet, si eadem discindatur. Dignissimam hujus rei observationem nobis exhibet Celeberr. *Schaarschm.* ex Dissert. D. D. *Kuhni de tendine Achyllis Disrupt. &c.* allegatam *im ersten Jahrgange der* Medic. *Nachrichten* p. 88. Amputabatur nimirum cuidam tibia, quo facto & torculo relaxato, levissime sanguis promanabat: Tertia ab operatione die primum referebantur, videndi vulneris ergo fasciæ, & nullus fere conspiciebatur. Perlustratio ablati pedis exhibuit arteriarum omnium tunicam intimam osseam, earumque cavitatem multo angustiorem, quam vulgo esse solet. Præterea insoliti phænomeni causa nulla alia reperiebatur.

§. XVI.

Generatim quidem, destructio fibrarum arteriæ musculosarum, cum inde dependente systoles abolitione sequenti ratione considerari posset. Quodsi arteriæ cuidam incipiens gangræna hanc sese constringendi impotentiam inferret, ita ut hæc, à læsionis initio, ad extremitates usque minimas se exsereret, integra tamen adhuc tunica intima; tunc, quia systoles arteriarum maxima est causa transitus sanguinis per harum extrema ad venas, (§. 8. 9.) sequentia occurrerent: (1) impeditus transfluxus sanguinis per vascula minima (§. 9.) ab hac arteria dependentia. (2) in hac magna resistentia, à cor-

c ordis vi influendo sanguini. (3) Hæ perdurante in minimis vasculis stasis totalis (propt. caus. §. 9.) eadem ergo & in majori eveniret arteria. (5) Ergo maxima à corde venienti sanguini resistentia; hinc idem (6) moveretur ad ea loca, ubi minor hæc est adeoque per vasa supra staseos terminum sita. (7) Ergo sanguis tanta stasi correptus, dissipatis tenuioribus liquidis in coagulum abiret, suumque vas arcte obstrueret; (8) omnis v. reliquus ac fluidus, per patentia adhuc vasa suum circulum absolveret. Si igitur talis arteria procul ab obstructionis termino dissecetur, solemnis alias hæmorrhagia nisi prorsus, ad tempus saltem inhiberetur. Et eosdem per omnia produceret effectus arteriarum paralysis.

§. XVII.

Specialius vero de provectiori gangrænæ ac sphaceli gradu, cum corrosione ac destructione omnium arteriæ tunicarum loquuturis, considerandæ erunt sequentia. Gangræna consistit in putredinosa sanguinis, sphacelus vero in tali hujus & solidorum corruptione. Non vero hæc aliter absolvitur quam per motum intestino fermentativum. Ejusmodi intestinus motus autem tamdiu non fit, quamdiu alius in eo est progressivus vel concussorius. E. præsupponit plenariam stasin prægressam, adeoque nullum circulantis (ut ita loquar) sanguinis ad se accessum. Tum vero, si in arteria majore hoc fieri debeat necessario, intercedere debet causa quædam commercium inter sanguinem sanum & corrupturum auferens. Experientiam consulentes practicam, edocemur etiam, sphacelosæ corruptioni nullatenus adfundi sanguinem. Occupat quandoque loca, quæ transeunt insignis magnitudinis venæ, uti v. gr. in suris. Ad summum gradum provectus, convertit has cum reliquis solidis in materiam volubilem mollissimam ad resistendum accedenti sanguini per vim cordis & arteriarum maxime imparem: sed non eliminatur sanguis. Quinimo incisiones in proximo sanarum partium, loco factæ, non eliciunt cruorem; sanies vero mox ad corruptas sectis, prompte superveniet. Omnia ergo confirmant mediastinum [c], qualecunque fuerit, inter sanam & corruptam partem. In arteria igitur quadam si generatur gangræna & sphacelus, totam ejus canalis peripheriam in dato puncto corrumpens, præcedens habebit sublatum sanguinis sani ad partem hac corruptione afficiendam, accessum. Facta ergo infra eundem, arteriæ dissectione, modo dictorum tenore, nulla comparebit hæmorrhagia. Et hanc etiam veram

non

[c] *Cujus conditionis hoc ipsum sit, evictum reddere non audeo. Probabile vero videtur, consistere tale liberæ affusionis impedimentum in constrictione vel coalitione arteriæ. Utrumque fieri posset, à tumore inflammatorio gangrænæ genesin præcedente atque majori; & posterius quidem si inflammati parietes vasis ad mutuum usque comprimantur contactum, quod si a pulmonum cum pleura concretione post pleuritidem veram vel peripneumoniam, analogice concludere liceat. Cum vero ob corruptam arteriam tanta stasis in venosis & arteriosis vasis ex hac oriundis adsit, non mirum est, si inchoata semel corruptio putredinosa citissimum maximumque nanciscatur augmentum.*

non cruentationis in noſtra amputatione agnoſcimus cauſam. Sphacelum vero adfuiſſe nobiſcum loquitur corroſa & poroſa arteriæ pars prima faſciarum reſeratione conſpecta. Nullius enim alius generis morbo, quantum rationalis medicina & chirurgia docent, ita afficitur, quam gangræna & ſphacelo. Ex venis hic disjunctis ob valvulas (§. 4.) etiam non potuit fluere ſanguis. E. fieri debuit *Amputatio non cruenta.*

§. XVIII.

Dubium adhuc cuidam videretur, gangrænam & ſphacelum primitive oriri poſſe in arteria ſanis adhuc adjacentibus tecta. Non leviſſimum eſſe dubium, ambabus largimur, nec, rariſſime hoc evenire, negamus. Verum enim vero & hic quod non ſperaſſemus, ante oculos poſitum habemus. Rariſſimas etiam ad obſervationes pertinet, ſphacelus partium muſculoſ. cute adhuc integra genitus, & ſub eadem in longum latumque proſerpens: aſt factum & hoc affirmat experientia. Teſtem habemus Celeberr. *Schaarſchm. im 2ten Jahrg. der* Med. *Nachr.* p. 408. ſeqq. Quidni ergo etiam in arteriis fieri poſſet æque ac in muſculis. Ceterum ſicuti omnes muſculoſæ partes corruptæ à ſanis ſeparari poſſunt à natura ſuppurationis ſuperventu; (conf. Caſ. n. III. & IX. in not.) ſic ab iiſdem cauſis eadem etiam in arteriis perficientur hinc & in noſtro caſu patet ratio, cur extractio arteriæ ad articulum digiti longæ atque corruptæ, tam facile ſucceſſerit. Et hæc de *Amputatione femoris non cruenta* hucuſque dicta ſufficiant. In æternum vero ſit & ſine

FINE.

QUÆSTIO

CXLII.

QUÆSTIO
MEDICO-CHIRURGICA,

Præside

M. PETRO L'ALOUETTE, M. D.

Resp.

CAROLO FRANCISCO THEROULDE

DE TOULOUSE DE VALLUN BAJOCÆO

EQUITE D. CADOMENS.

Baccal. Parisiensis.

Parisiis 7 Mart. 1748.

An femur in cavitate cotyloidea aliquando amputandum?

I.

MUnus medici atque officium, inquirere vias, quantum poteſt, certas, quibus ſanitatem amiſſam reſtituat, morbos arceat, vitamque periclitantem ſervet, nemo niſi rudis inficias ibit. Verum, ſi inter innumera quæ proponit auxilia, quædam metuentibus ac pavidis crudelia appareant nimis, utpote hactenus nondum uſitata, nec arti, nec medico illud tribuendum. Quemadmodum enim ægrotationes in immenſum variantur atque multiplices exſtant, ſic ars medica ad eas curandas, ſaltem allevandas tota impenditur. Verum quot morbi etiam chirurgici [a], quibus torquetur humanum genus, remedia hactenus cognita illudunt! Mammarum verum cancrum, labiorum, cariem in majoribus juncturis deliteſcentem, fiſtulam ani, carie conjuncta, quo pertingere nequeunt digiti aliaque id genus, ad certos uſque limites protenſa, medicamen ullum non inveniſſe, conſentiunt omnes. Exiſtimationis metus, vulgaris opinio ſæpe ſæpius inter anguſtiores limites retinent chirurgos qui novas ad vitam ſervandam tentare vias non audent, cum eventus anceps atque incertus apparet. Verum enimvero illud præ cæteris jugum exitiale excutiant, vulgi errores conculcent, famamque inclytam minus ambiant, quam civium utilitatem artiſque ſplendidum decus. Quot & quantæ operationes ad detrimentum ægrotantis ob hanc cauſam neglectæ fuerunt! Nulla alia eos titillet gloria, quam morbis mederi chirurgicis; conſulant anatomen, inveſtigent an hæc vel illa celebrari poſſit operatio, ut ægrotantis vita tuta tectaque ſervetur. Vix enim aſſentiunt ægri, ut brachium vel femur ipſis auferatur in ancipitibus morbis, ſed qui dubitaret ea membra reſecare, merito ægrum trucidaſſe putaretur. Quodnam enim ſolamen ægro afferendum, cum morbus præſertim quo afficitur ullam recipere nequeat medelam? Extremis morbis extrema remedia; D. le Dran [b] P. Chirurgicus Pariſienſis inclytus auſus eſt brachium in ipſomet articulo amputare, hacque operatione ægrum ſanavit. Cur igitur in carie capitis femoris vel cavitatis cotyloideæ timeremus ipſum os femoris aggredi, & in acetabulo illud amputare, ſi aliunde nullum auxilium ſuppetat? Caſus quidem rarus atque fere unicus, in quo hæc operationis ſpecies inſtituenda venit; ſed cum bis viderimus in praxi ægrotantes ob defectum hujuſce operationis vitam amiſiſſe, non abs re erit aperturam cadaveris hic loci exponere, eaque recenſere ſymptomata quibus ille morbus quamprimum dignoſci queat.

II.

[a] Id eſt morbi qui manuum operam per ſe, non tamen ſemper deſiderant.
[b] Obſerv. chirurg. tom. 1. pag. 315.

Landesbibliothek Oldenburg

II.

Cotyloidea cavitas cartilagine inducta, ad caput femoris recipiendum destinata, ipsumque caput ossis, glandulæ lubricum humorem suppeditantes, capsula, ligamentum aliæque partes articulum ambientes, aliquando morbum patiuntur. Hunc à causa interna natales suos ducere posse, nemo dubitat: illa potest esse vel scorbutica, vel varioloſa, vel venerea &c. Sed à causa externa ut plurimum ille morbus quem tractamus subnasci quoque solet, post factam in ossibus collisionem violentam, lapsum, fracturam aut fissuram capitis femoris, vel ossium quæ cavitatem cotyloideam constituunt. Primum igitur hujusce morbi incipientis signum quadam imbecillitate ac impotentia se manifestat in membro affecto. Dum æger ambulare cogitur, percipit quemdam in junctura crepitationis sensum cum dolore non adeo vehementi, qui sensim ac pedetentim augetur in variis quos efficit motibus qui non sunt adeo alacres quam erant soliti. Dolor quandoque tantus est sub noctem, ut somnum turbet, absque tumore ruboreque externo: sed sentitur maxima anxietas in omni articulo, præsertim in motibus femoris majoribus exercendis. Verum quando lenta inflammatio ossa aggredi incipit, dolor à tactu externo vel digitorum pressione non adeo intolerabilis, ut evenire solet in morbis extus hærentibus; sed ab externa pressione aucto dolore, illud malum ad suppurationem vergere, imo ad externas usque partes perveniſſe, judicandum est. Spisseſcit lympha, fit acrior, inflammatio intenditur, aggreditur glandulas in articulo positas, ligamentum, membranas quæ ea in involvunt investiuntque, cartilaginem, caput femoris cavitatemque cotyloideam obtegentem. Profundius serpit, ad succum medullarem usque pervenit inclusum in substantia cavernuliſque ossis; postea humores in vasis subsistunt, novi liquidi appulsus lubenter conceditur, retrogressus vero omnino impeditur, vasa extenduntur, inflammatio valde augetur; hinc febris, suppuratio, quæ fieri nequit, quin periostium, cartilago & os ipsum violenter affligantur. Destructis ac corruptis vasis, materies quasi caustica in effossa interstitia magis ac magis amplianda, delabitur, colligitur atque coagmentatur. Cum autem humores in articulo aliisque locis stagnantes effluere nequeant, ibi morantur, à natura sua recedunt, sensim putrescunt, fiunt acerrimi; unde cartilaginem destrui, vicina erodi ac corrumpi necesse est. Nec jam remanet intacta, quæ absconditur medulla, brevi transmutatur in similem saniem, quæ partes ossis etiam solidissimas lacessit, easque rodendo destruit. Iisdem perseverantibus doloribus etiam per vices auctis, percipitur parvus tumor pone articulum modo mollis, modo durus cum dolore externo. Hinc jam adest in profundo abscessus, cujus materies in ichorem mutata, cariem adauget, totamque fere substantiam spongiosam ossium etiam adoritur. Ichorosi humores intra vasa retiformia, quibus caput femoris constituitur, stagnantes, substantiam ossis, acri-

acrimonia qua pollent, dilacerant, erodunt: putrescunt magis ac magis, medullam subeunt eamque inquinant. Ab his putridis liquoribus substantia ossis partim emollitur, partim eroditur: hinc dolores, tumores, sinus atque rivuli subnasci ac excitari solent, nisi ars opifera auxilium afferat. Denique se manifestat tumor sat magnus versus majorem trochanterem sub musculum fascia lata dictum, ubi materies abscessum formans, colligitur. Ille abscessus, opportuno tempore, scalpello oblique est aperiendus, non modo ut facilior vulneris obligatio fiat, sed etiam ut specillo, quantum fieri poterit, dignosci queat, an ossa cariem revera patiantur nec-ne? Tunc promanans materies cernitur viscosa, glutinosa instar albuminis ovi, sed dein ichorosa, fœtida, ingratum odorem spargens, ut evenire solet in morbis, ubi ossa denudantur. Hunc abscessum cariem comitatam esse signa prægressa docent; sed ut res magis eluceſcat, specillo obtuso utendum est. Præterea animadvertendum ad ea, quæ cariem præsagiunt atque concomitantur sequenti curationis tempore. Carnes enim, dehiscente vulnere, conspiciuntur pallidæ, molles, flaccidæ, spongiosæ, fœtorem exhalantes; linteamina, turundæ, præsertim emplastra circulo nigricante cernuntur, materie fusca vel subnigra, imbuta. Quando vero specillum ad os usque pervenire potest, quod rarissime accidit ob obices in trajectu reperiundos, asperum atque tactu inæquale persentitur: quæ quidem vidimus in apertura cadaveris hoc malo functi, in quo reperiimus totum femoris caput cartilagine destitutum atque orbatum, foraminulis innumeris pertusum; partem colli femoris & trochanterem, carneam massam duram referentia; ligamentum, capsulam, glandulas suppuratione omnino deleta: cavitatem cotyloideam partim cartilagine orbatam, partim carie affectam. Quodnam igitur auxilium simile ægrotanti præstandum foret, si membrum excidi atque eximi non valeret? Miserrimam forsan diu traheret vitam languidam æger, veluti nos ipsi bis vidimus, expertus quamplurimos dolores ac molestias, cibi fastidium, vigilias, virium defectum, febriculam, marcorem summum ob nimiam suppurationem, aliaque gravia symptomata. In hisce rerum circumstantiis non-ne melius operationem tentare, vel dubiam, quam ægrum morti præsentissimæ exponere?

III.

Ægro, ut decet, catharticis lenioribus, diæta convenienti, ac mente quieta præparato, ad amputationem deveniendum est. Plura requiruntur antequam chirurgus se accingat ad opus. 1°. Necessum est, ut adjuvetur ministris de hac operatione rite instructis, ad nutum quidquid unicuique sit agendum, intelligentibus. 2°. Instrumenta habeat acutissima, scilicet, cultrum rectum obtusum in manubrio suo firmatum; scalpellum semicurvum apice etiam deficiens; acus rectas curvasque triplici filo cera inducto trajectas. 3°. Torcular ad mentem D. Petit cum hoc discrimine fabricatum,

ut illud sit arcus chalybeatus lana & corio involutus ; cujus una extremitas postice applicetur super ultimas lumbares vertebras, transeundoque partem ossis ilei supremam, innitatur spina superiore ejusdem ossis ; alia vero extremitas antice applicetur ad symphysim ossium pubis : unicuique extremitati hujusce arcus, annectatur subligaculum ex corio factum, quod involvat reliquam pelvim alterius lateris ; firmeturque satis fasciolæ ope, per inguen lateris sani transeuntis, & arcui ferreo annexæ, ut ne minime quidem dimoveri queat torcular. In hac parte contenta spinam ossis ilei inter & symphysim pubis, collocetur cochlea mobilis cui adhæreat glomus, quod supra trajectum arteriæ cruralis fulciat, impediatque quo minus sanguis nimis violenter irruat. 4°. Mensam sat magnam firmamque stragulo ac lecti linteo tectam, in qua æger reponendus est, quæ quidem aptior erit cubili culcitra lanea munito, quod alias pondere corporis deprimeretur, valdeque angustius operatorem contineret, nisi illud incommodum ope tabulæ inter culcitras collocata præcaveatur. 5°. Apparatum nempe plumaceola ex carpto, linteamina quadruplicata ad obtegendum vulnus idonea : fasciolas unius pedis circiter longas, duorum transversorum digitorum largas, emplastro glutinoso inductas, quibus facta operatione labia vulneris ad se invicem contineantur : postremo, fasciam ita confectam, ut parvum pulvinar forma referat, qua omnis apparatus retinebitur. Ope zonæ corpus cingentis, cui alligabuntur subligacula, illa fascia totum apparatum amplectens, firmabitur. His omnibus ita dispositis ac præparatis se accingat chirurgus ad operationem : æger in hanc mensam collocandus est lumine aperto, in sanum latus incumbens, Thorace atque capite depressis. Torcular applicetur ita, ut arteria cruralis ope glomeris extremitati cochleæ affixi, sufficienter comprimatur : tunc minister sustineat morbosum crus extensum amplectens illud manibus, ita ut pedis extremitas symphysim ossium pubis prospiciat : alter vero minister cutem manibus sursum elevet cum musculis, ut satis remaneat carnis ad laciniam conficiendam, qua peracta operatione, vulneris capacitas ex parte obtegatur, opusque naturæ, dum cicatrice obducet vulnus, imminui queat. Tunc ægrotante ut decet firmato, chirurgus sectionem agat semicircularem ad articulum usque, externe incipiendo à superiore majoris trochanteris parte, pergendoque ad tuber ossis ischii ; hac sectione cutis, pinguedo, fascia-lata, glutæi omnes in carnosa parte resecentur, sicut & tendines musculorum pyramidalis, gemelli tum superioris, tum inferioris, obturatorum & quadrati. Ungue digiti indicis sinistræ manus quærat, atque tangat articulum, aperiat ac secet capsulam : hinc minister qui femur comprehendit, illud moveat introrsum, ita ut pes omnino introrsus vertatur : hujusce ope motus, ligamentum quod capiti femoris & cavitati affixum symphysim pubis respicit, retro trahitur versus ossis ischii tuber ; hinc facile scalpello obtuso illud resecandum, cavendo ne annulus cartilagineus quo instructa est cavitas, lædatur. Postea flectatur femur versus pectus, dein versus pubem deducatur eo modo, ut caput ossis e cavitate sua egredi queat.

queat. Luxato femore, reliquum capſulæ, membranarum, muſculorumque ſecandum eſt; & cultro, juxta collum partemque anteriorem ac internam femoris ducto, reliquum muſculorum oſſi adhærens una reſecetur, ita tamen ut lacinia carnea quatuor circiter tranſverſorum digitorum magnitudine remaneat, quod æſtimandum eſt ex maſſa corporis obeſi vel macilenti. Illa lacinia antice & interne conficienda eſt ex muſculis ſartorio, pſoas, iliaco, pectineo, minoribus tricipitis capitibus, recto gracilique interno: poſtice vero majori tricipitis capite, ſeminervoſo, ſemimembranoſo majorique bicipitis capite. Crure jam exempto animum advertat chirurgus vaſis ligandis quæ ſaliente ſanguine facile cernuntur. Attollenda paululum laciniæ pars anterior arteriaque cruralis, acu curva filo triplo trajecta, comprehendatur; nodo chirurgico conſtringatur una cum majori carnium quantitate, ne filum, ipſam arteriam reſecet. Ramuli ejuſdem arteriæ, qui muſculum tricipitem præſertim ſubeunt, etiam alligandi cum arteria obturatrice. Ea, quæ nervum iſchiaticum concomitatur arteria, coërceatur ſola quantum fieri poterit in ligatura, ne motus convulſivi exoriantur, vel vitriolo, arteria ſecta tangatur, cujus ope non modo ſanguis ſiſti, ſed etiam nervi ſenſatio obtundi poteſt, aut aqua Rabelliana, compreſſione adjuta utendum. Ligatis omnibus vaſis totam curam impendat chirurgus, ut vulnus ex arte obligetur: reponendæ filorum extremitates in lanciniam anteriorem ne reliquo apparatui implicentur: deinde plumaceolum balſamo fioravanti imbutum in acetabulum imponatur. Tunc aſſumat faſciolas emplaſtro inductas, eaſque applicet eo modo, ut vulneris labia ad ſe invicem accedant, inter ipſas relinquendo ſpatiola, per quæ ſeroſi humores facile effluere poſſint. Reliquum vulneris tegatur plumaceolis linteaminibuſque, ita ut molliter obligatio fiat: hæc omnia retineantur faſcia jam deſcripta. In eodem ſitu torcular relinquendum non modo, ut minuat ſanguinis impulſum ad ligaturam, ſed etiam ut facilius ſiſtatur ſanguis, caſu deficiente ligatura; ſervet illud ægrotans, donec ligatura omnino ſponte decidat.

IV.

Ad abſolvendos autem omnes curationis numeros neceſſum eſt 1°. ut vel impediatur inflammatio, vel jam nata compeſcatur venæ ſectione aliiſque idoneis auxilis. Admodum enim timenda eſt illa in vulneribus maxime, plurimis ſectorum muſculorum portionibus verſus puncta fixa, elaſticitate qua donantur, ſe contrahentibus; quo pacto cellularis ſubſtantia inter muſculos ſita eoſque ſecernens vivide afficitur, unde inflammatio, membranarum ſuppuratio, juxta trajectum muſculorum proſerpens, ſinus, cuniculi, partium deſtructio, viriumque jactura propter nimiam ſuppurationem inde oriundam. 2°. Ut caveatur ne ſanioſa materies longiori in acetabulo mora cartilaginem lædat: unoquoque igitur die ſemel quandoque bis mutandum eſt plumaceolum, in ipſammet cavitatem jam affectam medicamenta ſpirituoſa intru-

intrudenda, vulnusque plumaceolis siccis adimplendum, ut humiditates absorbeant, donec spissescat materies, inque verum pus mutetur. Obligetur vulnus ita ut carnes jamjam enatæ vel oriundæ plumaceolis, vel reliquo apparatu non nimium comprimantur. Quoad reliquum vulneris, pro diversa ejus conditione, tractandum erit. Decumbens in dorsum æger relinquendus, ut facilior puris evacuatio obtineatur a parte vulneris decliviore. Ligatis vasis adhibeatur medela medicaminibus minime suppurantibus, ne ocyus ligatura decidat, vasaque nondum consolidata satis carnibusque vicinis non sint agglutinata. Fasciolis emplastro inductis sustineantur, toto curationis tempore, labia vulneris, ne dehiscant, qua cura, imminuetur carnium regenerationis opus, proinde virium jactura ob suppurationem præpedietur. Sollicite quoque caveat chirurgus, ne trahantur filorum extremitates in laciniam anteriorem semper relinquendæ. Juncturarum vulnera curatu difficillima esse, verissimum; attamen in hodierna praxi occurrunt plurima, quæ naturæ beneficio ortisque feliciter sanantur. D. le Dran humerum secuit in cavitate glenoidea, ægrumque ad sanitatem perduxit; amputantur in juncturis digiti absque ullo periculo, firmissimaque cicatrice obducuntur vulnera, id constat experimentis. Verum equidem est in hisce rerum conditionibus, caput vel cavitatem ossis carie ut plurimum non affici: experientia autem constat quotiescumque denudata fuit cartilago aut aliquandiu aëri exposita, insensibilem aut sensibilem in ea necessario fieri exfoliationem: priusquam igitur cicatrice obduci possit vulnus, necessum est ut carne contegatur; itaque crescunt quamprimum omnibus in locis denudatæ cartilaginis, puncta carnea sensim ac pedetentim numero atque magnitudine augenda, initio mollia, dein solidiora, quæ se conjungunt aliis carnibus simillimis ex omni puncto vulneris propullulantibus. His sic unitis ac inter se firmiter cohærentibus, cartilago ad votum obtegitur absque ulla sensibili exfoliatione. Si vero cartilaginea exterior lamella excutienda est, statim ex cœruleo apparens flava dein nigrescit; tunc carnes subnascentes eam extrudent, vacuum si detur, naturæ beneficio omnino replebitur, ad cicatricemque perveniet vulnus. Demum rarissimæ fiant obligationes, ne succus quem suppeditat natura, deperdatur. Medicamenta sint vulneraria exsiccantiaque, ut carnea massa jam enata soliditatem acquirat, spissiorisque pulvinaris munere fungatur.

V.

Si hanc novam proponimus operationem, certe peragenda est in ancipitibus ac desperatis morbis ab interna, vel externa causa ortis, ubi alia remedia curationem absolvere non potuerunt. Quomodo enim tractari posset caries in junctura delitescens, nisi prius pars affecta detecta fuerit? Nostra autem operatione, cotyloidea cavitas, quæ aliquem subiit depravationis gradum, detegitur, hinc commodissime recipit remedia morbo quo laborabat idonea,

idonea. Verum licet hæc operatio non fuerit adhuc in praxi tentata, poteſtne ob hanc cauſam rejici? Immerito: rationum momenta quæ eam improbare viderentur, hæc fere ſunt; 1°. impoſſibilitas; 2°. hæmorrhagia; 3°. vulneris amplitudo; 4°. dolor; 5°. incerta curatio; 6°. dubium tempus in quo hæc operatio conficienda eſt.

1°. Satis ſuperque evincitur hujuſce operationis poſſibilitas his hactenus dictis; ſed oportet ut chirurgus hanc ſectionem ſuſcepturus, multoties ſe exerceat in cadaveribus, ut dexteritatem, habitum, facilitatemque acquirat, adeo ut illa non magis anxium reddat quam alia. 2°. Mens chirurgorum peritiſſimorum non trepidat metu ſanguinis effluentis; vaſorum diſtributionem edocentur anatome; haud ignorant arteriam ſectam elongari ac viciſſim contrahi, proinde comprehendi aptam eſſe ope volſellæ filoque ſolam conſtringi facilem. Verum ut omnis tollatur hæmorrhagiæ metus, afferamus experimentum pluries in cadavere tentatum, quo evidentiſſime probetur hanc contingere nunquam poſſe. Tubum aſſumpſimus, quem indidimus in aortam infra emulgentes arterias, eumque filo conſtrinximus: huic tubo adaptavimus ſiphonis extremitatem aqua tepida repleti; liquorem injecimus in arterias; his omnibus vaſis ſemel repletis, ſiphonem iterum complevimus; & miniſtro indeſinenter embolum premente, operationem perfecimus eodem accurate modo ac ſi in ægrotante perageretur. Finita operatione, arteriæ liquorem fundentes ſtatim ligatæ fuerunt. Per totum operationis tempus non potuit vacuari duodecim aquæ unciarum vix capax ſipho; his igitur ſic ſe habentibus quid ab hæmorrhagia timendum, præſertim cum conſtet vires emboli violenter preſſi multo ſuperiores eſſe viribus ſanguinem ad crus propellentibus? Si igitur hac preſſione aquæ libra vix diffundi non potuit, certe major ſanguinis quantitas effluere non poterit quamvis per dimidium horæ quadrantem prorogetur operatio. 3°. Vulneris amplitudo annumerari non poteſt rationibus quæ hanc operationem impediant: numquid enim ad cicatricem feliciter non perducuntur vulnera majora ſclopetorum ſcilicet, quandoque etiam maxima, enormem puris quantitatem fundentia? Solitæ etiam femoris ſectiones in ſuprema parte, præſertim cum muſculi fere omnes retrahuntur, nonne majora vulnera? Diuturnam patiuntur ſuppurationem ægri, ob amplam vulneris ſuperficiem, donec cutis quæ lento paſſu procedit, vulnus occludat. In noſtra autem operatione, vulneris ſuperficies non major eſt, quam in ſolita amputatione; ergo non major ſuppuratio, utpote quæ à ſuperficie quam offert vulnus æſtimanda eſt. 4°. In hac operatione dolores nec ſunt atrociores iis, quos perferre ſolent ægri in ſolitis amputationibus, nec vividiores doloribus lithotomiæ, mammarum cancri, ubi non modo ſecantur partes exquiſitiſſimo ſenſu præditæ, ſed etiam dilacerantur. 5°. De curationis certitudine, ſi ille morbus à cauſa externa ortum duxerit, non dubitamus quin proſperum habitura ſit eventum, fulti obſervationibus amputationum humeri digitorumque in juncturis. Si vero à cauſa interna, nonne tunc ſectio? Ita ſane, ſed

iis remediis pro indole & causa morbi selectis debellandum erit illud malum. 6°. Difficile admodum est statuere tempus sectionis : an ante abscessus apertionem ? Minime : illius enim ope specillo quantum fieri potest explorantur ossa ; secus, signis supra indicatis tum prægressis, tum subsequentibus apertionem, acetabuli status dijudicari poterit ; satius est ergo abscessum prius expedire quam amputationem periclitari.

Ergo femur in cavitate cotyloidea aliquando amputandum.

FINIS.

DE

CXLIII.

DE TENDINE ACHILLIS DISRUPTO ET ARTERIIS IN OSSEAM SUBSTANTIAM DEGENERATIS, *DISPUTATIO.*

Præside

JO. ADAMO KULMUS,

Respond.

JO. JACOBO KNAPIO

Gedani 30 Nov. 1730.

Landesbibliothek Oldenburg

PRÆFATIO.

Nihil ineffabilem Dei T. O. M. *gloriam in toto universo magis commendat, atque ipsius potentiam ac sapientiam immensam luculentius celebrat, quam quod singulæ res creatæ mirabili proportione, sapientissimo ordine, & convenienti tempore producantur. Cuncta sidera cœlestia juxta constantes revolutionum regulas cursum ac iter suum in vastissimo cœli spatio dimetiuntur, nec unquam à tramite suo aberrant; omnes effectus & phænomena naturalia agnoscunt pariter suas leges, secundum quas causæ efficientes perpetuo operantur: admirandus & exquisitissimus ubique est ordo, quo cuncta in mundo organica corpora conservantur, qui paucis & simplicissimis nititur principiis. Gaudet descensus corporum gravium, omnisque impulsus, impetus, aut quæcumque mutatio, tam in animatis, quam inanimatis corporibus certis motuum legibus, quarum rationes in Physica utilissimas Mathematici celeberrimi, imprimis* Galilæus, Borellus, Hugenius, Bernoulli & Leibnitius *demonstratione & rigore Mathematico solidissime eruerunt. Has igitur leges indubitata certitudine comprobatas recte cognoscere, & hinc, quo natura gaudet, ordinem debite applicare, utique boni Physici esse videtur: his enim sufficienter perspectis posiea facillimum erit, in rebus dubiis genuinas perquirere rationes, effectuumque proportionatas trutinare causas. Et quanquam subinde nonnulli effectus insoliti occurrunt, qui primo intuitu peregrina sua indole limites naturalium legum transgredi videntur, penitius tamen explorati immutabilem naturæ normam constanti obsequio semper servare percipiuntur. Sane, structura corporis animalis artificiosissima merito ex variis componitur partibus, justo ordine dispositis, ut omnes actiones vitales per eas rite contingant: sic ossa dant fundamentum corpori & constituunt artus, quos musculorum tendines debito robore inflectunt; quaquaversum dispergunter canales & vasa, quorum ope sanguis & reliqui humores per totum corpus devehuntur, hinc inde in diversis visceribus secernendi: & quo vitalis hæc œconomia diutius persistat, idcirco Creator Almus has partes adeo artificiose combinatas exstruxit, ut mechanica lege, perpetua actione & reactione semet ipsas conservent. Ast contingunt sapissime in secreta corporum organicorum officina variæ anomaliæ, quas plurimi tacita solum admiratione venerantur, causarum vero naturalium investigationem anxii subterfugiunt. Ad harum sensum spectant robustissimus tendo Achilleus, sola musculorum potentia disruptus, & arteriæ in osseam substantiam degeneratæ, quos effectus rarissimos, in homine observatos per causas ac leges naturales exponi, & speciminis loco ulteriori eruditorum disquisitioni submitti Politiss. Dn. Respondenti placuit.*

CAPUT PRIMUM.

Sistens tendinis disrupti & arteriarum ossearum observationem.

§. I.

ANglus quidam, Architecturæ navalis magister, nomine *Rudolphus Richardson*, ætatis 56. annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, corpore robustus ac quodammodo obesus, qui antea vix unquam cum ullo morbo conflictatus fuit, A. 1726. d. 13. Maji, ex Anglia huc Gedanum navi deferebatur: &, dum ex cymba ad littus prosilire studuit, minorem, quam distantia littoris à scapha exigebat, conatum impendit, ita ut extremi dumtaxat digiti sinistri pedis in asserem idcirco appositum figerentur, adeoque ille vix centrum gravitatis corporis sustinens metueret, ne retrorsum in aquam præcipitaretur: sub quo infaustissimo saltu calx à pondere totius corporis premente velocissime depressa *Chordam Achillis* illius pedis plane *abrupit*, citra ullam tamen externam læsionem observatam. Unde postmodum miser pedem mox intumescentem parum promovere valens, ab aliis hominibus ad diversorium ultra 300 passus remotum ducebatur, innixus tamen simul sub gressu hoc pede.

§. II.

Chirurgus ad eum vocatus, nomine *Adam Breslau*, tactu sollicite exploravit pedem, nullam quidem luxationem, multo minus fracturam indagare potuit; attamen ex fovea quadam paulo supra calcem profunde depressa & cute flaccida absentiam tendinis Achillei, adeoque ejus disruptionem facile auguratus est, aliisque adstantibus mentem suam propterea exposuit, pedemque contrectandum præbuit: quoniam vero præterea pes tumidus eodem in loco copiosum sanguinem extravasatum fovebat, ideo statim cataplasmata discutientia & resolventia applicuit, injuncto simul regimine debitæ quietis ac temperantiæ, cui tamen monito æger morem minime gessit; his tamen remediis suggillatio stagnantis sanguinis atque intumescentia brevi dispellebantur. Discusso jam tumore adaptavit fascias, quas in hoc affectu usitatas *Dn. J. Ludov. Petit* Tr. de morbis ossium P. II. cap. 16. describit, ut disrupti tendinis extrema reunirentur: ob immorigerum autem patientis animum, quietis impatientissimum, ad iracundiam atque luxuriam quam maxime pronum, frustra omnis cura impendebatur: cum enim post aliquot dies pedi fascia firmato jam quadantenus inniti valeret, spreto omni consilio subinde curru vehebatur, quandoque etiam pedibus, quantum potuit, baculo innixus incedebat, & sæpius

ſæpius in ſeram uſque noctem inter convivas vinum æque ac cereviſiam ſtrenue ingurgitabat; quapropter eum 18. die febris acuta corripuit, & ſuperveniente gravi inflammatione liquor gelatinoſo lymphaticus ſtagnans in ipſo tendinis diſrupti loco exitum quæſivit: per quam aperturam, ope forcipis largiorem factam, diſrupti tendinis extremum inferius calci affixum mox in conſpectum veniebat, altera interim parte ſuperiori ſub cute ſurſum retracta.

§. III.

Humor iſte extravaſatus mox aliis quoque in locis circa utrumque malleolum hinc inde cutem perfodiebat: & quanquam hæ cavitates pariter diffindebantur, ut materiæ effluenti liber pateret egreſſus, & aliorum adhuc accerſitorum chirurgorum dexteritas materiam noxiam depurare atque evacuare conabatur, nulla tamen ope impediri potuit, quin ea intra oſſa tarſi ſemper profundius ſerpens ibidem cariem, gangrænam & ſubſequentem ſphacelum gigneret. Nulla ſic jam alia ſuppetebat medela, quam amputatio pedis, quæ d. 8. Octobr. ejuſdem anni debita encheireſi ſuſcipiebatur, pauciſſima ſaltem emanante ſanguinis quantitate. Remotis tertio ab hinc die faſciis, *nihil* plane *ſanguinis* ex vulnere *profluebat*, & omnes circumſtantiæ optimam pollicebantur ſpem priſtinæ convaleſcentiæ; quam tamen præpoſtera patientis iracundia ſæpius excandeſcens atque intemperantia penitus irritam reddebant, cum nova febris ſymptomatica adeo vires ægri exhauriret, ut 11. poſt amputationem die ſuperveniente ſphacelo mors finem curæ imponeret.

§. IV.

Ab initio ſtatim, cum caſus iſte rariſſimus de diſrupto tendine Achillis innoteſceret, multi medicorum æque ac chirurgorum aſſenſum præbere verebantur, atque diſruptionem hujus tendinis adeo robuſti, quo laniones pecora mactata ſuſpendunt, plane impoſſibilem credebant, præſertim cum ægrotus ſtatim poſt fatalem ſaltum ad diverſorium pedibus inceſſiſſet, quanquam id non abſque aliorum auxilio factum ſit. Nos vero, qui poſſibilitatem talis diſruptionis minime in dubium vocavimus, utpote de ejus veritate ex obſervationis allegati *Dni Petit* ſatis ſuperque evicti, plenariam tamen fidem famæ tribuere dubitabamus, priuſquam tendinem hunc diſruptum, quem forte alius tendo vicinus mentiri potuiſſet, ipſimet exploraverimus. Quapropter eo ſtatim tempore, quo per primam aperturam tendo ruptus conſpici potuit, acceſſimus, ubi iſtius tendinis pars, calci annexa & mediante ſtylo elevata, quoad inſertionem & magnitudinem à reliquis tendinibus vicinis quam luculentiſſime diſtingui licuit: quare nobis nullus prorſus dubitandi locus amplius relinquebatur.

§. V.

Landesbibliothek Oldenburg

§. V.

Cum poſtmodum altero poſt amputationem die pes detruncatus cultro ſubjiceretur Anatomico, eam præcipue ob cauſam, ut tendinis diſrupti ſtatus, & carnei ac ſphaceli progreſſus pateſcerent, reperiebantur oſſium tibiæ & fibulæ inferiores extremitates, inprimis eorum condyli carie leviter ſaltem correpti; magis vero hac carie oſſa tarſi cernebantur exeſa, potiſſimum aſtragalus, cujus ſubſtantia valde corroſa pene friabilis deprehendebatur. Pars inferior prædicti tendinis, quæ adhuc calci adhærebat, durante morbo admodum ſeparata obſervabatur; ſuperioris autem extremum putredo ad pollicis tranſverſi longitudinem circumquaque delibaverat, ut eo loco tendo multo gracilior quam paulo ſuperius exiſteret. Præterea fibræ carneæ illorum muſculorum, qui tibiæ & fibulæ propius accumbunt, videlicet utriuſque tibiæi & peronæi, deinde perforati, extenſoris communis & flexoris pollicis ultra ſuræ regionem admodum putridæ comparebant, quorum muſculorum tendines fere omnes circa regionem tarſi putredo penitus abſumpſerat.

§. VI.

Maximam autem admirationem omnibus medicis atque chirurgis, tum temporis præſentibus, excitabant *arteriæ* iſtius amputati pedis, quarum non ſolum trunci majores, ſed omnes etiam minores rami & ſurculi per totum pedis tractum à loco ſuperiori, ubi amputatio facta, uſque ad extremos pedis digitos quaquaverſum *in oſſeam degeneraverant duritiem*, qua cavitates ſtylo exploratæ juſto minores reperiebantur, & arteriæ ipſæ fortiter compreſſæ fragilem edebant ſonum; venarum tamen ſubſtantia ubique naturalis obſervabatur.

§. VII.

Ramum quendam ab his arteriis reſectum poſtea domi ulteriori examini ſubjecimus, quem etiam adhuc aſſervamus: ſingulæ in eo tunicæ ſuperiores nequaquam à debita aberrabant conditione, quare etiam facile à ſe invicem ſeparabantur; ſed ſolum *interna tunica* hanc peregrinam ſuſceperat indolem, quæ etiam arteriarum cavitates quadantenus reddiderat arctiores (§. *præced.*) Cavitate deinde per longitudinem aperta, *lamella oſſea* eandem obducens internæ tunicæ arctiſſime cohærebat, ab ea difficulter diſtinguenda, adeo, ut ipſam tunicam nerveam in hanc lamellam degeneraſſe facile crederes, præſertim cum ſupra hanc tenuiſſima membrana expanſa utramque firmiter connecteret. Nec tamen continua, nec ubique ejuſdem exiſtebat craſſitiei lamella, ſed geniculatim ope tunicæ cohærentis con-

connexa innumeras *squamulas osseas* monstrabat, quæ à se invicem facile se deflecti patiebantur. Ut autem certiores redderemur, sitne ista lamella omnino osseæ, aut alius substantiæ, ideo hanc arteriam admovebamus igni, quæ odorem ossibus aut cornubus adustis similem de se spargebat, ut adeoque de vera ossea indole amplius dubitari haud liceret.

§. VIII.

Maxime profecto dolemus, quod ab iis, qui curam hujus defuncti gerebant, prohibitum fuerit, ne corpus ejus post mortem dissecaretur, qua tamen sectione innotuisset, quousque ulterior ossificatæ arteriæ cruralis progressus fuisset protensus? An universa simul arteria magna æque induruisset? an pariter alterius pedis arteriæ eandem soliditatem contraxissent? & qualis fuisset internorum viscerum status? Procul omni dubio multo adhuc remotius sursum sese extendit ossificatio in arteria crurali, pedi resecto antea contigua, quia ejus pars in amputato pede superior valde crassa gaudebat lamella, certe ibidem vix desinente, & inprimis, quia chirurgi, dum in operatione vinculum constrictorium (*Tourniquet*) injecerunt, sub genu duriorem resistentiam cognoverant, quam etiam tertio post amputationem die reiterata fascia deprehenderunt: ex eadem quoque causa adeo exigua sanguinis profusio sub amputatione merito derivari debet.

§. IX.

Similis fere casus *arteriæ cruralis ossificatæ* prostat in *Transact. Philosoph. Anglic.* Vol. XXXI. n. 369. p. 226. ubi Autor refert, quod pariter post amputationem pedis exigua sanguinis quantitas effluxerit, quanquam torcular sive vinculum constrictorium fuerit relaxatum; additque illam circumstantiam, quod ossea lamella *intra* ipsas *tunicas* exstiterit. Dolet simul autor hujus observationis, quod ob ejus discessum postea in hoc corpore demortuo ulteriorem ossificationis progressum nemo perquisiverit. Nos quoque demum *in cadavere* quodam *virili*, publice nuper dissecto *ramos majores utriusque brachii & femoris ossificatos* deprehendimus, quorum tamen surculi minores & omnes venæ nullum ossificationis vestigium ostendebant. Erat autem iste vir infimæ sortis homo, quem naturali morte, ex hydrope denatum sexagenario majorem judicavimus. Conspiciuntur pariter in his arteriis (quæ nobis adhuc suppetunt) meræ squamulæ osseæ, quæ eodem modo, uti *Cap. I.* §. 7. diximus, obducta tenui membranula connexæ ipsius tunicæ nerveæ substantiam occupabant, nequaquam ab ea satis evidenter distinguendæ: osseæ hæ moleculæ non per integros ramos, sed saltem ad unius spitamæ longitudinem excurrunt, quæ sibi proxime accumbentes arctissimis fissuris, quaquaversum directis in articulos innumeros distinguuntur; ubi vero in extremitatibus arcte cumulari desi-

nunt, ulterius insulas hinc inde disseminatas formant, tunicam nerveam intermediam, optime constitutam relinquentes. Alia exempla de arteriarum *aortæ*, *carotidum* & *emulgentium* ossificatione vid. *Theoph. Boneti* Sepulchretum Anat. L. I. Sect. I. obs. 87. & Lib. II. Sect. VIII. obs. 4. it. *Philosophical Transactions abridg.* Vol. III. p. 15. Vol. IV. P. II. p. 34. 37. 134. 135. & de *aliis arteriis* atque etiam *membranis*, *nervis*, *tendinibus* in osseam substantiam degeneratis vid. *Bibliotheque Germanique* Tom. VI. p. 233. & *Histoire de l'Academie des Sciences* 1706. p. 30.

§. X.

Frequentius generantur *ossicula in cordibus cervorum*, vel potius in principio aortæ circa valvulas semilunares, ubi arteria est validissima, quæ ossicula in pharmacopoeis, veluti remedium cordiale specificum, officinalia prostant, reperiuntur tamen solum in cervis ætate provectis: talia ossicula sæpissime & *cordibus boum & canum* adultorum, aliquando etiam *in hominis corde* nobis invenire licuit, & quidem semper in eodem loco circa prædictas valvulas aortæ. Quodsi jam istorum cordis ossiculorum substantia ossea largiora capit incrementa, tunc longius per aortæ truncum extenditur eorum progressus, qualem ad 4. pollices protensum ante aliquot annos canis grandævus nobis exhibuit.

CAPUT II.

De tendinis disrupti causa.

§. I.

Antequam ad disruptionem tendinis Achillei nos accingamus, necesse est, ut tendinem ipsum penitius perpendamus. *Oritur hic tendo* a vastissimis musculis gastrocnemiis & solæo infra suram combinatis, (cui etiam musculi plantaris tendo arctissime jungitur) à quorum musculorum concursu ulterius deorsum excurrens *postremæ ossis calcis parti* firmissime *implantatur*, ut pedem totius corporis pondus sustinentem extendat, eumque terræ tuto firmet: quoniam autem os illud calcaneum ultra tibiæ ossis perpendiculum, validioris potentiæ causa prominet, igitur iste tendo paulo supra insertionem ab osse tibiæ secedit, & cum eo *largum interstitium* pinguedine potissimum repletum efformat, per quod etiam laniones baculum ad suspendenda pecora trajiciunt, utpote quo tendine nullus alius in brutis aut hominibus robustior reperitur, quare *Hippocrates* Lib. de Fract. eum *chordam magnam* appellat.

§. II.

§. II.

Tendo hic ab *Achille*, Græcorum heroë fortiſſimo, ideo nomen traxiſſe videtur, quia ex fabuloſis poëtarum inſomniis conſtat, matrem Achillis *Thetidem* à Diis conſilium ſibi expetiiſſe, quo filius ſuus invictus nullo vulnere lædi poſſet, cui deſiderio Dii annuentes ei ſuaſerunt, ut totum filii corpus Stygi fluvio ſubmergeretur: cum vero mater filium immergendum ea calcis parte, cui tendo prædictus inſeritur, nimis firmiter apprehenſum detinuiſſet, factum eſſe, ut unicus iſte tendo nulla aqua humectatus ad ſauciandum aptus relinqueretur, reliquis corporis partibus lædi neſciis. Quapropter poſtea Achilles, cum bello Trojano occupatus in templo Apollinis Polyxenam, Priami filiam, in matrimonium ducere vellet, ex iſtius tendinis vulnere à Paride, cui Apollo id revelaverat, inflicto occubuit Vid. *Q. Calaber* Derelict. ab Homero. L. III. & *Commentatores* ad Virgil. Æneid. L. VI. verſ. 57. Interim, cum etiam *Homerus* Iliad. Ω. v. 395. referat: *Achillem in Hectoris cruribus per hunc tendinem funem trajeciſſe, eumque ſic currui alligatum circa mœnia Trojæ conduxiſſe*; poſſet quoque ab hoc ſingulari Achillis facinore noſter tendo nomen derivare, quoniam hanc corporis partem heros ille tam crudeli ſupplicio, forſan antea inuſitato, primus notavit, eamque ſic famoſam ac celebrem reddidit.

§. III.

Cum autem iſte tendo, totius corporis validiſſimus, tanto gaudebat robore, ut ejus ope corpora citra omnem diſruptionis metum ſuſpendi poſſint (*Cap. II.* §. 1.), dubium facile nonnullis oboriretur, *qua ratione* ille *tendo*, qui pondus proprii corporis ſuſtinere valet, in noſtro caſu à potentia, corpus ſub ſaltu ſuſtentante, *diſrumpi potuiſſet?* fueritne potius demum poſt ſaltum durante morbo ab humoribus corroſivis, ſtagnantibus ac putridis paulatim arroſus, atque putredine adeo correptus, ut in partes ſponte ſeceſſerit, haud aliter atque reliqui muſculorum adjacentium tendines (*Cap. I.* §. 5)? Vel, annon etiam chirurgus ipſe, dum dilatationem vulneris eodem in loco forcipe ſuſcepit (*Cap. I.* §. 2), forte minus circumſpecta inciſione tendinem incautus diſſecuerit? Uti nonnulli chirurgorum ab initio crediderunt.

§. IV.

Quod ad primum dubium attinet, *an tendo ſub ipſo fatali ſaltu ſit diſruptus?* Omnino aſſerimus, *eſſe* hujus tendinis *diſruptionem poſſibilem*, imprimis cum ſimiles obſervationes à Celeb. Chirurgo Gallo, *Joh. Lud. Petit*, l. c. adductæ eam luculentiſſime comprobent, qui Autor hanc poſ-

sibilitatem ibidem uberius variis rationibus evincit, & simul alia exempla profert; additque, quod alius etiam tendo, pariter validissimus, quem supra genu musculus rectus, cruræus, vastus internus & vastus externus patellæ inserendum constituunt, valida corporis vi aliquando pariter disruptus sit. Majorem adhuc admirationem excitat ipsius *ossis calcanei diffractio*, de qua idem auctor l. c. observationem peculiarem refert, qualis etiam jam olim *Hippocrati* innotuit, utpote qui *Lib. de Fracturis* de ea mentionem facit.

§. V.

Nemo profecto disruptionis hujus *possibilitatem* facile in dubium vocabit, qui secundum leges mechanicas & staticas insignem illam vim ac potentiam rite considerat, quam tendo impendere debuit, ut corpus à præcipitatione in aquam defenderet, dum extremi pedis digiti totius corporis æquilibrium nequaquam sustinuerunt, tota interim pedis planta & calce nullibi fulfultis: ex historiæ enim circumstantiis *Cap. I.* §. 1. allatis certo colligimus, plantam pedis eo tempore non sursum erectam, sed horizontaliter collocatam, imo à velocissimo conatu deorsum fuisse depressam, & corporis centrum gravitatis sic minime digitis innixum, sed ab iis remotius, propius ad calcem constitutum fuisse, donec aucta distensorum musculorum potentia corpori æquilibrium restituerit. Adde, quod projectio corporis sub ipso saltu nova directione proprium corporis pondus admodum auxerit, & multo adhuc majorem sustentandi potentiam desideraverit: poplite namque prius sub saltu inflexo, musculi flaccidi postea subito, velocissime & quam validissime distensi fuerunt. Haud aliter atque chorda quædam, sive filum lente tractum paulatim fortius, & tandem validissime absque disruptionis metu distendi potest; ast, si relaxatum mox celerrime valido conatu distenditur, subito disrumpitur: ita quoque tendo sensim insigni conatu extensus ponderi corporis aliisque oneribus gravissimis potentissime resistit; qui deinde flaccidus valida, eaque subitanea distensione uno impetu facta dissolvitur, aut, si firmius violentiæ reluctatur, ipsum os annexum perfringit (§. *præced.*).

§. VI.

Non possumus quidem violentam hanc potentiam & vim motricem determinare, quam musculi extensores, & in specie tendo iste Achillis impendere debuit, quia certæ lineæ directionis & puncti quietis relatio tum temporis existens, atque ipsum corporis pondus, ejusque situs nobis minime constant: alias enim facile ex scientia mechanica, & quidem ex doctrina de vecte, qua omnes *potentiæ mechanicæ distantiis ab hypomochlio sunt reciproce proportionales*, justa potentiæ illius quantitas patesceret, quæ corpus ele-

elevare, ejuſque centrum gravitatis reſtituere, imo tendinem diſrumpere valuit.

§. VII.

Celeb. *Laur. Heiſter* Diſp. de maſticatione §. 16. variis experimentis potentiam muſculorum maxillæ inferioris exploravit, eamque maximam 300. librarum calculo evicit. Quodſi jam robuſtiſſimi noſtri tendinis, ejuſque muſculorum vaſtiſſimorum molem cum omnibus illis maxillæ muſculis comparamus, certe plus quam 10. vicibus aucta vis ac potentia his tribuenda erit, præſertim cum potentia in calce longius adhuc à puncto quietis diſtet, quam in maxilla. Unde luculenter patet, tendinem noſtrum à tanta robuſtiſſimorum ſuorum muſculorum concurrentium (*Cap. I.* §. 1.) vi, quanta 3000. libras ſuſtinere valet, ſub ancipiti corporis æquilibrio uno impetu diſtenſum, aut ipſum diſrumpi, aut calcaneum ſubito diffringi, neceſſe fuiſſe.

§. VIII.

Evidentiſſima vero *certitudo* hujus *diſruptionis* mox in ipſo ſaltu factæ, ex ipſa experientia in hoc caſu patet. Quamprimum enim chirurgus pedem exploravit, ſtatim cutem ſupra calcem profunde depreſſam, ac *foveam* formantem obſervavit (*Cap. I.* §. 2.), ex cujus profunda ſubſidentia rectiſſime *abſentiam tendinis* in eo loco, adeoque ejus rupturam agnovit; cum alias tendo integer à tibia ſupra calcem quadantenus diſtans (*Cap. II.* §. 1.) in inflexo pede cutem alte elevet, ac ſemper aliquam *eminentiam longitudinalem* efficiat, viſu & tactu manifeſtiſſimam. Neque ipſe chirurgus ſolus, ſed & alii adſtantes hujus eminentiæ defectum perceperunt, adeoque infauſto chirurgi augurio facile aſſenſum præbuerunt. Præterea noſmetipſi diſruptam hujus tendinis partem inferiorem calci adhærentem, tertia ſtatim hebdomade ex vulnere prominentem conſpeximus, ab omni humorum acrium arroſione adhuc illæſam.

§. IX.

Alterum dubium, *quod iſte tendo* poſt mortem diſruptus viſus non ſtatim in ipſo ſaltu in partes diſceſſerit, ſed *durante morbi decurſu* ab humorum acredine paulatim arroſus, tandem *putredine abſumptus fuerit*, lubrico nititur fundamento, quia ad talem corruptionem tendinis adeo craſſi ac perquam ſolidi longa requiritur mora, cum tamen tendinis pars ſeparata jam die 18. poſt ſaltum per vulnus prominens conſpici potuerit (*Cap. I.* §. 2.), eoque certius, quoniam eum tum temporis adhuc ab omni putredinis nota immunem obſervavimus (§. *præced.*), atque idem poſt ipſam amputationem ex utraque parte adhuc ſatis craſſus, ſo-

lidus, nec ut alii tendines multo minores & molliores putredine penitus corruptus, sed saltem in extremitate circumquaque arrosus exstitit (*Cap. I.* §. 5.), unde vera ejus disruptio evidenter cognosci potuit.

§. X.

Exulat quoque suspicio, *tendinem istum ex incuria chirurgi*, primum vulnus forcipe dilatantis, fortasse *dissectum fuisse*. Quodsi enim perpendimus, vulnera jam patula solummodo dilatanda cutis crassitiem, partium subjacentium præsentiam & incisionis viam luculentissime monstrare, qua forsex secure dirigi possit, quis, quæso, chirurgorum adeo vesanæ mentis foret, ut cutem dumtaxat divisurus, posthabito omni reliquo situ partium, forficem ad tendinis istius crassissimi profunditatem audacter adigeret? Quæ imprudentiæ suspicio in nostrum chirurgum, anatomiæ & chirurgiæ experientissimum nequaquam cadit, quippe qui ejus disruptionem statim ab initio prævidit (*Cap. I.* §. 2.) atque enuntiavit. Adhæc ejusmodi incisiones haud adeo large aperta forcipe, sed sola ejus cuspide perficiuntur (quemadmodum etiam in hoc casu debite factum est), qua vero cuspide tendo ille crassissimus æque ac tenacissimus minime discindi potest, utpote cuspidi nimis potenter resistens.

§. XI.

Merito etiam hoc loco disquirenda est ratio, *qua potentia patiens noster* post fatalem saltum disrupto jam tendine Achillis adhuc *quadantenus ambulare & extremum pedem retrorsum extendere potuerit* (*Cap. I.* §. 1. & 2.), cum tamen hæc actio à musculis gastrocnemiis & solæo beneficio hujus tendinis ab iis protensi sit derivanda? Quæ circumstantia etiam maximam de vera ejus disruptione dubitandi ansam præbuit. Certissimum quidem est, hujus extensionis actionem potissimum ab his musculis eorumque tendine communi provenire; attamen ea quoque à *musculis tibiæo postico & peronæo postico*, quando conjunctim actionem suam præstant, quodammodo perficitur, quoniam hi utrinque malleolorum eminentias, *trochlearum more*, ambientes ad tarsi partem anteriorem excurrunt, quorum ille ossi naviculari, hic ossi metatarsi, quod digitum minimum sustentat, implantantur, atque sic circa malleolorum eminentias tanquam per trochleas ducti infimum pedem satis valide retrorsum protendere valent. Neque experientia huic asserto refragatur: quodsi enim in corpore demortuo, dissecto prius tendine Achillis, musculos tibiæum & peronæum posticos attrahas, evidentem certe observabis extensionem: de qua experientia etiam laudatus *Petit* l. c. testatur. Præterea etiam hanc extensionem adjuvat insignis *musculus perforans*, itemque

que *flexor pollicis*, qui à postica tibiæ parte exorti sub planta ad digitos pedis progrediuntur. Hi enim musculi, quanquam proprie digitos pedis flectant, indirecte tamen actione sua simul plantam pedis paululum retrorsum deprimunt, ita, ut horum & præcedentium musculorum actione conjuncta manifesta quædam depressio extremi pedis facile sit dijudicanda.

CAPUT III.

De arteriarum ossificatarum causa.

§. I.

EXpedit nunc, ut etiam de ossificatione arteriarum in hoc corpore observata (*Cap. I. §. 6.*) agamus. Ut autem ratio hujus ossificationis eo melius constet, prius arteriarum & ossium indoles ac substantia sunt considerandæ: *arteriæ* sunt canales membranacei, conici, per totum corpus protensi, qui sanguinem à corde ad omnes corporis partes devehunt, & propterea pulsu ac elasticitate gaudent. Membranæ sive tunicæ, quibus arteriæ componuntur, sunt (1) vasculosa, (2) celluloſa (quibusdam glanduloſa), (3) musculoſa (cui *Heisterus* imponit tendineam), & (4) nervea. *Ossa* vero sunt partes corporis durissimæ, rigidæ, albicantes, sensu destitutæ, quæ membrana firmissima, periostio dicta, cinguntur, & medullam in suis cavitatibus recondunt: ea gaudent potissimum utilitate, ut totum corpus suffulciant, & varias ejus partes ab externis injuriis defendant.

§. II.

Anatomia embryonum & tenellorum fœtuum ostendit, omnium, quotquot sunt, corporis *ossium prima rudimenta* esse adeo *mollia* & flaccida, ut fere diffluant; progressu vero temporis *concrescere in membranas*, quarum plures *lamellæ* sibi invicem incumbunt, & quæ tacitis paulatim passibus majorem rigiditatem acquirentes *in cartilagines*, & tandem sub firmiori soliditatis incremento *in Ossa* degenerant. vid. *Theod. Kerckringii* osteogenia fœtuum. Hæc vero transmutatio absolvitur perpetua nutrimenti accessione: dum enim per nutritionem continuo alimentorum moleculæ firmioribus fibris apponuntur, vel potius earum interstitiis apprimuntur, facile solidam cohæsionem recuperant. Accedit autem nutrimentum per vasa sanguifera, quibus ossium substantia æque ac singulæ corporis partes abundant.

§. III.

§. III.

Ossa ex meris vasis contexi, & nil esse nisi fasciculum vasorum periostio cinctum, comprobant diffracta recens natorum ossa, quæ non solum intense rubent, sed etiam ubique vasa sanguine turgida luculenter sistunt, successu temporis in osseam duritiem abeuntia. Similis res est cum pullorum gallinaceorum pennis, quarum caulis cuti infixus sanguinolentus ac totus carnosus, postea in solidam duritiem corneam abit. Pariter ratio suadet, arterias ad ossium nutritionem & augmentationem eorum substantiam subire, quæ undiquaque dispersæ innumeras venas constituunt, sanguinem superfluum revehentes: quem nutrimenti transitum perennem etiam callus fractis ossibus generandus, & caro per ossa amputata copiose excrescens abunde evincunt. Adeoque *ossa non à medulla, sed à vasis sanguiferis nutriuntur.* vid. *Clopton Havers* de ossibus p. 87. sqq. it. p. 104. seqq. & *Verduc* Osteolog. Cap. IV.

§. IV.

Advehunt quidem vasa sanguifera omnibus corporis partibus commune pabulum, attamen non per omnes canales eædem nutrimenti particulæ æque commode transeunt, nec ab iis pari facilitate recipiuntur. *Ossa* per artem chymicam resoluta *multum olei & salis* tam fixi quam volatilis *suppeditant*, unde nauseosus ossium adustorum fœtor redolet: certo indicio, fibras eorum ita esse comparatas, ut intra suos poros solummodo lympham oleosis & salinis particulis imprægnatam admittant, quarum particularum oleosæ in meatibus ac cellulosis ossium interstitiis colliguntur, salinæ vero fibris implicatæ rigidiorem cohæsionem facilitant.

§. V.

Nutrimentum hoc ad ossa devectum valide expandit vasorum latera, quoniam arcto ibidem fasciculo condensata fortiori impulsui haut sufficienter resistere valent: quare interstitia ampliata particulas crassiores admittunt, quibus cumulatis fibræ distenduntur, sibique sensim propius apprimuntur, atque membranas & rigidas constituunt lamellas (§. 2.). Facile sic indurantur vasorum tunicæ, dense sibi invicem appropinquantes & appressæ, quia crassiores alimentorum particulæ illuc appulsæ firmiorem ibi cohæsionem nancisсuntur, adeoque intra membranas occlusæ facile obrigescunt & lamellas ac fibras osseas producunt. *Distenduntur* autem à succrescente materia *prius extremæ ossium membranæ*, & quidem validissime, quantum eorum textura patitur; *postea proxime adjacentes* lamellæ interiores quoque firmiorem subeunt contractum, interpositis fila-

filamentis & vasis innumeris. Optimam rationem suggerunt cartilagines, quando in osseam substantiam degenerant: non enim media earum pars primam duritiem acquirit, sed superius intra perichondrium obducuntur osseo cortice, quemadmodum in aliquo nostrorum sceleto cartilagines sterni utrinque ossificatæ idem manifestissime demonstrant. Quando sic ossa generantur, indurescunt successive plures tubuli, sibi mutuo accumbentes, interiores enim exterioribus semper eodem modo denuo firmiter apprimuntur, ut membranas & lamellas constituant: id docet ossium exfoliatio in carie, qua eorum moles ex pluribus lamellis coagmentata sistitur: fidem hujus rei quadantenus facit structura periostii, cujus fibræ multiplicem lamellarum seriem sibi incumbentem ostendunt.

§. VI.

Præterea facile conjicimus, oriri *periostium*, quando sub ipsa ossificatione quædam membranæ extrorsum collocatæ nimis dense sibi mutuo accedunt, ut materiam osseam recipere nequeant, adeoque solidarum membranarum formam retinent, ad cujus periostii servatam flexilitatem multum quoque perpetua humectatio partium adjacentium, præsertim pinguedinis oleosæ confert: attamen etiam ipsum periostium osseum fuisse factum, Cel. *Conrad. Peyerus* Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. VII. obs. 205. testatur. Idem forsan frequentius contingit, quam quis observat, quoniam rarissime ossa ubique denudantur. *Insigniter* autem hac ratione *extendi periostium*, vel inde patet, quod ossibus arctissime superinductum reperiatur, nec ejus divisi labia mutuo sibi iterum adduci queant. Nec caret iste arctissimus amplexus sua utilitate, utpote quo nimia ossium excrescentia potentissime impeditur, simulque efficitur, ut eorum substantia intra terminos coarctata justam acquirat duritiem ad munera obeunda necessariam: comprobant hanc sententiam fractorum ossium calli, qui dilacerato periostio ultra superficiem ossis alte excrescunt, nisi per artem chirurgicam debite reprimantur.

§. VII.

Est autem hujus ossificationis explicatio admodum difficilis, ita, ut vix aliquid certi in hac re ardua, partim propter observationum rarissimarum penuriam, partim propter absconditum locum, quo ossificatio in corporibus vivis peragitur, aliasque circumstantias minus cognitas, determinari possit. Licet autem in re adeo difficili certa demonstratio locum non inveniat, nihilominus tamen omnes causæ concurrentes sunt perpendendæ, quæ aliquid huc conferre potuerunt, ut pateat, quænam harum maxime sit probabilis.

Landesbibliothek Oldenburg

§. VIII.

Admodum sane hallucinantur illi, qui ex una vel altera observatione alicujus effectus Physici rarioris statim indubitatas causas reddi posse, sibi persuadent, solis opinionibus contenti: hinc consultius agunt, qui omnes observationes similes, quotquot invenire possunt, earumque causas rite conferunt, & ex harum mutua relatione causas ubique concurrentes eruunt. Optandum autem esset, ut ab Auctoribus *Cap. I. §. 9.* citatis *accurata* harum arteriarum *exploratio Anatomica*, omnesque *circumstantiæ necessariæ*, præsertim *de* illorum hominum *vivendi genere* suppeterent, quæ vero omnino desiderantur.

§. IX.

Luculentissime observavimus, non omnes arteriarum tunicas induruisse, sed saltem *internam nerveam Cap. I. §. 7. & 9.* Quæritur autem, an *ipsa hæc tunica* in osseam degenerata sit substantiam; an vero potius *alia materia* in arteriarum cavitate huic tunicæ successive apposita & crassa sua consistentia firmiter implicata arteriis osseam hanc mutationem induxerit, præsertim cum harum arteriarum cavitas post ossificationem multo minoris facta sit diametri (*Cap. I. §. 6.*)?

§. X.

Frequens docet experientia, *fibras tendineas* provectiori animalium & hominum ætate *osseam* sæpe *duritiem acquirere* (*Cap. I. §. 9.* it. *Diemerbroeck* Anatom. L. VI. Cap. I. & *Verduc* Osteologia Cap. I.): reperiuntur corpora senilia, quorum nonnulli tendines adeo solidi existunt, ut eorum durities cartilagines antecellat, & *in adultis Gallinis* semper observantur *tendines* musculorum in pedibus plane *ossei*. Est nobis sceleton hominis quinquagenario majoris, in quo *extremitates variorum tendinum omnino osseæ* adhuc insertionis loco cum ossibus concretæ conspiciuntur: inter quos uterque validus ille tendo, qui in femore à musculis recto, cruræo, vasto interno & vasto externo producitur, paulo infra utriusque patellæ limbum superiorem *serratis prominentiis osseis* dubiam suam inter Anatomicos insertionem manifesto prodit.

§. XI.

Quoniam membranæ ex fibris nervosis ac tendinosis sunt contextæ & ideo etiam quandoque ossescunt (vid. *Verduc.* l. c. it. *Auctores Cap. I. §. 9.* citati); tunica autem arteriarum nervea pariter fibris tendinosis gau-

gaudet, jam mirum non est, cur ea cum tempore paulatim rigidior facta suo tono & vi elastica adeo defraudetur, ut sanguinem tardo ac duro conatu lente protrudat: qualis arteriarum pulsus senibus est familiaris, quibus postea, cum absque gravi quodam morbo ultimo vitæ termino obruuntur, sanguinis progressus tandem plane deficit, ut instar candelæ deficientis extinguantur.

§. XII.

Hæc itaque arteriarum membrana justo rigidior facta postea nutrimentum advectum tardiori motu ex poris suis repellit, quod sic copiosius cumulatum interstitiis jam firmiori nexu adhæresçit, atque ossificationis lege (*Cap. III.* §. 5.) in solidam ossium abit substantiam; & quoniam hæc degenerata nutritio successu temporis semper augetur, hinc largius distenditur, & incrassescit lamella ossea, eoque facilius, cum ejus cohæsio non sit continua, sed ex squamulis flexilibus composita (*Cap. I.* §. 7. & 9.); quia etiam superiores arteriarum tunicæ, musculi & aliæ partes solidæ arteriis accumbentes huic incrassationi ab extra validiorem obicem ponunt, quam sanguis fluidus intra vasa contentus, quem etiam arteriæ rigidæ factæ non amplius tanta potentia propellunt, ideo introrsum potius hæc accretio lamellæ osseæ vergit, quam extrorsum, atque sic arteriarum cavitatem reddit angustiorem (*Cap. I.* §. 6.).

§. XIII.

Ex his sufficienter patebit, ipsius tunicæ arteriarum nerveæ indurationem & ossificationem omnino esse possibilem: & cum supra lamellam osseam tenuis adhuc membrana in arteriæ cavitate expansa sit observata (*Cap. I.* §. 7.), præterea autor observationis in *Transact. Phil. Angl.* hanc lamellam osseam intra arteriarum tunicas exstitisse (*Cap. I.* §. 9.) referat, & ab aliis quoque membranæ ossificatæ sint observatæ (§. *eod.*); veritati magis consentaneum videtur; *ipsam arteriæ membranam in osseam degenerasse substantiam*, quam quod alia materia ex sanguine lateri arteriarum interno applicata, & in os degenerata sit supponenda: alias, profecto, nulla suppeteret ratio, quare materia ad ossium generationem idonea, quæ quidem ubique per totum corpus adest, non æque facile in venis substiterit, cum tamen sanguinem multo spissiorem & tardioris progressus alant, & liquores lente agitati spissas suas particulas heterogeneas facile deponant, quæ sic, venarum lateribus sensibili pulsu destitutis, tanto securius nidulari potuissent. Causa vero, cur non pariter *venæ* sint osseæ repertæ (*Cap. I.* §. 6. 9.) nobis hæc esse videtur, quia earum tunicæ multo sunt tenuiores & molliores, & nunquam ad tantam rigiditatem accedunt, quanta ad ossificationem recipiendam requiritur.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XIV.

Cum autem patientis noſtri *ætas* nondum adeo fuerit provecta, ut ob eandem arteriarum membranæ adeo eſſent induratæ (*Cap. III.* §. 10.), cum in aliis hominibus ejuſdem ævi tale quidquam contigiſſe haud obſervetur; præterea etiam ipſius *temperamentum ſanguineo-cholericum* per ſe fibras non adeo rigidas alat; aliæ certe cauſæ hanc oſſificationem produxerunt. Quapropter ſequentes, ut opinamur, circumſtantiæ ex ejus amicorum relatione penitius erunt perpendendæ: (1) quod homo iſte jam à prima juventute *peregrinationibus marinis* operam dederit, & aliquoties in Indiam Orientalem iter fecerit, quo tempore ſemper alimenta dura, ſale macerata comedit. (2) quod mixturam liquidam Anglis uſitatiſſimam *Punch* dictam, admodum frequenter, fere quotidie in magna copia hauſerit. Sane dura illa *navigantium alimenta* craſſum ſuppeditant ſuccum nutritium, cujus particulæ minus ſufficienter digeſtæ omnibus corporis partibus, & ſic etiam membranis conſiſtentiam juſto ſolidiorem conferunt, experimur enim, omnes homines victui duro aſſuetos gaudere fibris robuſtioribus: multum quoque huc contribuit *ingens defatigatio corporis* & *frequens mutatio aëris* per climata adeo remota. Potiſſima vero cauſa hujus oſſificationis procul dubio fuit mixtura illa liquida (*Punch*), quam ſaccharum, ſuccus citri & ſpiritus vini gallici ingrediuntur; quidam etiam loco ſpiritus vini gall. utuntur alio ſpiritu vini ex oryza præparato, quem *Arrak* vocant, qui multo eſt generoſior, cui potiſſimum homo noſter indulſit. Notiſſimum autem eſt, partes carnoſas in ſpiritu vini aſſervatas valde indureſcere, & quoniam ſuccus citri multo adhuc validius conſtringit, & ſaccharum humores ſpiſſos reddit, facile quilibet ſentiet, talem miſcelam frequenter & copioſe ingurgitatam nequaquam idoneum ſuppeditaſſe nutrimentum, ejus ſpirituaſcentiam particulas tenuiores diſſipaſſe, craſſas vero firmiores reddidiſſe, atque à longo jam tempore miram in corpore produxiſſe mutationem tandem ſenſibilem, inprimis illarum partium, quæ facile indureſcunt, & in oſſa degenerant. Præterea etiam *bilis* per frequentem excandeſcentiam (*Cap. I.* §. 2. 3.) ad ſanguinem copioſe delata ſua viſciditate majorem adhuc humoribus ſpiſſitudinem conciliaſſe videtur. Neque dubitamus, multum quoque ad illius viri (*Cap. I.* §. 9.), quem nuper diſſecuimus, oſſificationem arteriarum victum durum, & inprimis *ſpiritum vini* contuliſſe, quem more vulgi noſtri conſueto eum copioſe hauſiſſe alii nos certiores reddiderunt. De reliquarum vero obſervationum adductarum cauſis ob defectum circumſtantiarum nihil certi aſſerere poſſumus.

§. XV.

Ex his allatis etiam conſtat, (1) quod diſruptio tendinis & propterea extra-

extravaſati atque ſtagnantes humores hanc oſſificationem arteriarum minime effecerint : multi enim reperiuntur homines, quorum humores extravaſati ſæpe per aliquot annos in pedibus ſtagnant, varia ulcera, cariem, ſpinam ventoſam, ac tandem ſphacelum producunt, ubi tamen nulla oſſificatio poſt mortem obſervatur ; (2) quod nequaquam amputatio pedis, cujus conſolidatio uſque ad diem 11. poſt amputationem optimam pollicebatur ſpem priſtinæ ſanitatis (*Cap. I.* §. 3.) ſed ulterior per corpus oſſificationis progreſſus (*Cap. I.* §. 8.) præcipua mortis cauſa exſtiterit ; (3) quod nihilominus iſte homo etiamſi tendo non diſruptus fuiſſet, nec caries oſſium ſuperveniſſet, haud adeo per longum tempus amplius vivere potuiſſet.

§. XVI.

Quanquam pauciſſima ſaltem ſanguinis quantitas ex his arteriis cruralibus ſub amputatione effluxerit (*Cap. I.* §. 3.), & rigida oſſea lamella cavitatem admodum coarctaverit (§. 6.), non tamen propterea in his inſignibus vaſis plane ceſſavit ſanguinis tranſitus : quamprimum enim perennis hæc revolutio penitus intercipitur, ſubito emoritur homo, utpote qua ſola ſanitas ac vita conſervantur. Quæret autem aliquis, *qua ratione circulatio ſanguinis per has vias adhuc contingere potuerit*, cum oſſa nulla gaudeant flexilitate, aut vi elaſtica, cujus tamen ope ſanguinis progreſſus ſemper ulterius eſt derivandus ? Aſt vero conſiderandum eſt, has arterias non in continuas excreviſſe lamellas oſſeas, ſed earum ſquamulas per ſulcos geniculatim ita ſibi fuiſſe connexas, ut à ſe invicem facile deflecti potuerint *Cap. I.* §. 7.) : retinuerunt itaque hac ratione iſtæ arteriæ quadantenus ſuam flexilitatem, pulſum ac elaſticitatem, licet cum tempore magis magiſque imminutam, quæ tandem lamellarum craſſitie & rigiditate aucta plane deficere debuit. Propterea nobis facile perſuademus, quod in illis hominibus, præſertim ætate provectis, qui nonnunquam ſphacelo pedum abſque ulla prægreſſa cauſa externa corripiuntur, pari modo arteriæ in oſſeam ſubſtantiam degeneratæ reperirentur, ſi eorum cadavera poſt mortem ſectionibus Anatomicis exponi concederetur.

FINIS.

Landesbibliothek Oldenburg



PETRI

Landesbibliothek Oldenburg

CXLIV.

PETRI CASTELL

EXPERIMENTA

QUIBUS

VARIAS HUMANI CORPORIS

PARTES SENTIENDI FACULTATE

CARERE CONSTITIT.

Gottingæ 20 Jan. 1753.

Landesbibliothek Oldenburg

PROOEMIUM.

Quum constituissem, pro impetranda legitime medicinam, quam adhuc discere studui, profitendi exercendique facultate conscribere dissertationem ac specimen publicum edere; primum elegeram argumentum de venarum valvulis, quas novo studio perquirere satis opera dignum videbatur. Hoc animo complures venas in ipsis corporibus humanis pervestigavi, copiam cadaverum faciente instructissimo Gottingensi theatro, valvulasque indagavi, quarum etiam sedes & loca annotavi, descriptaque servo: adeoque brachii venas magnamque saphenam cum valvulis suis appositis delineandas curavi. Sed, quemquam Perillustris theatri anatomici Praefectus, Generosissimus Dominus De Haller, *mihi corpora & partes, quantum per muneris & reliquorum theatri laborum rationes fieri potuit, liberalissime indulserit, eique ego pro hoc pariter ac ceteris plurimis sui favoris documentis & benefactis magnas debeam gratias publiceque agam; tamen haud sufficere visae sunt eae, quas interim colligere licuit, observationes ad plenam perfectamve, qualem meditabar, valvularum venosarum historiam condendam, praesertim quum, ut in anatomicis operibus fieri solet, nonnunquam corpora membrave, propter adversam aëris temperiem, corrumperentur, ut iis ad propositum meum uti non possem, aliaque saepius inciderent inquisitionum mearum impedimenta. Quum igitur viderem, alteram adhuc hiemem, qua tempestate anatome celebrari corporaque afferri solent, exspectandam fore, quo coeptum opus ex sententia perficerem: mihi vero tamdiu in dulci Georgia Augusta commorari non liceret; aliam tractationis materiem circumspicere coactus sum.*

Quod consilium quum agitarem, deque ea re Perillustrem Praeceptorem, magnum Hallerum *convenirem, ut ex ejus potissimum arbitrio novum exercitationis argumentum iterum constitueretur; Generosissimus Vir mihi experimenta proposuit instituenda, quae certas corporis partes, quibus vulgo eximia sentiendi facultas adscribitur, sensu plane carere confirmarent: eamque rem hoc magis disputatione dignam judicavit, quod adhuc sint, qui Cl. D.* Zimmermanni *de sensibilitate tendinum assertis in Diss. sua inaugurali de* Irritabilitate, *Gottingae MDCCLI, propositis, fidem adhibere nolint.*

Equidem haud dubitavi consilium sequi optimi mei Praeceptoris: itaque ejus ductu, praesidio, suppetiisque non modo in iis partibus, in quas Cl. D. Zimmermannus *inquisivit, nova pluraque cepi experimenta, sed in aliis similiter explorandis, quas necdum memini ab ullo hac fini experimentis esse sollicitatas, operam & studium collocavi. Neque tantum in experimentorum effectibus observandis occupatus fui, aut in iis acquievi, sed quoad temporis praestitutus terminus & virium imbecillitas permiserunt, propositam doctrinam connexa ratione explicare atque asserere conatus sum. Etsi vero potissimum animantia*

bruta ad observationes faciendas adhibuerim; tamen, ubicunque vel à viris fide dignis accepi, vel ipsemet animadverti, ea, quæ in animalibus acciderunt, pariter in hominibus evenisse, hæc, sicut deprehensa sunt, subjeci.

Facile credo fore plurimos, quibus sententia nostra difficillime ad assentiendum videatur, & qui fortassis meam elevent operam, quod juvenis vetustam doctrinam convellere allaboraverim. Et sane fateor, quum primum ad hanc materiam aggrederer, animoque obversaretur, quot & quanti viri contrariam opinionem secuti sint ac propugnaverint, quorum auctoritas relinquenda confutandaque foret, me pene à scribendo deterritum fuisse, ac nimis audax inceptum putasse, si ego tanquam puer viris adversari, velut Troilus Achilli, vellem. At quum simul mecum reputarem, opus suscipi & ab aliorum sententia discedi hortatore & approbatore summo viro, qui ipse antea receptam vulgo doctrinam secutus, nunc experimentorum vi ac veritate victus, mentem mutaverit; additus iterum est animus, ut aliena à vulgaribus placitis proponere non amplius vererer. Quapropter etiam spero atque confido, æquos rerum judices, si perpenderint, me experimentis rite accurateque captis, præsertim quum suavissimus atque humanissimus Præceptor plurima eorum ipse instituerit, demum in novam concessisse sententiam, mihi veniam daturos, quod oculorum potius & sensuum testimonio credam, quam iis, quæ vel ab auctoritate aliorum vel ab antiquitate fidem invenerunt, vel à solo mentis ratiocinio robur acceperunt. Quis enim est, qui nesciat, insignes sæpenumero viros gravissimis erroribus implicitos fuisse, erroremque semel susceptum longa deinde sæculorum serie propagatum, & semper magis confirmatum, tandem difficillime iterum eradicari potuisse? Deinde optabile modo foret, ut quilibet, inprimisque ii, qui rem in dubium vocant, vel ipsi experimenta instituere, vel aliorum experimentis interesse, haud gravarentur: tum nullus dubito, modo recte omnia acta sint, quin plane, sicut nos, rem se habere deprehensuri, & suum nobis assensum haud abnegaturi sint.

Ut vero propius ad tractationem ipsam accedam, materiam in sex capita dividam, quo ordinatius singula tradi & sub conspectum collocari possint: & in Ia quidem Sectione exponam, quæ circa Tendines *observavi & commentatus sum: in IIa similiter agam de* Ligamentis *: in IIIa de* Periosteo Pericranioque *: in IVa de* Pia Matre: *in Va de* Pleura: *in VIa & ultima de* Peritonæo. *In singulis capitibus eum tractationis ordinem servabo, ut thesi primum proposita, statim subjungam facta experimenta observationesque, & tum demum uberiorem inde doctrinam eliciam atque deducam. Faxit Deus feliciter!*

SECTIO

SECTIO I. DE TENDINIBUS.

PROPOSITIO.

§. I.

TEndines omni plane ſenſu carent : & vulnera ipſorum nec periculoſa , nec lethalia ſunt.

EXPERIMENTUM I.

§. II. Canis ſtantis , quem aliquis amicorum capite prehenſum tenebat palpabatque , per cutem , ab exteriore latere dextri pedis , tendinem Achillis lanceola pupugimus. Nihil fere animadvertit canis ; nullam enim vocem emiſit : ſed potius ad allicientem proceſſit , eique cauda alludens hilarem prodidit animum. Idem æque commodo inceſſu gaviſus eſt ac antea : neque prius lambit vulnus , quam illud ſpiritu vini , quo ſanguis ſiſteretur , ex diſſecta Saphena minore profluens , tinxeramus. Poſtea vero vulnus omnino contemſit , & alacer obambulavit , & quum panis porrigeretur , & avide devoravit , & vegetus circumcurrit. Exacto horæ ſpatio ejuſdem canis in ſiniſtro pede tendinem magnum , ſive Achillis , ab interiore latere bis eadem lanceola iterum pupugimus , eodem ut antea ſervato modo , niſi quod nulla vena pertuſa fuit. Nihilo plus animadvertit : & quum allecto fruſtum panis paulo altius offerretur , in poſteriores pedes ſe erexit , & conſtitit panem captaturus. Deinde per tres adhuc integras horas eum comem obſervavimus , neque deprehendere potuimus ullum vulnerum factorum ſenſum percepiſſe : nam nunquam ea lambendo contigit ; quum tamen aures ipſis vulneratis pedibus ſæpius ſcaberet. Denique ipſum per plures dies continuos nobiſcum in conclavi retinuimus , quo toto intervallo bene ſe habuit , nec convulſionibus , nec aliis ſymptomatibus conflictatus eſt.

EXPERIMENTUM II.

§. III. Canem præcedente haud multo minorem , menſæ impoſitum , cute tantum in cervice leniter apprehenſum teneri curavimus , tumque per cutem , à latere interno , chordam magnam dextri pedis ſcalpello anatomico pupugimus. Qui , quum caput libere movere poſſet , hoc eo ipſo momento , quo punctio fiebat , circumvertit ad locum inflicti vulneris , non alio geſtu , quam ſi muſcam pungentem abigere vellet : quum vero

deinde libere dimissus esset, laesam partem plane negligenter habuit, & alacriter hilariterque ad eos progressus est, qui ipsum allicerent. Dehinc in ventrem procumbere coëgimus, & dum ab uno amicorum in hoc situ tenebatur, ab altero autem pes posterior sinister extendebatur, nos ab interiore pedis latere minutum cuti foramen inflximus, tendinemque magnum in parvo spatio denudavimus. Quae dum agebantur, leviter quiritabat canis, atque e manibus comprehendentium se eripere nitebatur. Igitur praestolati sumus, donec ad quietem rediisset, quo facto scalpellum per nudum tendinem usque ad medium circiter adegimus. Nihil ejus percepit: permansit enim quietus, neque pedem retrahere tantillum conatus est, quemadmodum in incisione cutis fecerat. Sic illum in terra positum dimisimus: ille vero statim discurrit laetus & alacer, vulneraque accepta nec quicquam curavit. Quando frustum panis eminus ostendebatur, sustulit se arrectum, pedibusque extremis ingrediens eum secutus est, qui cum porrecto pane paululum retrocesserat. Quotiescumque postea ipse hunc canem vidi, semper eum alacrem vegetumque reperi, cursitantem, ac nullius unquam incommodi participem.

EXPERIMENTUM III.

§. IV. Hædum accepimus, & in eodem situ, quo canem in priori experimento secundo, composuimus, tum in alterius pedis interiore parte, dissecta cute, exiguum magnae chordae spatium denudavimus. Dum hoc fiebat, balavit animal. Deinde scalpellum in tendinem intrusimus: tum vero ne mutivit quidem, neque ullum sensus aut doloris signum edidit: & quum mox in solo collocatus esset, aeque commode incessit parilesque saltus peregit ac antea. Neque ullis posthac convulsionibus aliisve malis conflictatus est.

EXPERIMENTUM IV.

§. V. Canem, quem ad primum experimentum adhibueramus, & in quo nullum adversae valetudinis vestigium deprehendebatur, post intervallum duorum dierum in asse resupinatum, ore constricto, ne mordere posset, collocavimus, pedesque ejus extensos eidem, cui impositus erat, asseri firmiter alligavimus. Tum extensorem alterius tibiae parum denudavimus; quod canem perturbavit, gemitusque expressit. Postquam vero caput ei permulsum est, iterum tranquillus fuit, neque amplius gemuit. Deinde extensorem tendinem scalpello primum irritavimus, seu vellicavimus: nihil animadvertit. Mox eodem scalpello tendinem compunximus: nihilo magis commotus est. Simulac vero volsella cutem apprehensam leviter modo vellicaveramus, coepit lamentari seque jactare. Similiter sese gessit,

Landesbibliothek Oldenburg

gessit, quum extensorem alterius tibiæ repetito statim experimento sollicitaremus. Tandem vinculis solutus, perinde commode gressus fecit, ac si nihil ipsi accidisset, hilaris fuit, vulnerumque plane oblitus, ea lambere omisit: contra subinde iisdem pedibus sine sensu molestiæ corpus scalpsit. At si loca vulnerata contrectarentur, eo caput convertit, vulneraque lingua tersit.

EXPERIMENTUM V.

§. VI. Canem, quem pridie ad experimentum secundum instituendum adhibueramus, quique admodum lætus ac vegetus erat, eodem, ac in proxime prægresso experimento dictum est, modo ligavimus. Quo facto, parvum foramen cuti pedis alterius infliximus, quo extensor tibiæ aliquantum denudaretur. Hoc se percipere, jactatione ululatuque significavit. Denudata parva tendinis portione, & animali tranquillitati reddito, scalpellum profunde in extensorem demisimus: ne minimum quidem doloris percepit; nam plane quietus restitit. Quam primum vero cutis alterius pedis incidebatur, ad denudandum similiter extensorem, ejulare cœpit. Quod quum facere desiisset, hunc tendinem scalpello lacessivimus, adeoque compunximus: jacuit immotus, nihil actorum percipiens. At quum volsella cutem apprehenderemus comprimeremusque, cœpit iterum quietem amittere & ejulare. Deinde eum vinculis solutis dimisimus: circumcursavit, quasi escam quærens, quia, quum in theatro anatomico versaremur, sine dubio carnium odorem percipiebat. Simulac vero vocabatur, venit, &, ostenso cibo sursumque sublato, arrectus extremisque pedibus innixus processit.

EXPERIMENTUM VI.

§. VII. Hædum, similiter ac canes præcedentes, apte alligavimus, excepto quod os liberum reliquimus, quandoquidem hoc pecus non mordet, atque sensum doloris optime balatu manifestat. Huic quoque cutem dissecuimus, & extensorem unius tibiæ ex aliqua parte denudavimus: quod sentiens, balavit. Tum scalpellum intrusimus in dictum tendinem, ibi per aliquot momenta reliquimus, iterumque extraximus: nihil horum omnium animadvertit, siquidem nullam vocem emisit. At quum cutis pauxillum modo volsella vellicaretur, extemplo vociferatus est. Similiter se gessit, quum statim post in extensore alterius tibiæ idem experimentum repeteremus. Vinculis liberatum animal incessu ut antea valuit, subinde solitos saltus peregit, lac potavit, perpetuaque alacritate gavisum est.

EXPERIMENTUM VII.

§. VIII. Catellum dorso incumbentem manibusque comprehensum ita collocavimus, ut os & caput libere movere posset. Tum incisa cute extensorem tibiæ una cum ligamento denudavimus: exclamavit ille, magnamque inquietudinem testatus est. Exspectavimus, donec palpo permulsus tranquillitatem recepisset: quod ubi factum erat, ligamento tantisper quidem intentato relicto, tendinem aliquoties scalpello compunximus: ille vero omnis sensus expers fuit. Ast incisione cutis tantum leviter producta, confestim ejulavit.

EXPERIMENTUM VIII.

§. IX. In Cane, quem ad explorandum pleuræ sensum destinaveramus, antequam hoc fieret, postquam in apto situ collocatus constrictusque erat, extensorem tibiæ more consueto denudavimus. Quum cutis incideretur, haud parum anxius fuit canis, adnitens sese in libertatem vindicare, gemitusque ciens, quia propter obstrictum os altum ejulatum edere non poterat. Post aliquod temporis intervallum tandem sedatus fuit tumultus, iterumque conquievit: tum longam acum sarcinariam (*eine Packnadel*) in extensorem tendinem ab inferiore parte sursum versus intrusimus, ferme ultra pollicis spatium, eamque aliquandiu in vulnere relictam, iterum aliquoties paululum retraximus, totiesque denuo intrusimus, postremo totam extraximus. Tamen ista omnia ne minimum quidem affecerunt canem: tenuit enim tranquillitatem. Tum vero secta paululum iterum cute, continuo dolorem jactatione gemituque declaravit.

EXPERIMENTUM IX.

§. X. Canem, quem ad primum & quartum experimentum adhibueramus, binis post ultimum exactis diebus, in ventrem procumbentem, ore constricto, quatuor pedibus distentis alligavimus. Tunc à posteriore parte cutem dextri pedis incidimus, ad retegendum aliquatenus tendinem Achillis: quod se sentire, inquietudine demonstravit. Composito ad quietem cani, hunc tendinem ad medium fere dissecuimus: inter hæc quum nihil plane se commoveret, satis apparuit, nullum inde dolorem ad eum pervenire: & quum vinculis solutis liber dimitteretur, pristinam alacritatem præ se tulit, projectum panem e vestigio devoravit, & una omnibus quatuor institit pedibus: quodsi progrederetur, læso pariter innitebatur pedi, quam alteri ex posterioribus, eodem aures scalpebat, ac per scalas sursum deorsumque sine dolore aut molestia gradiebatur. Neque aliter vulnera lambit, quam quum ea contrectarentur ostenderenturque. Si cubaret

baret atque alliceretur, sine mora surrexit & ad illum, qui vocabat, progressus est. In universum à spasmis convulsionibusque immunis fuit.

SCHOLION I.

§. XI. *Quum in hoc exemplo chordam magnam ad medium usque dissecaremus, animadvertimus aliquam tendinis portionem se retrahere, alia adhuc restante, quæ pariter jam quadantenus incisa erat. Mirabamur, quid esset; opinati, in hoc animalium genere, haud secus ac in homine, chordam magnam unico tantum constare tendine. Quapropter consilium cepimus in præsenti cane primo quoque tempore explorandi, unde hoc phænomenon accideret. Præterlapsis ergo tribus diebus jugulavimus canem, qui toto hoc intervallo perpetuo sanus vegetusque degerat, ne minimum quidem incommodum expertus.*

OBSERVATIO I.

§. XII. *Invenimus in cane tendines Gemelli & Solei non, sicut in homine, conjungi unumque constituere tendinem, sed unumquemque separatim ossi calcaneo affigi. Nimirum tendo Gemelli recta descendit inseriturque ossi calcis. Tendo solei statim ab ortu suo se flectit ad interiorem pedis partem, ibique sub Gemelli tendine emergit, cum eodem ultra dimidium linea fere recta decurrit, postea sursum ascendit, supergreditur tendinem Gemelli, latescit, amplectitur Gemelli tendinem, & extremo suo latiore affigitur superiori & posteriori, sive exteriori, parti ossis calcanei. His tendinibus sese adjungunt alii bini, à musculis femoris originem ducentes: unus ab exteriore pedis latere procedit, alter ab interiore. Uterque paulo gracilior est. Ut primum tendines prædictos attingunt, concurrunt, conjunguntur, firmiter plerumque invicem cohærent, & fere non nisi unicum efficiunt tendinem. Tali modo sub tendine solei, quo loco se conjunxerunt, paulo tamen magis ipso tendine versus interius pedis latus, descendunt, inferius à solei tendinis latiore extremo, similiter ac tendo Gemelli, circumdantur, & ossi calcis in pedis interiore latere inseruntur. Omnes hi tendines tenui quidem, sed firma tunica, quæ ipsorum vagina est, simul includuntur: præterea quoque inter se invicem ope fortis cellulosæ membranæ connexi sunt; ut adeo, si ab exteriore facie considerantur, omnino speciem unius tantummodo tendinis præbeant, omniumque actio fere non alia quam simultanea esse possit.*

SCHOLION II.

§. XIII. *A quibus nominatim musculis femoris isti tendines originem ducant, operæ pretium haud credidi inquirere, siquidem hoc ad propositum meum plane nihil contulisset. In universum enim plus afferre nolui, quam quod expli-*

plicationi nonnullarum observationum inservire possit. Alias quoque annotare debuissem, tendinem Solei, postquam ad os calcaneum adhæsit, iterum crassescere, findi, atque ad digitos pedis abire.

OBSERVATIO II.

§. XIV. *Quandoquidem incisio facta erat à postica parte pauloque magis versus internum latus, Solei tendo erat, quem dissecueramus, quique se retraxerat: tendines vero musculorum femoris & Gemelli leviter læsierant. Superior pars tendinis Solei ab inferiore circiter transversum digitum distabat, & sub tunica, quæ omnes tendines involvit, se abdiderat: illa enim ab inferiore hujus extremo haud multo plus distabat, quam dissecta cutis exterior hiabat, cui etiam per intermediam multam cellularem substantiam adhærebat. Inferior pars hujus tendinis, ut mihi quidem visum fuit, longe minus se retraxerat quam superior: etenim ejus extremum nihil fere quidquam à tunica contegebatur, pariterque paululum modo sub exteriore cute absconditum latebat. Adhæc bina anteriora extrema dissecti tendinis aliquanto crassiora erant magisque prominebant, quam reliquæ tendinis partes: inferioris tamen partis extremum anterius non omnino crassitiem ac prominentiam extremi finis anterioris partis superioris æquabat.*

EXPERIMENTUM X.

§. XV. Canem, quem ad secundum & quintum experimentum adhibueramus, quinque integerrima valetudine fruebatur, die post experimentum quintum sequente, tali modo ligavimus, ac in cane experimenti noni feceramus. Huic similiter cutem à postica parte versus internum latus incidimus, tendinemque Solei parumper denudavimus. Commovit se canis & irrequietus factus est. Exspectavimus, donec requievisset: quo facto tendinem Solei totum transversim præcidimus; cujus superior pars retrahebatur: canis autem quietem inconcussus servabat. Vinculis eum liberavimus, & ipse lætus & alacer discurrit, quum alliceretur, in altum se erexit, pedibusque posterioribus ingressus est.

EXPERIMENTUM XI.

§. XVI. Alii cani, quem ut præcedentes alligaveramus, Gemelli tendinem, à postica parte versus exteriora parum denudatum, ultra dimidium recidimus. Nihil sensit: & solutus æque bene pedi innixus est ac antea, neque convulsionibus aut spasmis agitatus. Quo appareret, an posterioribus pedibus arrectus ingrederetur, frustum carnis olfaciendum datum est, & deinde in altum sublatum; extemplo se arrexit, pedibusque posterioribus inni-

innixus, porrigentem & parumper recedentem secutus est. Scalarum gradus sursum deorsumque perambulavit, ab editioribus locis saltu se dejecit, & valde lætum atque alacrem egit. Postridie similiter in altero pede tendinem Solei ab interiore latere ultra dimidium abscidimus. Inde non magis læsus est, quam prius, cursitavit, scalas æque commode ac antea scandit, & similiter allectus, posterioribus pedibus incessit, nullis spasmis aut convulsionibus vexatus.

SCHOLION III.

§. XVII. *Hos duos canes reservavimus ad experiendum, an & qua ratione disciſſi tendines iterum coalescerent. Cutis intra quatuor hebdomadas integre coiverat, iis vero locis, ubi minor inciſio facta erat, adhuc citius. Priorem canem post sex hebdomades, posteriorem post triginta & quinque dies à captis experimentis necavimus, tumque sequentia invenimus.*

OBSERVATIO III.

§. XVIII. *Antequam in priore cane tendinem Achillis investigaremus, eo loco ubi sectio facta erat, & pili necdum repullulaverant, digitis tendinem comprehendimus: in quo duo minuta tubercula tetigimus, circiter transversum digitum minorem à se invicem remota; ceterum superius tuberculum majus fuit inferiori. Deinde totum tendinem reteximus. Tunica, quæ tendines omnes conjunctim includit, & quam in observatione prima, seu §. XII, commemoravi, perfecte coaluerat: &, si tubercula modo dicta abfuissent, tendinem sanum quilibet putasset. Aperuimus tunicam inter bina tubercula, illamque separavimus: firmissime tuberculis adhærebat. In extremo superioris partis resecti tendinis Solei, ubi tuberculum occurrebat, fibræ magis à se invicem distabant, neque ita arcte sibi accumbebant, quam in reliquo tendine: nimirum hoc tendinis extremum speciem præbebat, quasi tumefactum aut inflatum esset. Compressum & parumper attractum, paulum liquidi profudit, adeoque aliquantum graciliscere & elongari visum est. In extremo hujus tendinis inferiore, ubi tuberculum minutius erat, quam in superiore, & fibræ, quantum equidem visu cognoscere poteram, valde parum magis à se invicem remotæ erant, quam per reliquum tendinis tractum observabatur. Dum extremum finem inferiorem perinde ut superiorem, comprimebam, simulque attrahebam, fere omnino non animadvertere poteram eundem elongari; aliquid tamen humidi promanare mihi videbatur. Præterea neque in extensoribus tibiarum hujus canis, neque in tendinibus Achillis, ullum amplius deprehendi vestigium punctiurarum, ab acubus inflictarum, sicut in secundo & quinto experimento perscripsi.*

OBSERVATIO IV.

§. XIX. *Dignum quoque animadversione est, in illo cane, quem in scholio primo, seu §. XI, me jugulasse dixi, nihil amplius punctiurarum in tendinibus factarum, quemadmodum in experimento primo & quarto, seu §. II & V, exposui, me deprehendere potuisse: excepta tamen ista punctura, qua venam simul perruperam in experimento primo. Hic scilicet multum inveni cruoris extra vasa effusi, inter cellulosam substantiam ac tendinem: adeoque nonnihil ejus in rimam punctiuræ penetraverat, quod parvam rubicundam in tendine lineam efformabat.*

OBSERVATIO V.

§. XX. *Præparatis in altero cane tendinibus Achillis utriusque pedis, in tendinum uno ad internum, in altero ad externum pedis latus, valde minutum tuberculum observabam. Hæc tubercula tenui membrana vestita erant, eaque membrana ita fortiter illis adhærebat, ut inde omnino separari non posset. Verisimile est, hanc membranam fuisse partem vaginæ, quæ singularem quemque tendinem includebat. Igitur aliquoties tantum leves scalpello incisuras secundum tendinis longitudinem faciebam, quo species objecta est quasi verarum fibrarum noviter enatarum, quæ tamen flavescebant, &, si luci obverterentur, paulum pellucebant. Quodsi tendines luci obverterentur, videri poterat, quousque in singulis scalpellum adactum esset. Solei tendo fere totus abscissus fuerat: nam paucæ tantum albæ fibræ inferius conspiciebantur, deinde apparebant aliæ subflavæ, quæ eo longiores fiebant, quo magis incisura ad superiora procedebat, quoniam supremæ fibræ dissectæ quam maxime se retraxerant, subsequentibus semper, prouti succedebant, minus minusque retractis. Supremæ tamen non ultra crassitudinem corvini calami, quali ad delineandum utimur, à se invicem remotæ fuerunt. Tendo Gemelli non ita profunde incisus fuerat: ceterum eadem, quæ de Solei tendine retuli, in hoc pariter observabantur: quo magis vero minuta ista tubercula scalpello secundum directionem longitudinis cædebam, eo minora reddi videbantur, ita ut tandem ferme nihil ipsorum animadverti posset. Illud, quo tendines iterum coaluerant, naturam glutinis habebat, &, si rei quam simillimæ comparandum est, speciem referebat calli, quo confracta ossa iterum conjungi solent; nisi quod in tendinibus mollior erat, quam in ossibus.*

EXPERIMENTUM XII.

§. XXI. In hædo, similiter ac proxime prægressi bini canes, alligato, ore tamen libero, quo sensum doloris balatu testari posset, in uno pede tendinem Solei, in altero illum Gemelli, ad dimidium usque disci-

di-

dimus. Nihil ſenſit : attamen, quum tendines denudarentur, itemque quum, ſectis tendinibus, cutis volſella velleretur, balavit. Inde dimiſſum animal in alterum diem abire juſſimus, quo die pleuram in eo explorare ſuſcepimus : interea temporis nullis ſpaſmis aut convulſionibus tentatus fuit, ſed admodum vegetus, poſterioribuſque pedibus ſicut antea innixus, ſubinde pro more conſueto hujus generis animantium ſaltus fecit.

SCHOLION IV.

§. XXII. *Quum poſtea tendines ſectos recognoſcerem, nihil reperi, quod hic annotari adhuc dignum foret.*

EXPERIMENTUM XIII.

§. XXIII. Canem eodem ac præcedentes poſtremos canes modo alligavimus, chordaque magna digitis comprehenſa, & ſcalpello proxime ſub ea chorda trajecto, eandem integram præcidimus. Vinculis remotis quum in ſolo ſtatuiſſemus canem, ingreſſus eſt, & læſo pedi pariter inniti conatus : ſed pes haud ſatis firmitate valuit; in hoc enim brutorum genere, dum ſtant aut pedes promovent, chorda magna longiori ipſorum tarſo in erecto ſitu tenendo inſervire debet. Humi ſtratus ſi vocaretur, ſtatim accurrit, ſemper etiam læſo inſiſtere pedi conatus : adeo parum ſenſit, pedem vulnere debilitatum eſſe; quum tamen alioquin canes ſolis tribus pedibus haud dubitanter uti ſoleant, ſi tantillum ægritudinis in uno pede perceperint. Retinuimus nobiſcum hunc canem per integrum dimidium diem, quo toto tempore perpetuo vegetus & alacris fuit, cibos avide voravit, nec quicquam malorum ſymptomatum in eo deprehendi potuit.

SCHOLION V.

§. XXIV. *In hoc experimento tendinem Achillis non tibiam verſus, ſed cultro ex induſtria ab ea averſo diſcidimus, quia alias nervum ſub tendine decurrentem facile ferire potuiſſemus.*

EXPERIMENTUM XIV.

§. XXV. Poſtridie hujus experimenti eundem canem, ſalvum vegetumque, eodem modo ligavimus, & in altero pede tendinem magnum fere totum nudavimus : quod quum fieret, ſatis inquiete ſe geſſit. Exſpectavimus donec pacatus eſſet, tunc tendinem acie à tibia averſa medium diſcidimus : quo facto ſuperior tendinis pars circiter tranſverſi digiti ſpa-

tium, nulla tamen vi, sed lente, se sursum retraxit; ast partem inferiorem retractam fuisse, equidem nullatenus animadvertere potui. Deinde tam superiorem quam inferiorem tendinis dissecti partem incisionibus vexavi, aliquas etiam particulas supra infraque abscidi: quorum omnium nihilo plus doloris percepit, quam senserat quum medium tendinem præciderem. Sed quum scalpello per cutem adacto musculosas carnes compungerem, tum vero confestim perturbatus, cœpit ejulare. Postremo canem interfeci.

SCHOLION VI.

§. XXVI. *Præter hæc, dum in ligamentis experimenta caperemus, aliquoties, occasione ferente, oleo vitrioli, lapide infernali, acu, scalpello, extensores tibiæ non tantum titillavimus, sed etiam compunximus, cecidimus, dimidios integrosque discidimus: sed nec catelli, nec majores canes, neque hædi ullum inde dolorem perceperunt. Ut primum vero cutem horum animalium cædebamus, comprimendove vellicabamus, aut musculosam partem, vel incisam tantummodo cutem ab interiore facie, lapide infernali vel oleo vitrioli titillabamus: statim certis declarabant signis earum rerum sensum ad se pertinere.*

SCHOLION VII.

§. XXVII. *Tot igitur institutis experimentis quum satis abundeque confirmatum esset, tendines in brutis sensu destitui, eosque sine periculo pungi vexarive posse; in hominibus quoque visum est, quoad liceret, explorare, an pariter se res haberet, ac de brutis animantibus constiterat. Quapropter haud veriti sumus, in vulneribus humanis sponte oblatis rem experiri: & quæcunque reperta sunt, fideliter enarrabo, haud dubitans fore, ut iis nostra sententia adhuc magis corroboretur.*

EXPERIMENTUM XV.

§. XXVIII. Accidit, ut studiosus litterarum cutem unius ex digitis unco laceraret, ita ut flexores tendines nudi apparerent. Usus est hac occasione Celeberrimus Præceptor, Perillustris Dn. *De Haller*, cui merito summos deferimus honores, & quum satis persuasum haberet, contrectationem tendinum nihil periculi afferre, unum istorum tendinum vellella arripuit atque compressit, insciente quidem nec advertente ægroto. Interea vultum ejusdem diligenter observabat Ill. *Hallerus*, num forte signum aliquod ingrati sensus ostenderet, sicut procul dubio factum esset, si ille dolorem aliquem percepisset: sed nihil plane mutatus est vultus. Testis adfuit expertus chirurgus, *Bornemannus*, conscius eorum quæ agebanban-

bantur, idemque propterea diligenter etiam vultum ægroti intuitus eſt, num aliquod indicium doloris proderet : ſed nec ille quicquam mutationis deprehendere potuit. Hic quoque poſtea ſæpius in renovanda vinctura idem experimentum repetiit, eundemque ſemper effectum expertus eſt.

EXPERIMENTUM XVI.

§. XXIX. Ancilla, quæ grave onus una cum aliis portabat, his remittentibus ab illapſo pondere vehementem in pollice contuſionem acceperat. Vocatus *Bornemannus*, cujus in ſuperiore experimento mentionem feci, inter curandum aliquoties occaſione uſus eſt abſentiam ſenſus in tendinibus magis magiſque comprobandi. Igitur primo flexorem longum inſtrumento parum acuto vellicavit : neque interrogavit ancillam, an doleret ; ſed tantum indicia vultus attendit, in quibus nihil animadvertit, quod dolorem ſignificaret. Quum vero iterum experimentum tentare vellet, dixit ei : ſe in oſſe aliquid operaturum eſſe, hoc tamen plerumque non dolere ; ſed ejus loco tendinem adhuc vagina ſua tectum ferramento acuto vellicavit. Tum quæſivit, num doleret ? negavit illa. Deinde vaginam tendinis diſcidit, quum, utique propter ſuppurationem, incidere neceſſe eſſet. Jam nudum tendinem acuta ſpathula, qua ad unguenta & emplaſtra inducenda utebatur, titillavit, adeoque pupugit aliquantum, & fiſſuras inter ejus fibras excitavit. Interrogavit denuo ægrotam, num doleret ? iterum illa negavit. Pariter volſella tendines aliquoties compreſſit : ancilla vero nihil ejus percepit.

EXPERIMENTUM XVII.

§. XXX. In lapicidina hujus urbis operarius quidam à lapidibus ruentibus tantam accepit in pede læſionem & contuſionem, ut aſtragulus adeo, ſeu talus, plane extra locum ſuum proturbatus, malleolo tantum adhæreret interno. Chirurgus *Bornemannus*, poſtridie cum aliis accerſitus, explorato vulnere, ſerram, qua pedem amputaret, intervallo duorum tranſverſorum digitorum ſupra malleolum admovit. In quo opere dum, quoad fieri poterat, caveret, ne carnoſis partibus nimis appropinquaret ; factum eſt, ut tendinem achillis fere ad dimidium tranſverſum digitum ſerra diſcinderet, priuſquam hoc animadverteret : at æger nihil ejus perceperat ; & neque hoc, neque reliquis diebus, ſpaſmis aut convulſionibus conflictatus eſt. Erant in ægro nudati quoque tendines peronæi longi pariter ac brevis : quare hos etiam acumine ſpathulæ, ad emplaſtra inducenda adhiberi ſolitæ, compunxit chirurgus, præſente Illuſtri atque Generoſiſſimo Dn. *De Haller* & binis adhuc aliis viris in dignitate conſtitutis, quibus ego me adjunxeram. Dum hæc fiebant, in vultu ægri nulla ſigna

apparuerunt, quibus dolorem proderet: quum tamen an doleret ex eo quæreremus, placido vultu affirmabat. At quum nunc linteum ad contegendum pedem leniter tantum injiceretur, idque partes carnosas a cute nudatas contingeret, statim exclamavit, quod nequaquam fecerat, quum tendines pungerentur. Adeoque credibile est, aut metu amputationis, quæ tunc parabatur, perturbatum hominem ad quæstionem, num dolorem ex punctione tendinum sentiret? affirmando respondisse: observavi enim, eodem, quo hæc fiebant tempore, eum ad duas contrarias quæstiones propositas pariter affirmando respondisse; namque unus ipsum interrogabat, an pulvinar altius attolli juberet? alter autem quærebat, an potius illud, sicut positum erat, retinere vellet? utrumque affirmabat. Aut fieri potuit, ut, quia tendines ab adhæsione liberi solutique erant ac commovebantur, ambientes vulneratæque partes, ipsaque cutis ad quas illa commotio pervenit, aliquem perceperint dolorem.

SCHOLION VIII.

§. XXXI. *In aponeurosibus haud opus esse putavi capere experimenta; quia partim nihil aliud, nisi tendinum ipsorum productiones sunt, partim ejusmodi nonnulla experimenta & asserta jam à Cl.* D. Zimmermanno *in allegata Dissert. §. XV & XVI. proposita sunt. Quum tamen inter experimenta in peritonæo & ligamentis facta subinde nactus sim occasionem aponeuroses quoque scalpello & butyro antimonii stimulandi; modo tantum hic admonendum duxi, eas me in his experimentis sensu vacuas deprehendisse.*

CONSECTARIA.

§. XXXII.

Itaque vidimus tendines in omnibus experimentis sensu & dolore fuisse destitutos, sive puncti, sive vellicati, sive compressi, sive secti, sive ad partem aliquam discissi, sive integre præcisi, sive parte aliqua truncati aliove modo quocunque vexati fuerint: non minus autem in vagina tendinum, quam in ipsis tendinibus eandem insensibilitatem deprehensam fuisse, siquidem & in tendinibus vagina sua adhuc tectis, & in vagina separatim experimenta facta sunt, ut præcipue ex §. X. collato cum §. XII. itemque ex §. XXIX. manifestum est. Neque solum in animantibus brutis varii generis & ætatis ea phænomena comparuerunt, sed plane similiter etiam in hominibus evenerunt. Nam quod fortassis objici posset, ægrotum §. XXX. propositum affirmasse, se dolorem ex compunctione tendinis percepisse; hoc illum falso pronunciasse, partim jam in eodem §o maxime probabile factum est, partim constanti omnium reliquorum experi-

perimentorum teſtimonio conſenſuque confirmatur, partim denique ex eo conficitur, quod idem æger paulo ante multo majorem læſionem, nimirum achillei tendinis ictu ferræ reciprocantis factam lacerationem, non ſenſerat. In aponeuroſibus pariter ſe rem habere ac in ipſis tendinibus, §. XXXI. demonſtratum eſt. Ceterum hic præmonendum duco, me loqui proprie de iis tendinibus, qui in extremis muſculorum exoriuntur; non de fibris tendineis, quæ muſculorum carni intertextæ ſunt: quanquam ad has quoque ea, quæ dico, ſuo modo applicari poſſint.

§. XXXIII.

Deinde cognovimus, licet tendines quoquo modo vexati eſſent, modo non integre præciſi fuerint, tamen id non impediviſſe, quo minus artus motum & actionem ſuam, quatenus à tendinibus adminiſtrantur, perinde ut in perfecta ſanitate retinuerint: ſicut inprimis §. II. III. IV. V. VI. VII. X. XV. XVI. XXI. docent. Porro retractæ ſunt tendinum fibræ, necdum præciſis integre tendinibus: vid. §. XX. collato §. XI. & XIV; quod etiam comprobari videtur enatis iſtis tuberculis, quæ §. XX. deſcripta ſunt, & procul dubio iis in locis, ubi fibræ præciſæ fuerant, ſuccreverant, ſicut §. XVIII. accidit. Etſi vero ſic retractis pluribus fibris reliquæ à pondere appenſo magis tenſæ ſunt; tamen nunquam obſervatum eſt, ſpaſmos aut convulſiones inde ortas fuiſſe: velut nominatim dictum eſt §. X. XVI. XXI. XXX.

§. XXXIV.

Sed neque aliis ullis ægritudinibus propter tendinum læſionem quamcumque animalia aut homines affectos fuiſſe, tota ſeries experimentorum oſtendit. Nam licet integre abſciſſi fuerint tendines, tamen nulla alia mala conſecuta ſunt, quam functionis, quæ tendinum propria fuerat, intermiſſio, quemadmodum in §. XXIII. & XXV. expoſitum eſt: & dum coaleſcerent diſſecta quiete omnia peracta ſunt: & poſt ſanationem vel nulla prægreſſarum læſionum veſtigia remanſerunt, vel tantum leviora in propriis vulneratorum tendinum locis; vid. §. XVIII. XIX. XX.

§. XXXV.

Tandem manifeſtis exemplis edocti ſumus, diſciſſas tendinum fibras, eoſdemque integre præciſos, iterum proprio ſucco, ſeu glutine interpoſito, coire conjungive: nec levis adfuit ſuſpicio, ipſas tendineas fibras fuiſſe renatas; ut legenti §. XVIII, XIX, XX. perſpicuum erit. Quid enim aliud indicarunt innata tubercula, niſi ſuccum tendinis ibi collectum reſtagnaſſe? & quid aliud fuit humor ille, quem ex præciſis tendinum

capi-

capitibus exprimere licuit? Denique ipsum molle gluten in locis coalitis, oculis conspectum manibusque tractatum, hanc rem satis comprobat.

§. XXXVI.

Hæc igitur, quæ hactenus deducta sunt, liquido demonstrant, verissimum esse, quod initio posui; scilicet tendines omni sensu, multoque magis dolore vacuos esse, vulnera vero ipsorum vel quascunque læsiones nihil plane periculi, nulla vel leviora symptomata, nedum gravia, spasmos, convulsiones, similiaque inferre, & omnium minime mortem inducere. Neque rationum fulcimentis destituta est hæc sententia. Nam ut à verisimili ordiar, quum tendines plerique omnino in exteriore corpore & circa membrorum juncturas locati sint, propterea plurimis externarum rerum afflictionibus, ictibus, pressionibus, similibusque pateant; eos oportuit ita fabricatos esse, ut injuriis istis sine molestia ferendis apti essent, neque doloris sensus inde creatus valetudinem perturbaret, &, si forte gravius afflicti, vexati, vulnerati forent, facilem curationem reciperent. Quod eo magis necessarium fuit, quia trahendis movendisve partibus dicati, huic muneri minus idonei futuri erant, si tractionis sensum perciperent: & quia plerumque ossibus affixi, ab eorum duritie variis in motibus frictionibusque necessario læderentur, si sentirent.

§. XXXVII.

Præterea textura tendinum compacta firmaque perceptioni exercendæ repugnare videtur, quandoquidem ad sensum producendum mollities quædam requiritur. Quo vero clarius textura tendinis intelligatur, ejus compositionem breviter explicemus. Fit tendo, ut ex perfectissimo gravissimoque Anatomico, Viro Illustri, *Bernh. Siegfr. Albino*, Præceptore meo observantissime colendo, coram in prælectionibus physiologicis audivi, ex fibris musculorum carneis, per harum continuationem: quod ut ostenderet Vir candidissimus, nitidum exhibuit præparatum, in quo continuatio istarum fibrarum tendinearum ex musculo tam clare demonstraretur, ut dubitationi nullus relinqueretur locus. Quanquam autem ex carne musculosa producantur tendinis fibræ, has tamen, docuit, propter contractiorem densitatem fieri multo duriores, tenaciores, robustiores, læves, albescentes, splendentes, adeoque in peculiarem fere abire substantiam [*a*]. Consentiunt cum hac doctrina Vir Illustris atque Generosissimus *De Haller* [*b*], Præceptor æque meus summe venerandus, Magnus *Boer-*

[*a*] Conferatur *Celeberrimi Viri Hist. Musculor. Hom.* Leid. Batav. 1734. pag. 7. 18. & 57.

[*b*] In *Prim. Lineis Physiol.* Gotting. 1747. §. 404.

Boerhaavius [*c*], *Petrus Laurembergius* [*d*], *Johannes Bohnius* [*e*], & alii apud *Andr. Ottomar. Goelickium* [*f*] excitati auctores.

§. XXXVIII.

Canaliculis etiam, ſeu vaſculis, inſtructum eſſe tendinem, partim humor ex diſſectis fibris promanans, partim regeneratio amiſſorum, quæ ſine vaſis advehentibus concipi nequit, argumento ſunt, (vid. ſupra §. XVIII. XIX. XX.) partim injectionibus præparationibuſque ſuis feliciſſimis ob oculos poſuerunt ac deſcripſerunt Celeberrimus *Ruyſchius* & in æternum Venerandus *Albinus*, ceu videri poteſt apud ipſos præſtantiſſimos viros [*g*], tum apud *Johan. Georg. Kiſnerum* [*h*], *Herm. Boerhaavium* [*h*], Perilluſtrem *De Haller* [*k*]; adde, quod Vir generoſiſſimus ipſe quaſdam pulchre præparatas tendines adeuntes arterias nobis in prælectionibus ſuis demonſtraverit. At nervum in tendines ingredi, nemo unquam vidit, ut teſtatur *Melchior Sebizius* [*l*], pluresque alii apud *Goelickium* [*m*]: & quanquam e muſculis naſcantur tendines, ad muſculos autem plures accedant nervi; hi tamen omnes in muſculi carnem diſtribuuntur, & ibidem evaneſcunt, neque ad tendines pertingunt. Hæc eſt meorum ad cineres uſque colendorum Præceptorum doctrina, quam accuratis ſæpeque iteratis obſervationibus ſuis comprobatam fovent, uti & doctiſſima eorum ſcripta legenti patebit [*n*].

§. XXXIX.

[*c*] In *inſtit. med.* §. 399. Confer. *Ejuſdem Prælect.* eod. §. cum *Commentariis* Illuſtris *De Haller*.

[*d*] In *Proceſtriis anatomicis* Hamb. 1619. 4.

[*e*] In *Circulo anatomico-phyſiologico* Lipſ. 1710. 4. Progymnaſmate XXIX. pag. 393. ſeq.

[*f*] In Diſſ. *de tendinis ſtructura & uſu*, Francof. cis Viadrum 1734. pag. 12. ſeqq.

[*g*] *Ruyſch. in Theſaur. & Averſ. anat.* Magn. *Albin.* in *hiſt. muſcul. hom.* pag. 11.

[*h*] In Diſſ. *de Læſione tendinum*, Lugd. Batav. 1699. §. X. & adjecta tabula, figura 2.

[*i*] In *Prælect. ad inſt. med.* §. 399. Vol. III. p. m. 375.

[*k*] Ad *Boerhaav.* loco proxime allegato.

[*l*] In *Exercitationibus medicis* pag. 142. Edit. Argent. 1672. *Ant. Leevwenhoekius* quidem videre ſibi viſus eſt nervulos in tendinum involueris, ſed non in ipſis tendinibus: vid. Cl. *Zimmermanni* diſſ. alleg. §. XII; ubi invenies, quam parum inde concludi poſſit.

[*m*] In cit. diſſ. §. XXV.

[*n*] Celeb. *Albin. hiſt. muſc. hom.* pag. 12. Generoſiſſ. v. *Haller prim. lin. phyſiol.* §. 405. & *Comment. in Boerhaav. Prælect.* Vol. III. p. 352. not. a.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XXXIX.

Jam quum, quantum adhuc cognitum est, nusquam sentiendi facultas exsistat, nisi à nervorum extremis [o]: in tendinum autem contextu nulli nervi dispergantur; sequitur, ut neque sentiendi virtute tendines præditi sint. Sunt quidem magni viri, interque hos præcipui *Claud. Galenus* [p], *Hermannusque Boerhaavius* [q], qui tendines ex ipsis nervis oriri propugnant: verum hi solo mentis ratiocinio merisque conjecturis ducti, nullis certis experimentis aut observationibus instructi, eam opinionem conceperunt: vel quum sibi persuaderent, tendines sensus & doloris esse capaces, necessario quoque concluserunt, eos ex nervis esse constructos. Sed quum utrumque argumentandi genus lubrico & fallaci innitatur fundamento, & assertum illud ab experientia refutetur; nemo nos, puto, reprehendet, quod ab auctoritate tantorum virorum discedimus. An forte ex nervorum involucris orti sunt tendines? Non repugnat experimentis; involucra enim, sive ea sint dura aut pia meninx, sive tela cellulosa, facultate sentiendi carent [r]. An autem hæc opinio nullis contradicat observationibus anatomicis? hic neque affirmare neque negare volo; nimis enim longus forem, si accurate fabricam musculi carnearumque fibrarum investigare, & exinde veritatem aut falsitatem hujus conjecturæ determinare vellem.

§. XL.

Veritati auctoritas semper est postponenda. Igitur illis veterum potius adstipulamur; contra quos *Galenus* disputat, & qui jam istis temporibus, nescio utrum experimentis aut observationibus, an rationum momentis permoti, tendines sentire negarunt [s]. Sed quanquam verum docuerint, sic ut nunc nobis per ipsam naturæ explorationem constitit, & veritas in suam sedem postliminio revocata est; tamen hæc doctrina propter admirabilem *Galeni* auctoritatem brevi neglecta, quum posteriores medici cum

[o] Vid. *Boerhaavii inst. med.* §. 566. cum *Commentariis*: vel Perill. *De Haller prim. lin. physiol.* §. 381. coll. §. 377.

[p] *De motu musculi.* Lib. I. cap. 2. *de usu partium* lib. I. cap. 17. & lib. XII. cap. 3. & alibi. Hunc deinde plurimi secuti sunt, ut moris erat. Vid. *Goelicke* in diss. cit. §. VII. itemque *Kisuer.* c. 1. §. IX.

[q] In *prælect. ad inst. med.* §. 399. p. m. 374. & 376. vol. 3.

[r] De cellulosa membrana vid. Cl. *Zimmermannus* in Diss. *De Irritabilitate.* §. 3. & 35. pag. 36. De dura matre *idem* eod. loc. §. 5. itemque Celeb. *Zinnius* in Diss. quæ sistit *experimenta quædam circa corpus callosum, cerebellum, duram meningem in vivis animalibus instituta* Gottingæ 1749. pag. 30. seq. & pag. 43. seqq. De pia matre Sect. 4. hujus dissertationis.

[s] Apud *Goelickium de tendinis structura & usu*, §. 6.

Landesbibliothek Oldenburg

cum *Galeno* errare mallent, quam redintegrato ſtudio rem ipſam inquirere, nunquam in conſpectum redire potuit : adeo ut pro indubitato axiomate habitum ſit, tendines maxime poſt nervos exquiſito ſenſu præditos eſſe ; & *Goelickius* [*t*] inprimis, *illos admodum ſenſibiles, ſeſe in eorum gratiam aſſerere*, teſtetur, *qui neſcio quam inſenſibilitatem tendini vindicare haud erubeſcunt.*

§. XLI.

Hujus autem opinionis aſſeclæ & defenſores hoc potiſſimum utuntur argumento, quia perſuaſum habent, tendines punctos, ſectos, nec integre præciſos, ruptos, laceratos, vexatos, & quocunque modo vulneratos aut læſos eadem ſequi ſymptomata, quæ nervos ita affectos ſequi ſolent : nimirum exquiſitiſſimos dolores, æſtus, inquietudines, ſpaſmos convulſioneſve, deliria, febres, inflammationes, gangrænam, pluraque alia ſæva & horrenda, & ipſam adeo ſæpe mortem. Talia enarrant *Kiſnerus* [*u*], *Guil. Cowperus* [*x*], Magn. *Boerhaavius* [*y*], Ill. *Heiſterus* [*z*], *Jac. Creſcentius Garengeot* [*a*], *Goelickius* [*b*], *Johann. Zachar. Platnerus* [*c*], & complures alii ab his excitati, verbo, fere omnes ad unum, qui vel in univerſum de chirurgia, vel de hac ſigillatim læſionum parte, vel de venæſectionis adminiſtratione commentati ſunt.

§. XLII.

Contra tamen aliqui nonnunquam exſtiterunt teſtes veritatis, qui re diligentius perveſtigata, vulnera tendinum haud tantis tamque multis malis ingenerandis patere monuerunt, ſed fere periculo gravibuſve noxis vacare. In his ſunt *Leonhardus Botallus* [*d*], *Johan. Daniel Schlichtingius* [*e*], *Joh.*

[*t*] Cit. loc. §. 14. add. altera *ejuſdem* Diſſ. *de tendinum affectibus ;* Francof. ad Viadr. 1734. §. 12. pag. 18.

[*u*] Loc. cit. §. 22. ſeqq.

[*x*] in *Tranſact. philoſoph.* Num. 252. & in *Actis Erud. Lipſ. latinis* Anno 1700. menſ. Jan. p. 23. ſeqq.

[*y*] in *aphoriſmis practicis* §. 162. ſeqq. & §. 183. ſeqq. in quos conf. *Comment.* Perill. *Ger. van Swieten.*

[*z*] in *inſtitutionib. chirurg.* Capp. de vulnerib. de læſione nervi aut tendinis in venæſectione, de futura tendinum.

[*a*] in *chirurgia practica* ſ. de *operationibus chirurgicis*, Part. 3. cap. 7.

[*b*] in diſſ. *de tendinum affectibus*, per totam.

[*c*] in *inſtitutionib. chirurg.* §. 377. edit. germ.

[*d*] Commemorat *Goelickius*, in diſſert. *de tendinum affectibus* §. 12. p. 18. *Botallum* à *Johanne van Horne* recte, ut ille ſibi perſuadet, notari, quod tendinem quoquo modo violatum minus noxæ minuſque periculi ſibi conjunctum habere contendit.

[*e*] in *Ephemerid. Naturæ Curioſorum* Vol. 6. pag 109. ſeqq. In obſerv. 24. cui

Joh. Georg. Zimmermannus [*f*]. Adeoque ipsi aliquando ii, qui gravitatem horum vulnerum mirifice augent, testimonium veriori sententiæ inviti imprudentesque perhibuerunt. Sic Perillustris *Swietenius*, qui pro recepta stat doctrina, tamen exemplum affert hominis, cui per saltationem chorda magna utriusque pedis disrupta fuit, quique *nec rupturæ momento, nec toto curæ decursu ullum dolorem sensit* [*g*]. Et illum, cujus casum abruptæ magnæ chordæ refert *Joh. Adamus Kulmus* [*h*], dum vixit, Præceptor meus suavissimus, læso adhuc pedi inniti potuisse, idque etiam postea inter curandum sine molestia repetiisse, subindeque curru vectum esse, observat. Similiter *Petrus Paulus Molinellius* [*i*] exposuit casum juvenis, cui chorda magna gravissime ex vulnere læsa fuerat, qui tamen adeo parum mali sensit, ut illud diebus aliquot plane contemserit. Quin crediderim, omnes eos, qui futuram tendinum calculo suo approbarunt, quorum magnus numerus apud Illustr. *Heisterum* [*k*], *Goelickium* [*l*], aliosque recensetur, tacite confessos esse, tendines tuto pungi secarive posse: nam nisi hoc sine noxa fieri liceret, neque acubus trajectis

Titulus: *tendo ex parte discissus, nullius mali symptomatis causa*, Cl. Vir verba sequentia facit, quæ hac fini hic appono, ut unusquisque videat, quantum valeant experimenta & animus attentus in observando casus nos erroribus exsolvendo. Posteaquam, *inquit*, diu nimis vulgi errore immersus fueram, tendinem, aut nervum, quoad dimidiam sui partem discissum, disruptumve, ingentium symptomatum, phlegmones præsertim, abscessus, gangrænæ &c. causam & originem esse. Ecce! casu obvenit quidam, cui tendines carpi, una cum arteria radiæa, pulsum ubi exploramus, quoad magnam partem, erant hostili cultro rescissi, ut insigniter hiarent. Chirurgus linteo carpto terebinthinæ spiritu madido vulnus opplet, arctasque circumdat fascias, neque nisi post quintum diem easdem solvit, quando carne recenti vulnus jam erat omnino repletum, inducta demum intra tres hebdomadas arida cicatrice, nullo interea animadverso ejusmodi pravo symptomate. Plures consimiles ejusmodi historias à chirurgis sibi communicatas esse, etiam memorat. Ut autem exactius adhuc veritatem istam experirer, *pergit*, canes iterum in subsidium sumsi, quorum tendines plus minusve incisione læsi, ut interdum vix amplius cohærerent, vulnere terebinthina pura, aut vini spiritu, aut nullo pharmaco deligato, observato interim nullo symptomate, quod ullo modo consectarium ejusmodi mali ominis præbere valeret. Add. *ejusdem Traumatologia novantiqua*, Amstelod. 1748. in 4.

[*f*] Hic vir præstantissimus præsente Perillustri nostro Præceptore, Magno *Hallero*, ejusque consilio, ut ego, tendinem Achillis variis in animalibus irritavit butyro antimonii, oleo vitrioli, scalpello, punxit, per mediam longitudinem secavit, nulla autem convulsio, nullus clamor, ne minimum quidem doloris signum apparuit. Vid. *ejus* Diss. inaug. *de irritabilitate*, §. 12. seqq.

[*g*] in *Comment. ad Boerhaavii aphorism. de cognoscend. & curand. morbis* pag. 241.

[*h*] in disp. *de tendine Achillis disrupto, & arteriis in osseam substantiam degeneratis*, Gedani 1730. cap. 1. §. 1. & 2.

[*i*] in *Commentariis de Bononiensi scientiarum & artium instituto atque Academia*, Tom. 2. Part. 1. pag. 193. add. ib. pag. 196.

[*k*] in *instit. chirurg.* cap. de sutura tendinis Achillis.

[*l*] in Diss. *de tendinibus adfectibus* §. 16. seqq.

Landesbibliothek Oldenburg

jectis eos consuere licitum foret. Quod etiam metuentes quidam ex illis, qui vulgarem sententiam tuiti sunt, à tendinis sutura abstinere jusserunt [*m*].

§. XLIII.

Quare, quum alii læsis tendinibus gravia mala imputent, alii tendines insontes judicent; horum nos potius accedere sententiæ, persuadent experimenta & observationes, quæ ipsi diligentissime fecimus, & hactenus accurate enarravimus. Quæret autem aliquis, idque non immerito, quid caussæ fuisse suspicari possimus, cur in eam de funestis tendinum affectibus opinionem descenderint præstantes viri? Qua de re ut meas conjecturas proferam, equidem arbitror, primum à perperam intellectis antiquissimorum medicorum verbis in errorem fuisse inductos. Nam constat nervorum appellatione comprehensos à veteribus fuisse tum veros nervos, tum etiam tendines & ligamenta: quemadmodum ostendit *Anutius Fœsius* [*n*], & vel illud indicat, quod spasmus, qui musculorum & tendinum affectus est, latinis dicitur *nervorum distentio* [*o*]. Quum igitur in probatis auctoribus legeretur, nervis læsis symptomata superius enarrata consequi; hæc ab iis, qui naturam ipsam consulere intermiserunt, promiscue de tendinibus ligamentisque pariter ac nervis intellecta, & invicem permutata, omnibusque in universum attributa esse reor, quæ singulis separatim conveniebant.

§. XLIV.

Deinde notum est, iisdem locis, ubi tendines & ligamenta exstant, plurimos quoque nervos parteque nervis contextas occurrere, & plerumque simul cum istis lædi, atque, si tendo trahatur, etiam connexos nervos trahi convellique. Hinc quum nervi minus, quam tendines, conspicui sint, & vel attentos fallant oculos, nec quondam tanto studio indagati cognitique fuerint, ac quidem nunc solent, factum arbitror, ut tendinibus ac ligamentis, quæ nimirum magis in oculos incurrebant, ea adscriberentur, quæ nervis potius attribui debebant. Quo accedit, quod sæpissime fortassis & à plurimis, quoties in vulneribus atrocia symptomata acciderent, non ea, ac ad certum cognoscendum & statuendum sufficeret, accuratione studioque exploratum fuerit, unde proprie mala ista originem sumerent? sed perfunctorie illis eam caussam assignaverint, quæ manibus oculisque magis exposita esset, aut de qua certe opinionem ante concepissent, & auctoritatem aliorum secuti essent.

§. XLV.

[*m*] Vid. Celeb. *Heister.* & *Goelicke* ll. cc.
[*n*] In *Oeconomia Hippocratis*, voce Νεῦρον.
[*o*] Vid. *Corn. Celsum* passim.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XLV.

Ita, verbi cauſſa, tumores & inflammationes, quæ tendinibus læſis accidunt, videntur rectius vicinis nervis eorumque irritabili naturæ originem debere: hanc enim irritabilem indolem, unam ex primariis inflammationum cauſſis ingenioſe propoſuit conjunctiſſimus, veriſſimus, rariſſimique exempli amicus, *Georg. Erneſt. Remus* in ſpecimine inaugurali nuperrime edito *de experimentis quibuſdam circa circulationem ſanguinis inſtitutis* [p]. Si poſt venæſectionem naſcitur gangræna, hanc à ſanguine inter faſcias aponeuroticas effuſo, non à puncto tendine, pulchre vereque, niſi me omnia fallunt, repetit Cl. D. *Zimmermannus* [q]. Quo autem vehementius ſæpiuſque ille, cui vena pertuſa, poſt peractam venæſectionem ſtatim membrum movet, eo major quantitas ſanguinis effluit, altiuſque adigitur; & quo plus pinguedinis offendit effuſus, eo citius putreſcit. Si poſt ſimilem ſanguinis miſſionem ſequitur perpetuus tenuis liquoris effluxus, cujus exemplum memini poſt ſectam in brachio baſilicam eveniſſe; vaſi lymphatico vulnus illatum eſt [r]. Denique nervi, lymphæ ductus, & ejuſmodi ſubtiles partes in habitu corporis adeo multiplicibus varietatibus ludunt, ut ſæpenumero aliquid in uno humano corpore lædatur, quod in altero vel deeſt, vel alio loco poſitum eſt. His adde, ad vulnerum gravitatem etiam corruptam humorum indolem plus minuſve pro gradu acrimoniæ conferre poſſe.

§. XLVI.

Quamvis igitur tendinum per ſe vulnera haud ita metuenda ſint, & nullum poſt ſe periculum trahant, tamen propterea non erunt nimis negligenter habenda. Licet enim tendines ipſi inſontes ſint, facilemque ſanationem admittant, nihilominus aliæ partes, inprimis nervoſæ, connexæ vel vicinæ, atque una læſæ eſſe poterunt, quæ majorem curam requirunt. Unde ejuſmodi quoque læſiones tractantur ac foventur remediis, quæ nervis amica ſunt, quo omnis noxa caveatur, quæ à nervorum vicinitate timeri poſſet.

§. XLVII.

Vidimus antea, (§. XXXV.) tendines in animantibus brutis, ſive ex parte aliqua diſſecti, ſive in totum præciſi fuerint, propria virtute iterum coaleſcere & conſolidari. Idem in hominibus compluribus feliciſſimo eventu

[p] §. 25. pag. 52. ſeqq.
[q] in Diſſ. inaug. §. 14.
[r] Conf. *Henrici Baſſii Erläuterer* Nuck, Hall. 1728. 8.

Landesbibliothek Oldenburg

tu tentavit paulo ante laudatus *Molinellius* [*s*], oſtenditque in vulnerato Achillis tendine non adeo neceſſariam eſſe futuram, ut plerique ſibi perſuadent. Atque hinc ſane magnum ad ægros, qui ex hoc tendine diviſo laborant, commodum redundat. Nam, quum ita natura magnæ chordæ conſuluit, ut partes ejus, ſi caſu ſectæ fuerint, glutinari ſine ulla artificioſa junctione per ſe poſſint; neque eas ſuere oportebit, & ipſa erit extenſio pedis, quo fines ſecti tendinis coeant & ſe mutuo contingant, quod à nonnullis apprime neceſſarium habetur, minus curanda. Eadem de reliquis quoque tendinibus valere, facile perſpicitur.

§. XLVIII.

Obſervatum etiam eſt §. XI. XIV. XV. XX. XXV. diſſectas tendinum fibras fuiſſe retractas, ſive omnino præciderentur tendines, ſive tantum aliqua de parte. Quod videtur anſam dare dubitandi de veritate receptæ doctrinæ, qua ſtatuitur, tendines neutiquam contractionis eſſe participes, ſed tantummodo carnem muſculorum: ut inter alios tradunt *Joh. Gottſchedius* [*t*] & Celeberrimus *J. Fr. Winterus* [*u*]. Neque objici poterit, à carne muſculorum fibras illas tendinum ſurſum tractas fuiſſe: nam neque carnem ſede ſua aliquantulum exceſſiſſe animadverſum fuit; & magna licet fibrarum parte integra, etiam ſolæ paucæ diſſectæ retrahebantur: & inferius diſſecti magnam partem tendinis extremum quoque parum ſub cute ſe condiderat, ut in §. XIV. annotatum eſt, quamvis cum carne haud cohæreat.

SECTIO II. DE LIGAMENTIS.

PROPOSITIO.

§. XLIX.

LIgamenta ſenſu deſtituta ſunt: neque ex eorum læſionibus alia mala proveniunt, quam quæ ad propriam ipſorum texturam & uſum pertinent.

EXPE-

[*s*] L. c. pag. 189. uſque ad 196.

[*t*] *De motu muſculorum*, cap. 2. §. 1. in Illuſt. *v. Haller Collectione Diſſ. anatom.* Vol. III. p. 371.

[*u*] *De motu muſculorum* §. 16. in *Generoſiſſ. Viri* Coll. Vol. III. p. 445.

Landesbibliothek Oldenburg

EXPERIMENTUM I.

§. L. Canem obligato ore, resupinatum, pedibus comprehensum tenuimus, & cute ab interno latere cruris, juxta genu, incisa, ligamentum ejus loci capsulare aliqua ex parte nudavimus. Dum hæc agebantur, canis vehementer perturbatus quiritabat, ac pedem fortiter retrahendo, magna vi se in libertatem vindicare nitebatur. Neque ad perfectam quietem posthac reduci se passus est. Infliximus parvum foramen in capsula articulationis: quod non videbatur sentire, non enim inquietior factus est, quam fuerat. Tum frustulo ligni, quod oleo vitrioli tinctum erat, per factum foramen trajecto ligamenta tetigimus: sed, quum foramen minutum esset, bacillus haud satis acutus & gracilis, at gutta olei vitrioli grandior, denique canis non ita, ac decebat, quietus; haud potuimus cavere, ne paulum olei dissectam cutem contingeret. Quo canis denuo in vehementes agitationes concitatus, crus validius concussit, eoque etiam oleum ex capsula iterum excussit, ut illud finitimas partes adureret. Ita accidit, ut irrito conatu haud ex sententia perspicere possemus, utrum ligamenta sensum habuerint necne. Interim ea quæ sequuntur observare nobis licuit.

OBSERVATIO.

§. LI. *Quum canem liberum dimitteremus, tribus pedibus ingressus est, & admodum tristis ante januam occlusam procubuit, quasi fugam meditans. Projecta esca, noluit surgere ad illam capiendam: quum autem postea ipsi aquam bibendam ante os offerrem, & panem propius apponerem, edit bibitque. Deinde, quia Illustri Viro, Venerando nostro* Moderatori, *haud verisimile videbatur factum vulnus, propter effluentem synoviam, sanationi fore accommodatum, ideoque canem paucis post diebus ad aliud experimentum adhibere cogitabamus; eum in conclave, ubi plures canes custodiebantur, intuli. Posthac, dum in aliis canibus ligamenta exploraremus, quæ experimenta mox enarraturus sum, vulnus prioris canis omnino negleximus, haud credentes illud bene consolidatum iri, præsertim quum neque sanari vehementer vellemus. Verumtamen sexto post die, quum ad aliud in eo cane experimentum instituendum nos accingeremus, animadvertimus escharam vulneri superinductam, & animal salvum vegetumque discursare, nulla in pede restante infirmitate. Quamobrem, quo vulnus ad perfectam perveniret sanationem, & ut tunc sanationis modum cognoscendi daretur facultas, ipsum dimisimus. Dehinc perpetuo eum observavimus, qui semper alacris vegetusque erat, discurrebat, læsoque crure tam commode utebatur, ac si nullum in eo vulnus accepisset, adeoque, si invitaretur, posterioribus pedibus incedebat.*

SCHO-

Landesbibliothek Oldenburg

SCHOLION.

§. LII. *Quum in eo res esset, venit verus canis dominus sua repetiturus: nam, ut postea audivimus, puer, à quo canem pretio soluto comparaveramus, eum clam suffuratus erat. Quare quum dominus mancipium suum ita carum haberet, ut pro pecunia nobis illud reliquere nollet; ei canem reddidimus. Itaque non potuimus examinare, quomodo ligamentum persanatum fuerit. Reliqua animantia, in quibus ligamenta tali modo explorata fuerunt, statim postea à memet ipso aut aliis, ejus generis experimentis subjecta sunt, in quibus vitam amiserunt, ut alicujus ligamenti curationem cognoscendi nulla copia fuerit. Quod nec in alio cane exspectare, per tempus aliasve res circumstantes mihi licuit.*

EXPERIMENTUM II.

§. LIII. Catellum eodem modo, ac priorem canem, apprehensum tenuimus: non tamen ei os obstrinximus, siquidem per ætatem nondum acriter mordere valebat. Huic pariter ab interno cruris latere juxta genu, incisa cute, ligamentum capsulare reteximus, sed latius quam in priore experimento, foramen quoque in capsula majus infliximus. Dum cutis secabatur ac divellebatur, vehementer clamitabat, seque jactabat: contra dum capsulam perforabamus, conquiescebat. Tunc accepto bacillo peracuto ac pertenui, oleo vitrioli ligamenta interius adussimus. Nihil sensit: restabat enim quietus. Posthac dissectam cutem attigimus: confestim iterum lamentari seque jactitare coëpit.

EXPERIMETUM III.

§. LIV. Similiter se gerebat alius catellus, quum ei hæc ligamenta eodem modo titillaremus. Quo vero majorem hiatum nanciscemur, antea tendinem extensorem tibiæ præcidimus: cujus pariter nihil sensérat, quum tamen ejularet, quamprimum volsella cutem apprehensam vellicaremus.

EXPERIMENTUM IV.

§. LV. Hædum resupinatum, pedibus protensis alligavimus ad angulos tabulæ, in qua resupinaveramus. Tum divisa cute, reteximus ligamenta ab interiore parte cruris. Perpetim balavit, seque eripere luctatus est. Deinde ligamenta exterius lapide infernali lacessivimus: extensorem tibiæ præcidimus, unaque capsulam aperuimus: tum etiam interius ligamenta lapide infernali stimulavimus. Nullam vocem emisit, & in

tranquillitate ſua perſtitit. Aſt, quum cutem reſciſſam eodem lapide arroderemus, continuo iterum balavit.

EXPERIMENTUM V.

§. LVI. Idem experimentum, quod in hædo lapide infernali fecera-mus, in catulo redintegravimus. Qui nihil magis percepit quam hædus, quum exterius pariter atque interius ligamenta corroderentur. Aſt æque acuto, quin ferme adhuc acutiore ſenſu quam hædus valebat, quum cutis incideretur, quo ad ligamenta pervenire poſſemus, & quum inciſa cutis lapide infernali tangeretur.

EXPERIMENTUM VI.

§. LVII. Canem ore conſtricto alligavimus, ſicut hædum. Tum pariter ei juxta genu, in cruris interno latere, diſſecta cute, ligamentum capſulare reteximus. Quiritabat canis, & vehementer angebatur. Exſpectavimus, dum ſedaretur tumultus, tunc capſulam perforavimus, extenſore tibiæ reſciſſo, quo major hiatus fieri poſſet: deinde acu longa ſarcinaria ligamenta compunximus. Nullus inde ſenſus ad eum pervenit: ſervavit enim quietem. Poſtea ligamentum laterale externum aliquoties compunximus: adhuc tranquillitatem ſervavit. Tandem per illud ligamentum acu trajecta, cutem pupugimus: continuo ſenſit, attraxit pedem, & irrequietus factus eſt.

EXPERIMENTUM VII.

§. LVIII. In hædo ſimiliter ut in cane, ligamenta acu longa ſarcinaria compunximus: cujus pariter nihil ſenſit. Ut primum vero, trajecto ligamento, cutem tetigimus, continuo balavit, & dolorem ſuum teſtatus eſt.

EXPERIMENTUM VIII.

§. LIX. Hoc experimentum cum longa acu denùo repetivimus in alio cane vetulo, nec non in alio hædo, iterumque in catulo: ſed nihil unquam doloris cuncta hæc animalia perceperunt, quando ligamenta acu ſtimulabamus. Simul ac vero per trajectum ligamentum cutem feriremus, continuo ſolitis ſignis dolorem declararunt.

CON-

Landesbibliothek Oldenburg

CONSECTARIA.

§. LX.

Ex præmiſſis igitur experimentis & obſervationibus evidenter apparet, omnem ſentiendi facultatem à ligamentis abeſſe. Nec tantum de ipſis ligamentis hoc judicium ferri debet, ſed idem quoque valet de velamentis eadem ambientibus, ſeu de membrana ipſorum propria, quæ peculiari nomine perideſmium [a] appellatur. Hac enim in noſtris experimentis certe inveſtita fuere ligamenta, quum ita, ut in naturali ſtatu ſunt, conſervata fuerint, nec quicquam ab iis ablatum ſit. Quum tamen hæc nihilo magis ſenſum aliquem prodiderint, etſi perideſmium una læſum fuit; ſatis liquet, neque hoc ſentiendi virtute præditum eſſe. Id quod eo manifeſtius eſt, quo certius perideſmium præ ipſa ligamentorum ſubſtantia vellicatum fuiſſe oportet. Quum enim perideſmium exterius ſitum ſit, totumque ſub ſe ligamentum involvat; neceſſum eſt, ut hoc primum & potiſſimum tactum atque irritatum ſit. Denique hæc membrana, quum de celluloſo genere ſit, non magis quam reliquæ telæ celluloſæ ſentit.

§. LXI.

Ligamentis nullum ineſſe ſenſum, olim *Galenus* pluribus locis tradidit [b], ab his inprimis ducens argumentum, quo tendines haud ita exquiſite ſentire ac nervos, adſtrueret. Namque, ex ejus ſententia, quum tendines partim ex ligamentis partim ex nervis compoſiti ſint, quatenus de nervoſa natura participant, ad ſentiendum nati ſunt; quatenus autem ligamentorum indolem adſciverunt, ſenſu vacui ſunt, quandoquidem ipſa quoque ligamenta ſenſu careant. Quam argumentationem etſi noſtram non facimus, & de tendinibus antea ſatis ſuperque probavimus, eos omni ſentiendi facultate caſſos eſſe; hoc nihilo tamen minus inde colligitur, *Galenum* à noſtris partibus ſtare. Neque poſt eum memini quemquam anatomicorum, antiquiorum aut recentiorum, ligamentis per ſe ſenſum attribuiſſe.

§. LXII.

Contra de ſuperinducta iis membrana, ſeu perideſmio, communis eſſe videtur opinio, illam ſenſum habere. Quod primo propterea concedendum eſſe volunt, quia perideſmium ad membranas refertur, & ex earum

[a] Vid. *Winslowius* in *expoſition anatomique*, Traité des os frais, §. 59.

[b] Ut, *de motu muſculor.* Lib. I. cap. 2. *de uſu partium* Libr. I. cap. 17. *de methodo medendi* Libr. VI. cap. 4. *de compoſ. medicam. ſecundum genera* Libr. III. cap. 2.

ordine est : membranas enim sentire credunt [c]. Deinde propius adhuc argumentum inde ducitur, quoniam sub periostei classe comprehenditur quoque perideſmium : quum igitur periosteum ex hypotheſi exquisitissimo sensu gaudeat, necessario sequi videtur, ut etiam perideſmio eadem adsit potestas [d]. Verum enim vero, ut taceam, à periosteo aliisve membranis haud certo ad perideſmium concludi posse; quum statim post demonstraturi simus, periosteum aliasve similes membranas, ipsas pariter sensu destitutas esse, tota hæc argumentatio per se corruit.

§. LXIII.

Ceterum, sicut de tendinibus ostendi §. XXXVI, sensus dotem iis propterea minus convenire, quia variis tractionibus, compressionibus, ictibus, frictionibus, similibusve molestiis perpetuo obnoxii sunt, qui, si sentiendi virtute instructi essent, perpetuos dolores crearent : ita de ligamentis adhuc magis affirmare licet, iis sentiendi facultatem maxime incommodam fore. Quum enim pleraque omnia sita sint in articulis, vel inter ossa, vel in musculorum tendinumve itineribus; his partibus commotis, ut perpetuo fit, non possent non ligamenta dolorem percipere, si sensu prædita essent. Quod ut caveret natura, sapienter illis hanc virtutem negavit.

§. LXIV.

Nihilo tamen minus ex ea doctrina, qua perideſmium sentiendi facultatis particeps habitum fuit, nata videtur opinio, quæ ad omnes fere praxeos medicinalis magistros persuasit, scilicet dolores arthriticos podagricosve sedem suam, præter alias partes, etiam in ligamentis habere. Nolo longus esse in recensendis auctorum nominibus : unum instar omnium excitabo, Magnum *Boerhaavium*, qui in aureis suis *aphorismis de cognoscendis & curandis morbis* [e], huic quoque sententiæ suffragatur. Nemo mihi vitio vertat, quod promeritam hujus summi viri auctoritatem deferam, quasi laudibus ejus aliquid detractum velim. *Boerhaavius* satis apud omnes eruditos & bonos laudatus est, longeque magis veris superat meritis, quam ut levis error, à quo humana natura parum cavit, commissus, ejus gloriæ detrimentum aliquod afferre possit : ego vero propter eximiam viri sapientiam, solidum ingenii judiciique robur, singularem in tradendis rebus medicis candorem, nobilem in omni vita magnitudinem animi, sinceram in Deum pietatem, ceteraſque præclarissimas virtutes,

[c] Vid. *Thom. Bartholini Anat. renovata*, Libello IV. cap. 3. add. ib. Libr. I. cap. 4. & Libr. III. cap. 2.
[d] Vid. *Winslow.* alleg. loc. §. 59. 60.
[e] §. 1259.

tutes, tantam ejus concepi venerationem, ut ab eo vituperando quam alieniſſimus remotiſſimuſque ſim. Quod autem hunc potiſſimum auctorem nominavi, eo factum eſt, quo appareat, ſi tantus vir illum errorem haud effugerit, multo magis de aliis idem ſuſpicandum eſſe.

§. LXV.

Potius in eo virum perſpicaciſſimum ſequor, quod cauſſam proximam articularis morbi ſcribit [*f*] eſſe vitiatam indolem minimorum adeoque nervoſorum vaſculorum: quam ſententiam eo, quo pollet, cultiſſimæ eruditionis apparatu mirifice ornavit, & rationibus aliorumque ſuffragiis confirmavit vir magnificus & Illuſtris, *Georg. Gottlob. Richterus*, Præceptor meus ſummo honoris cultu proſequendus, in proluſione *de materia & ſede Podagræ* [*g*]. Eo autem redit hæc doctrina, veram in minimis nervoſorum involucrorum vaſculis inflammationem exſiſtere, quæ totam diri morbi tragœdiam ludat: id quod etiam primarium ſymptoma, dolor, ſignificare videtur, ſiquidem omnis talis ſenſus à nervis pendet, ut ſuperius docui. Quodſi irritabilem nervoſarum partium indolem ad inflammationis generationem declarandam applicemus, novam inde lucem accipit hæc contemplatio, quemadmodum latius explicavit Illuſtris *Segnerus* [*h*], Præceptor æque meus maximopere colendus: itemque ſuaviſſimus commilito, Doctiſſimus D. *Remus* [*i*], cujus memoria & ob mentis virtutiſque præſtantiam ſemper mihi erit jucundiſſima.

§. LXVI.

Porro, quum ligamenta, propter defectum ſenſus, affectionem arthriticam concipere nequeant, & alibi ſedes mali quærenda ſit: nullus occurrit locus, niſi cutis nervoſus contextus. Namque proxime ſub cute ligamenta cingunt articulos, altiuſque penetrare prohibent morbum, quum ipſa ſenſu vacua ſint. Aſt cutem in hoc morborum genere inflammatam & affectam eſſe, oculis manibuſque patet, docent tumores, collecta in ſuperficie materies calcaria, nodi, tophi, cet. Præterea vidimus in omnibus experimentis cutem tenerrimo ſenſu donatam eſſe. Et docet anatome, per eam innumerabiles nervorum propagines diſpergi, ſuis extremis ibi deſinere, & ſic verum tactus organon efformare. Quamobrem cutis proprius locus eſt, in quo ſævitiam ſuam exercet arthritis: & articulares omnes morbi in cuticularium morborum numero habendi ſunt.

[*f*] Alleg. loc. §. 1262.

[*g*] Qua ad Diſp. inaugur. *Joach. Fürſenii de Podagra retropulſa* invitavit d. 12. Sept. 1741.

[*h*] In Diſſ. inaug. *de Paraphrenitide*, ſub ejus præſidio habita à *Joſepho Antonio Linpruner*, 1747. §. X. ſeqq.

[*i*] In diſſ. inaug. ſupra laudata, pag. 52-54.

Landesbibliothek Oldenburg

§. LXVII.

Ex iis, quæ circa vulnera ligamentorum in experimento primo facta, contigisse observatum est §. L. LI, haud dubie licet colligere, eadem, quantum ad ipsa per se ligamenta pertinet, nulla symptomata post se trahere, quæ alicujus sint momenti, perfaciliſque esse sanationis, & hanc nequaquam eo perturbari vel impediri, quod humor articularis, seu synovia, effluit.

§. LXVIII.

Quæ quum ita sint, nullum metum incutere debent læsiones ligamentorum, nisi quatenus functionem articuli vel partium, quibus destinati sunt, suspendunt ac pervertunt: ut, si ligamentis capsularibus articularibusve discissis nexus firmitasque membrorum tollitur: si disruptis annularibus musculi aut tendines ex situ suo excidunt &c. Hæc autem & similia, quum ad proprium fibrarum in ligamentis contextum & ad usum, quem reliquis partibus præstant, pertineant; sequitur, ut eatenus tantum à ligamentorum læsionibus mala timenda sint, sicut in propositione (§. XLIX.) affirmavi.

SECTIO III. DE PERICRANIO ET PERIOSTEO.

PROPOSITIO.

§. LXIX.

PEricranium pariter ac periosteum omnis sentiendi facultatis expertia sunt.

SCHOLION I.

§. LXX. *Has duas membranas una opera tractare constitui, quoniam unius ejusdemque sunt indolis & usus, nec nisi loco differunt: nam pericranium idem est in ossibus capitis, quod periosteum est in reliquis.* Vid. *Winslow.* Expos. anatom. traité des os frais, §. 361.

EXPERIMENTUM I.

§. LXXI. In hædo, qui in mensa apte collocatus erat, manibusque comprehensus tenebatur, bonam partem pericranii reteximus atque nuda-

nudavimus. Crebro balavit, quam diu hæc apparabantur: idemque fecit, quoties cruorem ſpongia detergebamus. Nudata omnino parte pericranii, hoc laceſſivimus ſcalpello, & decuſſatim per longitudinem & tranſverſe ſecuimus. Hic non mutivit hædus, nec ſe commovit: ſine dubio, quia nihilo doluit. Inquinabat autem adhuc pericranium ſanguis perpetuo promanans: qui dum abſtergebatur ſpongia, continuo iterum balabat; neque enim hoc fieri poterat, quin cutis inciſa ſimul tangeretur. Non minus confeſtim indoluit animal, quamprimum hanc cutem arreptam volſella compreſſa paululum modo vellicaremus.

EXPERIMENTUM II.

§. LXXII. Idem experimentum eodem modo in catulo renovavimus; qui plane ſimiliter ac hædus ſe geſſit.

EXPERIMENTUM III.

§. LXXIII. Eandem rem in uno adhuc catulo biniſque hædis denuo tendandi occaſionem arripuimus, quum experimenta in pia matre caperemus. Semper idem conſecutum eſt, & minime doluerunt animalia, ſive pungeretur pericranium, ſive ſecaretur, ſive adeo de cranio abraderetur.

EXPERIMENTUM IV.

§. LXXIV. In hædo, poſt denudatam integre partem pericranii, hoc butyro antimonii tetigimus. Haud ſenſit. At, dum præparatio facta erat, balaverat: idemque continuo occœpit, quando cutis inciſa butyro prædicto contingebatur, aut volſella vellicabatur.

EXPERIMENTUM V.

§. LXXV. Fuit nuper miles, cui ab altero per imprudentiam quædam minuta grana fuſi plumbi (*Schrot*) in frontem, ſupra ſupercilia, ab intervallo paulo longiore, ſclopeto incuſſa fuerant. In hoc, quum aliquot grana ex frontali muſculo excidenda eſſent, anſam cepit magnus noſter Præceptor, Perilluſtris *De Haller*, ſpecillo irritandi pericranium. Sed nullus inde ſenſus ad ægrum pervenit.

EXPERIMENTUM VI.

§. LXXVI. In cane, ab interiore tibiæ latere, bonam partem perioſtei

rioſtei nudavimus, tum illud ſcalpello compunximus cecidimuſque ſecundum longitudinem & tranſverſim, ita ut ictus ad os uſque pertingerent. In quo non mutivit canis, neque pedem attraxit: quod tamen fecerat, unaque ejulaverat, quum cute diſſecta perioſteum nudaretur: idemque repetiit, quum poſtea cutis inciſio longius produceretur.

EXPERIMENTUM VII.

§. LXXVII. Iiſdem tentaminibus quoque ſubjeci alterum canem, duos catulos, totidemque hædos: ab omnibus & ſingulis ne minimum quidem ſignum doloris aut ſenſus editum fuit, quum perioſteum pungeretur vel cæderetur. Sed ſi tantillum cutis incideretur, continuo hædi balaverunt, canes autem ululârunt.

EXPERIMENTUM VIII.

§. LXXVIII. In cane & hædo perioſteum tibiæ ſtimulavimus ſpiritu nitri fumante: nullus inde ſenſus in his animalibus excitatus eſt. Contra, ſpiritu ad internam ſuperficiem ſeparatæ cutis admoto, ſtatim dolorem inde natum ſolitis ſignis declararunt.

EXPERIMENTUM IX.

§. LXXIX. Lapide etiam infernali perioſteum arroſimus in catulo & hædo: nihil ejus ſenſerunt.

SCHOLION II.

§. LXXX. *Hoc loco præterire nefas duco experimentum à Nobiliſſimo* Walſtorffio, *amico meo in paucis charo, qui brevi nobis perdoctam diſſertationem* de experimentis quibuſdam circa cerebrum, cerebellum & duram matrem inſtitutis *publice proponet, narratum. Nam etſi non à meipſo captum ſit, tamen digniſſimum relatu eſt, quia partim in homine tentatum, partim quam diligentiſſime peractum eſt. Eſt autem ſequens.*

EXPERIMENTUM X.

§. LXXXI. Erat mulier, cui pedem amputare oportebat, quia pes infimus inferiuſque tibiæ extremum carie pereſa erant. Opus exſecutus eſt vir artis ſuæ peritiſſimus, *Schlötgius*, pedeſtris legionis Blockianæ chirurgus primarius, *Walſtorffii* noſtri affinis. Norat Clariſſimus *Walſtorffius* animi fortitudinem mulieris, quæ & ipſa ultro amputationem popoſcerat: cupi-

cupidus ergo in perioſteo periclitandi, num revera ſenſu careat, dixit mulieri, ſeſe admoniturum eſſe ipſam, ubi in operatione ad os perventum fuerit, ut tum attenderet, an dolorem ſentiret necne. Reſpondit mulier: ſe probe ſcire, tum ingentem ſibi dolorem futurum eſſe; nam, ut ab aliis acceperit, maximum in amputatione membri dolorem tum perſentiſci, quando tenuis quædam membrana ab oſſe deraderetur. Quum ille contrarium ipſi perſuadere contenderet, pollicita eſt, ſe fore attento ad eam rem animo. Igitur dum cutis cum ſubjecta carne reſecaretur ſurſumque retraheretur, oculis irretortis operationem adſpexit, licet adſtantes hoc ei diſſuaderent: interim tamen præ dolore vehementer clamitavit. Ubi vero jam tempus inſtabat, quo perioſteum abradendum erat; admonuit ipſam Cl. *Walſtorffius*, nunc attenderet. Obſecuta eſt: at nequaquam clamavit. Interrogata ab illo, num dolorem ſentiſceret? negavit. Poſtquam curatio maximam partem abſoluta erat, Amicus noſter ſuaviſſimus iterum ei quod factum erat, in memoriam revocavit, interrogavitque, an tum, quum ipſam admonuiſſet, & perioſteum abraſum fuiſſet, nullum perceperit dolorem? Reſpondit, ſe ne minimum quidem doloris expertam fuiſſe.

CONSECTARIA.

§. LXXXII.

Ita contra noſtram & omnium ſcriptorum exſpectationem hiſce oculis vidimus, membranam oſſa proxime inveſtientem ſenſu minime donatam eſſe: neque hoc tantummodo in brutis animantibus cognitum fuit, ſed in humanis corporibus pariter verum eſſe conſtitit gemino experimento V. & X. Quid autem magis adverſatur receptæ per univerſum orbem medicum doctrinæ, quam has membranas ſentiendi facultate deſtitutas eſſe? Quis fuit medicorum, aut chirurgorum, aut anatomicorum ante noſtra tempora, qui perioſteo pericranioque præcipuum quendam in ſentiendo dolendoque gradum non tribueret, & illi uni in plurimis profundiorum dolorum generibus cauſſam, ſive ſedem, cruciatus adſcriberet? Neque neceſſarium eſt, & nimis longum foret, teſtes producere, quum omnes ſint: itaque triumviros tantummodo præſtantiores, auctores excitabo, *Frid. Hoffmannum* [*k*], *Joh. Zachariam Platnerum* [*l*], *Jac. Benignum Winslowium* [*m*].

§. LXXXIII.

[*k*] in *medicina ſyſtematica*, Tomo 3. Sect. 1. cap. 4. §. 20. 21. & Tom. 4. Part. 2. Sect. 2 cap. 1. 8 9. 10. 11. paſſim.

[*l*] in *Inſtit. Chirurg.* §. 1070. ſeqq. edit. germ. conf. illuſtr. *Heiſter* in *Chirurg.* cap. de Paronychia.

[*m*] in *Expoſit. Anatom.* traité des os frais, §. 60.

§. LXXXIII.

Clariſſ. *Zimmermannus* [*n*] dubitat quidem, utrum perioſtea ſenſu prædita ſint necne: pronior tamen ad negandum videtur. Sed de pericranio affert experimentum, ubi illud in cane oleo vitrioli tactum fuit, unde canis vehementiſſime clamavit. Addit, *pericranium nervis pleniſſimum eſſe, hinc non mirum, adeo acute ſentire.* Verum enim vero, ſicut à communi noſtro magno Præceptore, Perill. *De Haller*, didici, nulli exſiſtunt in pericranio nervi, quemadmodum nec in reliquo perioſteo: ſed ſuper utramque membranam, præſertim ſub cute cranii, permulti decurrunt nervi ex cuticularium genere, aliis in locis plures, in aliis pauciores, qui ſi minus perfecte removentur, facile membranæ os obtegenti adſcribi poſſunt, & ſenſus, aut dolor, à nervorum iſtorum attactu proveniens, tanquam ex ſubjecta membrana productus videri. Quamobrem ſuſpicari liceat, ab his nervis haud ſatis ſeparatis fuiſſe factum, ut pericranio culpa cutis tribueretur.

§. LXXXIV.

Quodſi in hoc negotio fallacia cauſſæ adhuc commiſſa eſt; unde tum dolorem illum dirum & velut oſteocopum ducere convenit, quem perſentiſcit tibia, ſi ab anteriore parte, ubi parum tegumentorum os ſubjectum operit, contra duram rem offenderit? Reſpondit graviſſimus perfectiſſimuſque Anatomicus, Illuſtris *De Haller*, quum hanc ei quæſtionem proponerem: celluloſam pariter ac cutem multis inſtructam eſſe nervis, à crurali anteriori propagatis, & à poſteriori ſede cruris ad anteriorem circa anteriorem acutumque marginem tibiæ conflexis; quum igitur hæc cutis & celluloſa aſperum os arcte veſtiat, in offenſione duriore colliſos contra oſſa nervos dolorem ſentire. Pari ratione ad alios ſimiles caſus reſpondendum erit.

§. LXXXV.

Erunt fortaſſis, qui à dura matre argumentum repetant, quo probent perioſteis ſentiendi facultatem utique competere & tribui oportere. Dicent enim, duram meningem per ſe ſuaque natura ſenſus participem eſſe, quia membranarum nobiliſſima ſit & cerebrum, ſenſuum officinam, includat atque contineat; tunc etiam pluribus nervis inſtrui, qui ipſi virtutem ſentiendi largiantur. Jam vero ſatis conſtare, perioſtea cuncta externa duræ matris eſſe propagines [*o*]: quare, quin ſimili quoque sentien-

[*n*] In diſſ. ſæpius laudata, §. 8. pag. 9.

[*o*] Vid. Perill. *Halleri Comment. in Prælect. Boerhaav.* Vol. 2. §. 304. & Vol. 3. §. 306; itemque *ejuſdem prim. lin. phyſiol.* §. 341.

tiendi virtute imbuta sint, dubitandum non esse. Cui objectioni ut occurram, primum animadverto, ipsam duram meningem recentissimis experimentis & observationibus deprehensam fuisse sensus expertem; quemadmodum *Lamottius* [p], *Jo. Gottfr. Zinnius* [q] *Joh. Georg. Zimmermannus* [r] ostenderunt: quam sententiam rationibus quoque validissimis iidem egregii viri confirmarunt, inprimisque Doctiss. *Zinnius* [s], & nunc percipimus experimentis Parisiis apud chirurgum suis factis confirmari. Idem etiam Cl. *Zinnius* demonstrat, quam parum præsidii pro duræ matris sensu sit in ea opinione, quæ membranas pro veris sentiendi instrumentis habet: pariterque in eo, quod cerebrum comprehendit hæc meninx: nervos autem duræ matri tributos ita incertos esse monet, ut nihil inde concludi possit. Deinde, si vel maxime nervi duræ meningi intexti forent, tamen non sequitur, ut iidem ad periostea quoque pertingant: quum contrarium potius credibile sit. Dura meninx ergo sensui periosteorum patrocinari nequit, oculisque nostris, qui sensu vacua viderunt, potiori jure assentiendum erit.

SECTIO IV. DE PIA MATRE.

PROPOSITIO.

§. LXXXVI.

Pia mater nullo sensu gaudet, nec dolori concipiendo patet.

EXPERIMENTUM I.

§. LXXXVII. In hædo cranium perforavit Illust. *Hallerus*, & remota dura meninge, piaque retecta, hanc bacillo, qui butyro antimonii tinctus erat, tetigit. Is locus rugosus factus est, & album contraxit colorem: sed nullus inde doloris sensus ad animal penetravit. Contra, quamprimum nares digitis compressis vellicarentur ab adstantibus, e vestigio clamores sustulit: idemque fecit, quum cutis capitis incisio paulo magis produceretur. Antea quoque balatus toties ediderat, quoties spongia tergebatur sanguis, qui in perforatione cranii promanaverat: nam cutis discissa semper una tangebatur. Postremo alium parvum bacillum per cere-

[p] in *Traité complet de Chirurgie*, Tom. 1. p. m. 48.
[q] in Diss. inaug. quæ *sistit experimenta quædam circa corpus callosum, cerebellum, duram meningem in vivis animalibus instituta*, Gott. 1749. pag. 30. seq.
[r] in cit. Diss. §. 5.
[s] Loc. cit. pag. 43. seqq.

Landesbibliothek Oldenburg

brum transfadegimus versus oblongatam medullam; quo vehementissimas incidit in convulsiones.

EXPERIMENTUM II.

§. LXXXVIII. Idem periclitati sumus in alio hædo & in duobus catulis, semper experti piam matrem sensu destitutam esse: nam quum eam butyro antimonii corroderemus, nullam vocem ediderunt animalia. Ast ubi dissectam cutem butyro dicto leviter tantum attingebamus, aut volsella vellicabamus; continuo balavit hædus, vel ejulaverunt catuli.

CONSECTARIA.

§. XXXIX.

Igitur jam certius nobis de sensus in pia meninge absentia constat experimentis, quæ necdum à quodam instituta crediderim. Quamobrem in doloribus capitis & in irritationibus nervosi generis quibuslibet, sive per idiopathiam accidant, sive per sympathiam, ut in phrenitide, paraphrenitide, deliriis febrium, hungarica febre, cet. perperam accusatur insons pia mater, quod aliquæ vel adeo primariæ ejus in his partes sint: quemadmodum faciunt *Franc. Joel* [*t*], *Laurentius Bellinus* [*u*], *Mich. Ettmullerus* [*x*], *Georg. Ernestus Stahlius* [*y*], *Herm. Boerhaavius* [*z*], quin tota practicorum cohors, communem opinionem secuta. Plerumque vero utraque meninx simul accusari solet: sed quum nec duram matrem sensus aut doloris participem esse §. LXXXV. demonstratum sit, nec piam in proximis experimentis; in aliis nervosis partibus sedes istorum dolorum atque irritationum quærenda erit: quas partes tamen hic exponere nihil attinet [*a*].

§. XC.

Consentit vero nobiscum meritissimus de omni re medicinali vir, *Fridericus Hoffmannus* [*b*], qui pariter *piam matrem, ejusque externam membranam ara-*

[*t*] in *Practica*, Libr. 1. Sect. 1. & 2. Operum Tomo 2.
[*u*] *De morbis capitis*, titulo Phrenitis, præsertim pag. 489. edit. Lipsi. 1685. 4. cum libb. de urinis & pulsibus &c.
[*x*] in *Prax.* Libr. 1. Sect. 18. cap. 1. Artic. 14. & alibi.
[*y*] in *Praxi Stahliana* à *Joh. Storchio* edita, Sect. 4. §. 20. p. m. 1411.
[*z*] in *Aphorism. de cognoscendis & cur. morbis*, §. 776.
[*a*] Videri autem potest Cel. *Zinnius* in sæpius laudata dissertatione, pag. 50. ubi demonstrat, symptomata phreniticorum non ab inflammatione duræ matris provenire, sed potius ab inflammatione corticis, qui sensilissimæ medullæ cerebri continuus est.
[*b*] in *medic. system.* Tomo 4. Part. 2. Sect. 2. cap. 1. §. 4.

Landesbibliothek Oldenburg

arachnoideam, *minime moleſtæ ſenſationis ſedem conſtituere* judicat, his uſus argumentis, *quod careant fibris tenſilibus nervoſis elaſticis*, *atque etiam nervulorum ramulis*, *ibi non conſpiciendis*. Quod etiam celeberrimorum Anatomicorum deſcriptionibus congruum eſt: nam & Illuſtr. *Heiſterus* [*c*] diſerte negat, nervos, hujus membranæ ſubſtantiam intrantes, ullos obſervatos eſſe: nec *Winslowius* [*d*] ullam eorum facit mentionem. Et quid hic nervis aut ſenſu opus eſt, quum ordinandis tantum vaſis deſtinata ſit pia mater [*e*]? Itaque etiam à priori, ut dicitur, demonſtratum eſt, ab hac membrana ſenſum irritationis & doloris abeſſe.

SECTIO V. DE PLEURA.

PROPOSITIO.

§. XCI.

MEmbrana pleuræ ſenſu caret; vel, quo modeſtius loquar, non tanta ſentiendi facultate pollet, ac pars muſculoſa & cutis exterior.

SCHOLION I.

§. XCII. *Theſin hanc propterea aliquanto remiſſius affirmavi*, *quia in reliquis*, *præter hædos*, *animantibus experimenta*, *propter magnam denudandæ pleuræ difficultatem*, *haud ſatis perfecte ſucceſſerunt*, *nec ſpem noſtram impleverunt.*

EXPERIMENTUM I.

§. XCIII. In catulo, quem firmiter comprehenſum teneri juſſimus, delecto in dextra pectoris parte loco, qui quam minimum carnis palpandum dabat, cutem diſcidimus, & inter binas coſtas, quam cautiſſime fieri poterat, quod erat muſculoſi removimus: quæ dum fiebant, catulus vehementer ululavit, ſeque exſolvere connixus eſt. Minuta tandem pleuræ particula ab omnibus carneis fibris repurgata atque retecta, id quod non niſi admodum operoſe fieri poterat, quia locus, ob reſpirationis motum, tunc multo, quam ubi animal quiete ſe gerit, intenſiorem, perpetuo concutiebatur, illam bacillo, quem ſpiritu nitri fumante tinxe-

[*c*] in *compend. anatom.* De Pia Matre.
[*d*] *Expoſit. anatom.* tr. de la tête, §. 49. ſeqq.
[*e*] Vid. Perilluſtris *Hallerus ad Boerhaavii prælect.* Vol. 2. §. 236. pag. 371. not. b.

ramus, tetigimus. Eo ipso, quo pleura adurebatur, momento tranquillum fuit animal : sed quia locus justo anguſtior erat, & nos non satis caute agebamus, forte accidit, ut inter respirandum pars musculosa spiritu contingeretur; quo facto, confestim iterum vehementer vociferari cœpit. Quum deinde contenderemus, amplius pleuræ spatium nudare, factum est ob ingentem catuli inquietudinem, dum amicorum aliquis brutum paulo laxius cohibebat, ut nos scalpello pleuram perforaremus.

EXPERIMENTUM II.

§. XCIV. Canem, ore constricto, resupinatum, quatuor pedibus firmiter alligavi, & manu ventrem premens, operam dedi aliquo modo impedire, ne pectus ita valide reciprocante motu agitaretur. Designato pariter in dextra parte pectoris loco, quo costæ propius tangebantur, parvum pleuræ spatium ab omnibus musculosis fibris, maxima cum cautione, ipse nudavit Perillustris Dn. *De Haller*. Interea canis vehementer quiritabat, & magnopere nitebatur, quo se solveret. Post moram interpositam, donec animal tranquillum factum esset, pleuram scalpello lacessivit : quod dum fiebat, nullam vocem edidit canis, & tranquillior fuit quam antea. Erat autem hoc nudatum pleuræ spatium nimis anguſtum, quam ut butyro antimonii posset aduri, siquidem in agitatione loci facilis fuisset butyri ad musculosas partes aberratio. Quamobrem pleuram amplius retegere cœpit Summe Venerandus *Præceptor* : sed animal ingentem passum est inquietudinem, & effecit, ut apice scalpelli foramen in pleura infligeretur. Tum thoracem aperuimus, & butyro antimonii faciem internam pleuræ, nec non mediastinum stimulavimus : sed non animadvertimus, canem ejus rei aliquem sensum habuisse. Quamprimum vero nervum aliquem volsella apprehendebamus, continuo se commovere cœpit.

EXPERIMENTUM III.

§. XCV. Idem in pleura tentare, denuo in alio cane instituimus : sed quum pleuram nudare laboraremus, jamque parvum ejus spatium ferme nudassemus, canis adeo ferociter se jactitavit, ut, quantumvis magna adhibita diligentia, cavere non possemus, quin apice scalpelli pleuram perforaremus. Statim aperuimus thoracem, & butyro antimonii pleuram ab interiore facie, itemque mediastinum lacessivimus : id canis non visus est sentire. Apprehendimus autem similiter volsella nervum quendam : tum vehementer exagitatus est.

SCHOLION II.

§. XCVI. *Quoniam hædi pacatioris placidiorisve naturæ sunt quam canes,*

spem

ſpem concepimus, eos his tentaminibus aptiores fore. Quum igitur hos adhiberemus, feliciore eventu ſequentia cepimus experimenta.

EXPERIMENTUM IV.

§. XCVII. Hædo ſimiliter, ac in canibus obſervatum erat, apte collocato, pedibuſque ejus quatuor eodem modo alligatis, manu in ventre poſita præpedientes, ne in ſpiritu ducendo thoracem nimis exagitaret, pariter in dextro latere pectoris, ubi minimum carnis reperiebatur, cutem incidimus, quidquid muſculoſi erat quam cautiſſime ſeparavimus, cruoremque ſpongia probe deterſimus. Quæ dum fiebant, animal acriter balavit, non tamen adeo valide, ac canes, contendit ſeſe liberare: neque reſpiratione concitata tantum impedimenti objecit noſtro labori. Bona pleuræ parte ab omnibus carneis fibris nudata, hædoque non amplius clamante, quod æque nos nunc non ſecaremus; hanc partem pleuræ, per quam pulmonum actio conſpici poterat, laceſſivimus ſcalpello, lapide infernali, guttulaque butyri antimonii, ſemper locum mutando, ſiquidem ſpatium ſatis patebat. Dum hæc fiebant, animal nihil omnino clamoris edidit. Tunc cutem parumper incidimus, tanquam ſpatium dilataturi: continuo iterum balavit. Ex quo vero non amplius ſcindebamus, denuo quietem egit. At quum aliquid muſculoſi butyro antimonii tangeremus, clamorem iterum ſuſtulit. Poſthæc de induſtria ſatis amplo foramine pleuram pertudimus: quo facto, quia vociferari non poterat, tamen propter irrumpentem aërem angoreſque creantem, vehementer ſeſe jactitavit.

EXPERIMENTUM V.

§. XCVIII. Eandem rem præterea in duobus aliis hædis pari modo periclitati ſumus: per omnia vero ſimilem priori effectum res habuit.

CONSECTARIA.

§. XCIX.

Conſentiunt ergo noſtra experimenta, quæ fere omnia Perilluſtris Moderator noſter pro ſua humanitate ſuavitateque, ob difficilem præparationem & magnam, qua opus fuit, cautionem, ipſe inſtituere non gravatus eſt, cum illo Cl. D. *Zimmermanni* [*f*]. Poſſet quidem opponi, quum dolor, quem animalia, dum ad retegendam pleuram excarnificantur, perſentiſcunt, maximus acutiſſimuſque ſit, fieri potuiſſe, ut propterea minorem dolorem, qui ab irritatione pleuræ producebatur, non animadverterint,

[*f*] In diſſ. ſæpius alleg. §. 4. pag. 4.

terint, neque aliquo ſigno prodiderint : ſiquidem alias quoque major dolor minorem obſcurare ſolet. Verum, quum in nonnullis iſtorum animalium, præſertim in hædis, ſat manifeſte cognitum fuerit, eos & dum tentaretur pleura, ſi quid muſculoſi tactum erat, ſtatim iterum dolorem ſuum ſignificaſſe, (Exper. I. II.) & poſtquam in pleuræ irritatione prægreſſa nullam vocem emiſerant animalia, nihilominus ſuccedentem quantumvis levem cutis inciſionem, vel nervi compreſſionem, probe animadverſiſſe, (Exper. III. IV. V.) non eſt putandum, quamvis minorem dolorem obſcuratum fuiſſe, ſed nullum exſtitiſſe apparet, qui nullo ſigno animadverſus fuerit.

§. C.

Hoc etiam ſuffragatur noſtræ doctrinæ, quod officio aut ſcopo pleuræ minus conveniens eſſe videtur, ut ſentiendi vi polleat. Etenim ad hunc ſolum uſum pleura conſtructa eſt, ut partes thorace contentas obtegat involvatque, tunicam iiſdem extimam largiatur, eaſdem a mutuo conflictu prohibeat, & locis quaſque ſuis adſtringat, denique coſtis quaſi perioſteum internum præbeat. Quas ad res, tantum abeſt, ut ſenſu opus ſit, ut is potius contrarius ſit : longe aliter quam in aliis operimentis, exempli cauſſa in membrana oris & alimentarii canalis, ſimilibuſque.

§. C I.

At contra hanc noſtram ſententiam vehementer pugnat, quod plurimos pleuræ nervos intextos eſſe volunt : in quibus etiam numerandus Celeberrimus *Winslowius* [g]. Verum enim vero, ſicut jam de perioſteo pericraniove §. LXXXIII. dictum eſt, exiſtimare convenit, non in ipſamet membranæ pleuræ ſubſtantia nervos intextos eſſe, ſed ejus ſuperficiebus, tanquam firmæ baſi, ſolum inſtratos, ut ſuper eam ad deſtinata loca decurrant : quo itinere facile ſpeciem præ ſe ferre poſſunt, ac ſi membranam ipſam conſtituerent.

§. C I I.

Quum igitur pleuræ membrana ſentiendi facultate careat, illi dolores laterum punctorii, qui Græcorum nomine pleuritidis notiſſimi ſunt, non poſſunt in illa thoracem interius ſuccingente membrana ſedem habere, ceu vulgo creditur, ſed aliis locis nervoſis ac muſculoſis aſſignari debent, quales in pectore ejuſque ambitu plurimi ſunt. Eſt enim hic morbus in ſanguinis inflammatione poſitus, qui ſanguis ibi locorum per plurima vaſa copioſe affluit, &, ſi per morbum ſubſtiterit accumulatus, producit, velut in aliis inflam-

[g] Traité de la Poitrine, §. 25. & 36.

inflammationum generibus, cum reliquo symptomatum satellitio etiam atroces istos dolores. Quam hujus morbi ideam præclare ex vasorum sanguiferorum, inprimis intercostalium venæque sine pari decursu partiumque connexione explicavit Illustris *Brendelius* [*h*], Præceptor etiam meus ad cineres usque magnopere colendus. Et quod à sanguine congesto pendeat hic dolor, eo comprobatur, quia sanguinis missione quam optime solvitur; quemadmodum spuria pleuritis scarificatione ipsius affecti loci sanari potest.

§. CIII.

Tandem ea, quæ de pleurà cognita sunt, etiam ad reliquas, quæ ex pleura productæ sunt, membranas transferre licebit, hoc est, existimare, ut mediastinum, exterior septi transversi membrana, tunicæque pulmonum extimæ, quatenus pleuræ texturam atque indolem servant, pariter sentiendi facultate destitutæ sint. De mediastino nobismet ipsis hoc tentando compertum est, (§. XCIV. & XCV.); in pulmonibus autem periclitatus Cl. *Zimmermannus* [*i*] idem animadvertit.

SECTIO VI. DE PERITONÆO.

PROPOSITIO.

§. CIV.

PEritonæum sentiendi facultate caret: pariterque membranæ, quæ ex peritonæo productæ sunt.

EXPERIMENTUM I.

§. CV. In cane, quem similiter atque in experimento de pleura capto constrinxeramus, cutem in alterutro abdominis latere per aliquod spatium discidimus, quod erat musculosi separavimus, bonamque peritonæi partem omnibus fibris carneis, eâ qua decet cautione, nudavimus, simul cruorem, qui nobis erat impedimento, spongia deterstmus. Interea dum hæc parabantur, & dum sanguis abstergebatur, canis quiritatus, seque jactare connixus est. In universum enim animalia ferre nequeunt, si spongia cruor detergatur, in quacunque parte hoc fiat: nimirum quia tali modo semper incisa cutis in facie interiore lanoso & aspero tactu spongiæ per-

[*h*] in Diss. inaug. *De Pleuritide vera & Pleuropneumonia*, sub ejus præsidio habita à *Joh. Christoph. Lammers*, Gotting. 1744. §. 12. seqq.

[*i*] in Disp. alleg. §. 16. pag. 17. seq.

ſtringitur. Tranquillitati reddito cane, nudatum peritonæi locum ſcalpello laceſſivimus, deinde etiam butyro antimonii: reſtitit tranquillus, neque commotus eſt. At quum poſthac diſſectam cutem in facie interiore, tum quoque partem aliquam muſculoſam butyro antimonii corroderemus; utroque caſu cœpit ululare ſeque jactitare. Abdomen quadantenus aperuimus: iterum quiritabatur. Quum conquieviſſet, ab interiore facie peritonæum butyro antimonii ſtimulavimus: nihil ſenſit. Verum volſella ea, quæ diſſecta erant, cutem ſcilicet & muſculos, apprehendimus compreſſimuſque: confeſtim inde dolorem percepit.

EXPERIMENTUM II.

§. CVI. In hædo, quem, pariter ut in experimento pleuræ, ligaveramus, quemadmodum in cane bonam partem peritonæi, multos inter balatus, denudavimus. Quo facto, eam membranam lapide infernali tetigimus, alioque loco ſpiritu nitri fumante. Sed nihil ſenſit, nam neque balavit: quod pariter omiſit, quum poſtea peritonæum in facie interiore ſtimularemus. Contra ſatis ſenſit, quum muſculoſam partem eodem ſpiritu adureremus.

EXPERIMENTUM III.

§. CVII. In alio hædo peritonæum retectum butyro antimonii laceſſivimus: quod tamen nec ab exteriore facie nec ab interiore ſenſit. Compreſſit vero amicorum aliquis paulo fortius ejus nares digitis: quod ſtatim ſenſit.

EXPERIMENTUM IV.

§. CVIII. Præterea adhuc in alio cane peritonæum butyro antimonii corroſimus: ſed æque nihil ejus ſenſit.

CONSECTARIA.

§. CIX.

Haud quidem meminimus, qui peritonæum ſentiendi facultate gaudere dixerit, aut propugnaverit. Nihilo tamen minus, quum facile alicui ſubnaſci poſſit dubitatio, utrum ad illas corporis partes, ſive membranas, quibus ſenſus ineſt, referendum ſit peritonæum, necne, experimentis in eam rem inquirere dignum videbatur Perilluſtri *Præceptori*, quo ſic certum ſtatueretur judicii ferendi fundamentum. Eo certius autem jam conſtat, peritonæum non ſentire, quo magis idem à nobis novo ſtudio repertum eſt, quod

quod Cl. D. *Zimmermannus* antea deprehendit: hic enim pariter in peritonæo pericula fecit, illudque ſenſus particeps haud eſſe perſpexit [*k*].

§. CX.

Neque videtur, ſentiendi virtutem ad illum, quem peritonæum præſtare debet, uſum vel officium requiri, adeoque huic potius fore contrariam. Scopus enim, quem in peritonæo procreando præfixum habuit natura, ſine dubio is eſt, ut illud viſcera aliaſque nonnullas partes ventris involvendo, à mutuis vexationibus & confuſione tuta præſtet: quamobrem & productiones undique emittit pro tunicis partium extimis conſtituendis, & extenſionis capax eſt, ſi majorem molem acquirant partes, quas continet, ita tamen, ut partibus iterum diminutis, illud pariter ad priſtinum arctiorem modum redeat. Quodſi ſentientis eſſet naturæ, non poſſet non fieri, quin iſtis in mutationibus variiſque partium motibus functionibuſque ſæpe doloribus obnoxium foret. Hoc igitur ut caveretur, ſenſus expers factum eſt.

§. CXI.

Neque arbitror, in ipſa peritonæi ſubſtantia intextos reperiri nervos: ſed, qui à nonnullis auctoribus ei tribuuntur, tantummodo per ejus ſuperficiem tranſire. Et his quidem, ubicunque exſiſtant, utique ſenſus ineſt, & eundem exſerunt, ſi feriantur: quod tamen haud decet ad peritonæum referri.

§. CXII.

Quæcunque vero de peritonæo ipſo dicta ſunt, etiam de ejuſdem productionibus, ſeu proceſſibus, & tunicis partium imi ventris extimis intelligere par eſt, quatenus eandem cum ipſo peritonæo naturam retinent. Quod pariter experientiæ conſentaneum eſt: nam Cl. D. *Zimmermannus* [*l*] factis experimentis invenit, hepar & lienem haud percipere irritationem; quod procul dubio quoque de exteriore eorundem membrana valebit.

EPILOGUS.

Pedem hic figo. Fateor quidem, multa adhuc ſingulis capitibus addi potuiſſe: quod autem nec per temporis nec inſtituti rationem licitum fuit; in majorem enim molem jam excrevit hoc ſpecimen, quam initio putaveram. Quoad maximam partem tamen generaliora indicavi, quibus facile ad objectio-

[*k*] Vid. ejus ſæpius alleg. diſſert. §. 4. Experim. 3. pag. 4.
[*l*] Loc. cit. §. 16. Experim. 2. pag. 17.

Landesbibliothek Oldenburg

jectiones à ſpecialioribus petitas reſponderi poteſt. Quod vero tot experimenta eaque tam prolixe enarraverim, factum eſt, ut unuſquiſque videat, an in factis ipſis experimentis, an ex iis deductis concluſionibus fallacia quædam à nobis ſit commiſſa.

FINIS.



DISPU-

PARS SEPTIMA

VARII MORBI AD NULLAM SEDEM ADSTRICTI LUXATIO.

CXLV.

DE

LUXATIONE OSSIS FEMORIS RARIORE FREQUENTIORE COLLI FRACTURA.

Præside

JOH. SALZMANN,

Respond.

ANDREA FLACH

ARGENTORAT.

Argentor. 20 Nov. 1723.

Landesbibliothek Oldenburg

CAPUT PRIMUM.

Quædam de Luxatione & Fractura femoris in genere prælibat.

§. I.

DE luxatione & fractura ossis femoris acturi, e re pariter nostra ac Lectoris esse arbitramur, quædam in genere præmonere. Equidem prolixiores non erimus definire, quid luxatio, quid fractura dicatur, cum unicuique, qui in rebus chirurgicis non omnino hospes est, cognitum atque perspectum sit, priorem affectum esse morbum partium organicarum in conformatione p. n. nempe situ vitiato consistentem, in quo ossa ad motum inter se commissa e sede & loco suo ordinario elabuntur; posteriorem vero nihil aliud esse, quam morbum solutæ unitatis seu partium ossis ad quietem unitarum à se invicem factam dissolutionem & separationem; seu, luxatio est secessus ossium contiguorum, fractura solutio partium ossis, quæ continuæ antea fuerant. Uterque affectus plerumque causam violentam externam unice agnoscit, quandoque internam simul conjunctam habet, scilicet dearticulatio humorum pituitosorum ad articulos affluxum, fractura vero abscessum, inflammationem vel cariem ossis, de quibus vid. *Joh. Chr. Heyne tr. de præcip. oss. morb.* Quibus positis pauca annotabimus, quæ ad institutum nostrum facere nobis videntur. Et quidem 1. quod luxationes spectat, monemus, nos hic intelligere proprie sic dictas dislocationes, quæ in duobus vel pluribus ossibus ad motum præstandum invicem commissis eveniunt. Nam non omnia ossa sibi invicem juncta luxationis subjecta sunt, sed illa tantum, quæ articulos constituunt; ubi enim ossa ad quietem unita à se invicem secesserunt, affectus luxatio proprie dici non potest. Pertinet eo futurarum, quibus cranii ossa inter se connectuntur, dehiscentia, de qua vid. *Arn. Bootii Obs. Med. cap.* 4. fibulæ item à tibia secessus, peculiari nomine diastasis appellatus, conf. *Hippocrat. l. de fractur.* Neque huc referri debet tendinum e sede sua ordinaria elabentium status p. n. maxime in tendine longo musculi bicipitis brachii conspicuus, sicubi ille e sinuositate vel canali capituli ossis humeri exit, qua de re agit *Exc. Frid. Hoffmann. Dissert. de Synth. luxat.* §. 27. Quas ossium luxationes καταχρηστικῶς sic vocatas nullum hic locum habere quilibet facile videt. II. De fractura notamus, nos non quamvis in esse femoris continui solutionem intelligere, sed illam modo, quæ in superna ejus parte, nempe in collo seu cervice contingit. Nam quæ (1) in media aut inferna ejus sede supra genu fit, nullam cum dicta luxatione affinitatem habet. Neque (2) fracturam de ossis in minima fragmenta com-

comminutione quæ σύντριμμα græcis audit, intellectam volumus, quippe quæ hoc in loco, nempe in collo femoris concipi vix potest, eam ob causam, quia musculorum copia & crassities vim externam, quacunque etiam virtute agat, infringit. Sed & hoc tenendum, quod non tantum fractura proprie sic dicta huc pertineat, verum etiam divulsio epiphyseos, quæ in summo ossis existit, & capitulum ex parte format, quæque utut rara sit, quandoque tamen occurrit, & si forsan contigerit, cognitu difficilis & curatu fere impossibilis est. Recte enim pronunciat *Ambr. Pareus Oper. Lib.* 14. *cap.* 21. hanc epiphyseos à capite separationem minus cautis chirurgis aliquando imponere, non ejusmodi divulsionem, sed luxationem subesse reputantibus. Imo & non obscure inde intelligitur, quanquam uterque hic status p. n. & fractura colli & epiphyseos secessus luxationem mentitur, hoc tamen discrimen intercedere, quod divulsio minus cognosci possit, & frequentius chirurgo sub specie de articulationis quam fractura colli imponat. Nam quis certo determinare poterit? utrum totum capitulum exciderit, an vero aliqua ejus portio in cavitate relicta fuerit.

§. II.

Maximum tractationis nostræ momentum in eo consistit, quod dearticulatio capituli & fractura colli à se invicem distingui vix valeant, ideo quia si non omnia, præcipua tamen & pleraque signa, utrique affectui fere communia sunt. Unde sæpius factum est, ut peritissimi chirurgicæ artis practici luxationem ossis femoris frequenter pro fractura & vice versa fracturam pro luxatione, hocque frequentius venditarint, adeoque tum aliis imposuerint, tum se ipsos deceperint. Hæc signa tum fracturæ tum dearticulationis sunt vel sensibilia, ita dicta, quia in sensus incurrunt, vel rationalia, quæ non nisi ratione colliguntur; in aliquibus luxationibus illa adeo manifesta sunt, & in omnium oculos incurrunt, ut his opus nullo modo sit, quales sunt illæ, quæ in articulis paucis musculis aut aliis partibus obductis eveniunt; aliæ e contrario adeo occultæ sunt, ut adhibitis etiam utriusque generis signis eas expiscari arduum sit. Ad harum classem merito refertur illa, de qua nos hic agimus. Id quod *Joh. Bapt. Verducius* probe agnoscens passim in scriptis suis inculcat, uti *tr. de fract lux. & delig. cap.* 29. vix in alio malo chirurgos ignorantiam suam frequentius & magis prodere vult, quam in femoris luxatione, dum pro ea habent, id quod luxatio non est, & non raro illam restitutam esse, sibi aliisque persuadent, quæ reposita non est. Fatetur etiam se æque ac alios aliquando deceptos fuisse, nempe Ambr. Pareum, uti id de seipso fateri non erubuit; se etiam in hac rerum incertitudine Dn. Petit, ordinarium Xenodochii, quod *l'Hôtel-Dieu* vocatur, chirurgum, occasione ejusmodi casus aliquando in consilium adhibuisse, ut examinaret, utrum femur superius dislocatum, an vero fractum sit, qui omnibus adhibitis cautelis, quia

quia pars affecta sanæ similis erat longitudine, & ob pinguedinis copiam præsentemque inflammationem primum nullus exaudiebatur sonus, fracturam subesse non agnovit; hanc ob causam applicabatur fascia, spica dicta, septem diebus post ubi illa relaxata iterum fuerat remotusque apparatus atque inflammatio cessarat, femore paululum commoto, auditus est sonus aliqualis, unde fracturæ præsentiam non obscure suspicatus est. Idem *Pathol. Chir. T.* 1. *P.* 2. *c.* 2. §. 13. ob rei necessitatem, & quam in praxi habet utilitatem, denuo id repetere operæ pretium duxit. Quod signa sensibilia attinet, sunt illa vel æquivoca vel univoca, hæc ita compacata sunt, ut neque visus, neque tactus, neque etiam auditus in plenariam hujus mali cognitionem nos deducant. Non visus, ob musculorum quippe crassitiem sæpe nulla inæqualitas aut deformitas in loco affecto oculis patet, neque etiam longitudo, figura & situs membri semper mutatur, uti id ex historia e Verducio modo allegata abunde patet. Imo & si mutatio quædam quoad longitudinem contigit, non raro sub specie luxationis falso imponit chirurgo, cum tamen fractura sit, uti id *Cheselden Anat. Corp. Hum. l.* 4. in duobus corporibus à se dissectis detexit. Et si tumorem in uno loco & cavitatem in altero distinguit visus, determinatu difficile est, utrum ille fracturæ an dearticulationi debeatur, uti mox annotabimus. Non tactus, quia ob eandem musculorum crassitiem malum rite palpari manibus non potest, maxime si subjectum valde lacertosum fuerit, aut pinguedo multum luxuriet, aut, uti plerumque fit, inflammatio notabilis partes vicinas occupet. Auditus non plus juris hic habere videtur in modo dictis casibus, nullus quippe strepitus vel crepitatio, à qua alias signum certissimum desumunt, quandoque percipitur, ideo quia extrema colli fracti vel plane non vel parum se invicem tangunt, aut sonus penetrare non valet.

§. III.

Pari ratione longe abest, ut signa sensibilia æquivoca majorem nobis certitudinem concilient, quin potius chirurgos magis in dubio relinquant, ideo maxime, quia fracturæ cum luxatione communia sunt, adeoque hanc ab illa distinguere non valent. Sunt vero ea I. Læsa partis actio, vel major minorve membrum movendi impotentia, quæ in luxatione non minus, quam in fractura observatur. In hac, quia aliquibus ossis partibus, quæ omnes continuæ antea fuerant, divulsis, os vectis munere fungi non amplius valet, ideo quod altera parte utut aliquatenus mobili, altera immobilis manet. In illa motus læditur, quoniam capitulum ossis e sede sua elapsum jam non amplius in sinu circumagitur, & locus, in quem secessit, aptus natus non est, ut super illum motus fiat, nisi forsan illo in casu, in quo dictum capitulum foramini ossis ischii, quod ovale dicitur, insistit. Insuper in utroque malo musculi si non omnes, aliqui

saltem magna in tensione sunt, & membrum vel fractum vel luxatum in uno situ firmissime detinent. Quæ omnia de motu voluntario & ut ita dicam, activo dicta esse volumus, nam quod passivum attinet, ubi ab alia virtute membrum movetur, differentia illa intercedit, quod in luxatione illud ægre istam in partem, in quam os secessit, moveatur, facilius vero in oppositam flectatur, uti *Petr. Forestus Obs. Chir.* 1. *L. IX. Schol.* id annotavit, in fractura vero pars affecta ad motum quaquaversum & in omnem, uti dicunt, sensum instituendum magis indifferens sit. II. Tumor in uno & cavitas in opposito loco in utroque etiam affectu adesse solet atque potest; utut enim *Corn. Celsus de re med. l.* 8. *cap.* 2. nonnisi de luxatione pronunciet, ea parte tumorem esse, qua os prorupit, & ea sinum, e qua recessit, idem tamen de fractura pariter intelligi posse atque debere in propatulo est. Nam sive pars affecta fracta fuerit sive luxata, superior, maxime vero inferior femoris portio a musculis in diversa trahentibus in locum insolitum secedit, tumoremque constituit, extremis ossis fracti nunc velut superequitantibus, nunc solum juxta latitudinem à se invicem secedentibus, non minus cavitatem format ea sede e qua secesserat. Sed necessum habemus hic annotare, ejusmodi tumorem non nisi in subjectis macilentis, aut in istis, in quibus inflammatio abest, vel musculi multum tensi sunt, aut fractura trochanteri majori proxima existit, reperiri; & si vel maxime tumor p. n. concurrat, quis determinabit, utrum à capitulo luxato, an vero à cervice fracta ille formetur, cum in utroque statu p. n. idem occurrere quandoque soleat.

§. IV.

III. Longitudo partis affectæ cum sana collatæ, si major vel minor fuerit, neque fracturam neque luxationem certo nobis demonstrat, in dislocatione enim membrum longius evadit, si deorsum & introrsum illa facta fuerit, uti id sæpius fieri experientia confirmat; in fractura, ubi musculi atonia & paralysi affecti extremum inferius à superiori divulsum neque in situ detinent, neque etiam sursum trahunt. Id quod rarius in hac contingere largimur, nimirum in fractura longitudinem raro crescere, frequenter vero diminui. Brevius autem femur evadit in fractura, si musculorum robur atque virtus partem inferiorem valide trahit, ut super alteram ascendat & velut superequitet, in luxatione id contingit, nunc si forsan illa ad superiora fiat, id quod rarissime accidere infra dicemus, nunc si dislocatione ad latus alterutrum facta musculorum vis atque robur partem affectam sursum moveat. Idem dicendum de mutata membri figura, si nempe illud vel introrsum vel extrorsum contortum est, quæ pariter ac longitudo p. n. à musculorum in diversa trahentium actione tum in hoc, tum in illo statu extraordinario dependet. Sic & aliis inter se accidentibus conveniunt, nempe IV. dolore, qui in luxatione ligamentorum, ner-

Landesbibliothek Oldenburg

nervorum & musculorum tum extensioni tum compressioni debetur. Infra dicemus, quanta musculorum & ligamentorum copia in hoc articulationis loco occurrat. Non minus nervi insignes ab osse sacro orti, & ischiadicum omnium totius corporis maximum formantes, hic decurrunt, qui compressi aut extensi non possunt non eximium dolorem procreare. In fractura iisdem causis hoc symptoma adscribendum, maxime vero etiam illi, quod fragmenta & acutæ ossis extremitates veluti spicula periostium parteſque vicinas pungunt; qui dolor, si quando pars illorsum, quorsum articulus seceſſit, movetur, multum intenditur, in fracto membro idem fit, quamcunque in partem motus factus fuerit. V. Inflammatio aliunde non provenit, quam quod vasa sanguifera, præprimis venæ comprimantur, sicque sanguinis per has partes circulatio aliquatenus sufflaminetur, id quod in fractura extremis à se invicem secedentibus, in dearticulatione capitulo e sede dimoto in acceptis ferendum, adeo ut neque dolor neque inflammatio certo demonstret, utrum status p. n. in quo æger constitutus est, dislocatio, an vero fractura sit. Et cum inflammationis pedisequa sit febris, conceptu facile est, quod & hæc utrique affectui eadem prorsus ratione communis atque familiaris sit. Iisdem fere causis & convulsiones & atrophia partisque contabescentia aliaque hujus commatis symptomata haud immerito tribuuntur. Ut nihil dicamus VI. de vulnere atque ulcere, quæ pariter ac jam enumerata accidentia fracturæ non minus quam dearticulationi non raro conjuncta sunt, quia utrumque malum plerumque à causa violenta externa producitur, quæ sive fracturam, sive luxationem generet, simul etiam continui solutionem procreare apta nata est. Quodsi vero in ejusmodi statu complicato vulnus adeo enorme supponatur, vel re ipsa sit, ut ossis constitutionem specillo vel etiam digito examinare liceat, nullum de certissima diagnosi dubium superesse potest.

§. V.

Denique VII. uti luxatio pariter ac fractura, scilicet illa quæ articulo superiori propior existit, cognitu difficilis est, ita quoque uterque affectus in curatione non parum negotii artifici non minus quam ægro facessit; huic quidem, quia post curam absolutam plerumque claudus manet, illi vero, quia non raro dubius hæret, utrum secessus ossium, an vero partium ejus solutio facta fuerit, adeo ut incerta hæc diagnosis curam quoque difficilem reddat. In utraque rerum chirurgicarum scriptores hanc difficultatem agnoverunt. Unde *Corn. Celsus de Medic. l. 8. c. 10. hanc fracturam valde gravem esse* perhibet. Idem *Mich. Ettmüllerus Chir. Med. c. 4. de luxatione* pronunciat, *qua aut ligamentum summopere laxatur aut prorsus disrumpitur*, quo intuitu *illam omnium difficillimam curatu* judicat, quia si dictum ligamentum ruptum est, malum consolidationem non admittit, si vero relaxatum, pristino tono non facile restituitur. Maximum

vero toti negotio præjudicium affert, quod in quibusdam aliter in luxatione, aliter vero in fractura versari debeat artifex, hinc si luxationem pro fractura vel e contrario fracturam pro luxatione habet, ea quæ artis regulæ præscribunt, rite ab eodem non peragi in propatulo est. Nam licet musculorum copia & robur, qui, quantum in ipsis est, impediunt, quo minus fractura atque luxatio eveniat, in hac pariter ac in illa resistant, attamen (1) extensio, contra-extensio atque adaptatio partium sejunctarum in repositione fracturæ minor ad partes invicem aptandas sufficit, quandoque nulla prorsus requiritur, cum in luxatione magna semper opus sit; quod utut ita se habeat, (2) maxima vicissim difficultas in eo posita est, quod in illa semel rite coaptata extrema pristino in situ detineri vix queant, ideo quia ista à latere & oblique se tangunt, hinc musculorum actio extremitates etiam repositas à se invicem divellere annititur; cum e contrario articulus luxatus & semel repositus, ita ut capitulum sinui recte immissum sit, non facile iterum excidat, sed à musculis in sede sua firmiter detineatur; (3) longe alius in fractura apparatus quam in luxatione adhibendus est, in hac quippe, si recens fuerit, musculis, uti modo innuimus, capitulum in sede detinentibus deligatio simplicior & quies membri utplurimum sufficit, in fractura vero longe major apparatus requiritur, nempe firmior deligatio tribus fasciis administrata, ferulæ, toruli straminei seu parastatæ, conveniens tum totius corporis, tum etiam partis affectæ situs, quæ si negliguntur, non parum damni in ægrum inde redundat, ossa etenim extremis ob moram occallescentibus consolidari amplius non possunt, & res in malum incurabile transit. Imo non raro accidit, ut omnibus etiam sollicite observatis, & quibusvis cautelis adhibitis, nihilominus cura non ex voto & chirurgi & ægri succedat, atque claudicatio sequatur, qua de re cap. 3. plura dicemus.

CAPUT II.

Argumenta, quæ luxationem capituli ossis femoris difficilem, quin & rarissimam esse suadent, proponit.

§. I.

DUm luxationem hanc difficulter fieri pronunciamus, illud intellectum volumus de ea dislocationis specie, quæ in adultis evenit, atque causis externis debetur, nam quod illam spectat, quæ ab interna dependet, nempe ab humorum pituitosorum ad articulum affluxu, illam facilem & facillimam cum Cl. Ruyschio infra statuemus. De illa, si chirurgicarum rerum scriptores consulimus, deprehendemus plerosque in eo occupatos esse,

esse, ut eam in quatuor sensus, nempe sursum, deorsum, antrorsum & retrorsum fieri non solum posse, sed & actu contingere demonstrent, vid. *Dan. Sennert. Prax. l. 5. p. 4. c. 9.* quanquam & hoc largiuntur, unam luxationis speciem altera frequentiorem esse, unde & *Fabricius ab Aquapend. op. Chir. Libr. 5. cap. 8.* omnem femoris e sede sua prolapsum difficilem, alterum alio difficiliorem esse vult. Conf. *Corn. Celsum de medic. l. 8. c. 20.* & *Petr. Forestum l. 9. observ. chir. 6.* Nam quod illam ad posteriora & superiora attinet, à non paucis ob cavitatis in postica & superna ischii sede limbum altiorem pro impossibili habetur, e contrario vero istam, quæ versus anteriora & inferiora fit, ob rationes à *Dn. Petit. tr. de morb. oss. l. 1. c. 12.* allatas frequentissime & facillime occurrere dicitur. Quod ut accurate cognoscamus & discernamus, naturalis ossium status cognitio necessaria utique est, hoc enim probe perspecto, de eo, quod præter naturam est, judicium ferre facilius licet. Quare collectores *Auctor. Berolin. Vol. 10. obs. 7.* recte annotarunt, auctores uno ore omnes pronunciare ex juncturæ habilitate femoris luxationes introrsum factas omnium & facillimas & communissimas esse, & si quæ contingat, versus exteriora atque superiora, istam perraræ titulo dignam judicari debere. Quamvis autem unam luxationis femoris speciem altera rariorem esse stabiliamus, hoc tamen non impedit, quo minus simul affirmemus, omnes in universum, si cum colli fractura conferantur, illam etiam, quæ introrsum & deorsum fit, rariores existere, hincque istas non adeo ac continui solutionem ab experientia confirmari.

§. II.

Ne autem hæc absque fundamento asserere videamur, argumenta, quæ id ipsum suadent, ut in medium proferamus necesse est. Et primo quidem allegare liceat articulationis, qua os femoris cum illo coxendicis committitur, naturam atque conditionem, à qua major vel minor ad dearticulandum proclivitas derivanda utique est, cum e theoria ossium generali pateat, supra etiam annotaverimus, unum articulum præ altero facilius vel difficilius e sede sua delabi. Sic ossa, quæ per arthrodiam invicem commissa sunt, omnium facillime, quæ e contrario per ginglymum, satis difficulter hoc vitium incurrunt, cujus rei ætiologiam tradit Dn. Petit *de morb. oss. l. 1. c. 12.* Pari ratione articulationes, quarum ope motus parvus & obscurus peragitur, atque in chirurgorum scholis synarthrodes appellantur, non æque ad dislocationem proclives esse, quam illas, quæ motu manifesto & magno gaudent, quæque diarthrodes dici solent. Jam si illum articulum, de quo sermo nobis est, accurate examinamus, ille quidem cæteris paribus ad prolapsum magis pronus esse videtur, quam ginglymus synarthrodes, eum vero multo minus, quam vel arthrodiam quamcunque vel etiam ginglymum diarthrodem eidem vitio expositum esse pa-

riter affirmamus. Est autem illa articulationis species, quam in Anatomicorum scholis ἐναρθρωσιν vocant, seu talis inarticulatio profunda, qua ex omnium consensu capitulum ossis, quod à cavitate excipitur, magnum imo omnium totius corporis maximum est, globosum, vel, si mavis semiglobosum & multum protuberans, cavitas vero, quæ illud recipit, insignis atque profunda, quæ magnam illius partem arcte ambit. Dicta cavitas ab Anatomicis acetabulum vocatur, aut etiam sinus ossis ischii vel coxendicis aut coxæ, quamvis non ab hoc osse solum, sed ab omnibus tribus os innominatum dictum constituentibus formetur, uti id in sceleto juniore, in quo hæc ossa adhucdum distincta sunt, ad oculum demonstrari potest. Litem de hac enarthrosi, utrum illa peculiarem speciem constituat, an vero ad arthrodiam referenda sit, nostram hic non facimus, contenti dixisse eam non essentialiter, sed non nisi secundum magis & minus ab arthrodia differre, uti ex ipsis etiam sic dictis arthrodiis alia profundior, alia magis superficialis observatur; insuper non nisi unicam ejus speciem, nempe illam, de qua sermo nobis est, in toto corpore occurrere.

§. III.

Jam si naturam statumque dictæ articulationis paulo accuratius intuemur, haud difficulter patebit, duo ossa hac ratione inter se juncta sejungi facile non posse, & magna vi opus esse ad capitulum e sinu deturbandum ob cavitatem profundam, quæ quidem non tota ab osse formatur, sed margo in toto sinus ambitu cartilagineus eandem non parum auget, qui segmentum circuli describens paululumque contractus & angustior redditus capitulum arctissime complectitur atque recondit. Jam autem e mechanicis notum est, quo majori superficie duo corpora se invicem tangunt, eo firmiorem cohæsionem, & per consequens eo difficiliorem eorum sejunctionem esse; e contrario, duo corpora non nisi per punctum veluti se attingentia, leviſſima opera à se invicem disjungi. Et sane sapientissimus Creator hac articulatione maxime profunda id intendisse videtur, ut horum ossium dislocatio præcaveretur. Quæ commissio ossium tum profunda, tum etiam ratione superficierum magna nobis persuadere debet, dearticulationem non sine insigni difficultate accidere posse. Sed objiciet quis, non solum ex articuli conditione, sed & e motu, qui ab illo fit, hancce difficultatem metiendam esse. Jam vero cum à nostra articulatione motus magnus & in omnem sensum expeditus peragatur, ratio suadere videtur, non adeo difficilem futuram esse dearticulationem ac à nobis illa perhibetur. Sed respondemus 1. motum in hoc negotio suum etiam locum utique habere, sed non præcipuas ipsi partes deferendas esse. 2. Posito etiam illum ad facilitandum secessum aliquid conferre, reliquas causas, quæ difficilem hunc secessum reddunt, nempe articuli naturam, ligamentorum copiam atque robur &c. multum præponderare in confesso est.

est. 3. Motum femoris adeo liberum & expeditum non esse, ac illum, qui fit à reliquis arthrodiis diarthrodeis, adeoque & dislocationem difficiliorem statuendam. 4. Inter omnes arthrodiæ species, ad quas & nostra articulatio referri meretur, nullam ita difficulter ac hanc ipsam luxari, uti Dn. Petit *de morb. oss. L. 1. cap. 12.* idipsum ostendit, qui omnes fere Authores hac in re consentientes habet.

§. IV.

Huic articulationis dispositioni accedit ligamentorum numerus atque robur non exiguum. Sunt autem illorum duo, quorum primum circulare seu orbiculare e peripheria acetabuli seu marginis cartilaginei externa enatum, femoris cervicem ambit, totumque capitulum includit, imo & collo firmissime annectitur. Alterum teres, nerveo-cartilagineum & pollicaris fere crassitiei ex ipsius sinus non tam media quam laterali sede emergens foramini, quod in capituli parte magis inferna est, implantatur. Hujus basis ad robur articuli firmandum lata, expansa, acetabuloque firmissime affixa observatur. Utrumque validum est, magis tamen illud quam hoc, quod vero etiam in uno loco robustius quam in altero observatur. Quæ ut ad institutum nostrum applicemus, verosimile nobis videtur, ligamentum orbiculare, quia totum articulum ambit, & eo in loco, quo cervicem amplectitur, arctius evadit, idem capitulum vel plane non vel ægerrime e sede sua dimittere. Teres, quia breve admodum est, adeo dilatari non posse, ut luxationem ad supernam, posticam & recta ad inferiorem sedem admittat, quin ruptio ejus simul conjuncta sit. Nam quod extensionem ejus spectat, equidem nos non latet, ligamenta alias eidem quammaxime obnoxia esse. Hic vero obstat, quod hæc extensio non successive, sed subito & velut in momento fiat, quæ utplurimum cum disruptione conjuncta est. 2. Quod illa ipsa limites suos habeat, neque nimium extendi & ista debeat. Quodsi autem ligamenti ruptionem statuere volumus, maximam virtutem motricem ut supponamus necesse est, qua posita collum frangi, quam capitulum exarticulari, ob rationes mox allegandas conceptu facilius est. Quod vero attinet illam luxationis speciem, quæ oblique versus foramen ovale contingit, adeoque e motu, qui antrorsum atque deorsum fit, composita est, & velut diagonalem describit, illam ob eandem partium constitutionem omnium facillimam esse largimur, quia 1. ligamentum teres, quod capituli medio non inseri supra diximus, ob situm magis infernum margini propius est, & huic non æque ac reliquis resistit, aut sine disruptione capitulum e cavitate dimittit. 2. Margo sinus illo in loco minus elevatus. 3. Ossea substantia ibidem plane deficit. 4. Musculi robustissimi in parte superna & exteriore locati sunt: quæ fusius prosequitur Dn. Petit. l. c. In hac femoris extremum ad foramen ovale progreditur, eique diu insistit, & quia novam velut cavitatem

tem ibidem format, motus membri aliquatenus subsistit, vid. Vauguion *chir. c.* 81. Quæ tamen non impediunt, quo minus eandem ob ligamentorum robur raram pronunciemus, si nempe comparetur cum fractura colli, quæ frequentius accidere videtur.

§. V.

Dictis assensum suum promtius præbebit, quicunque in memoriam sibi revocaverit præter ligamenta musculorum quoque robur atque copiam: vix enim alibi in toto corpore occurrunt æque validi, ne dicam validiores quam hoc ipso in loco; quos hanc ob causam, præter quod aliqui eorum stricto nomine vasti dicuntur, Ruyschius omnes generali acceptione hoc titulo insignivit, atque ideo os femoris raro sola vi externa ex acetabulo ossium innominatorum exarticulari vult. Thes. 8. p. 62. Sunt autem illi tres Glutæi, Psoas, Iliacus, Lividus, Triceps, Rectus, duo Vasti, Sartorius, Fascia lata, Semimembranosus, Seminervosus, alterum bicipitis caput, nec non ii, qui femur circumagunt, Rotatores ideo dicti; qui musculi partim ossi femoris movendo dicati sunt, partim eidem saltem accumbunt. Plerique eorum crasso vastoque principio & ventre illud ipsum os muniunt, atque à violentiis externis defendunt, quo minus hæ immediate & tanto cum impetu in articulationem agere possint: vis enim agens & musculis applicita in hos vim suam maxime exerit, & quantum virtutis hisce impertitur, tantum amittit, unde est quod illa non parum debilitata ad femur e sinu suo deturbandum tanta cum virtute non agat, qua ageret, si articulationis locus vel nullis vel paucioribus aut exilioribus musculis instructus esset, adeoque vis agens magis immediate applicaretur. Non autem dicti musculi femur ab injuriis externis solum defendunt, sed & aliqui illud in situ suo firmissime detinent, sic non parum conferunt, quo istud ex eodem expelli non nisi maxima cum vi possit, quæ si etiam admota fuerit, illi ipsi pro eo, quo pollent robore validissime resistunt. Quæ dum stabilimus, non inficiamur, eandem rationem pro fractura colli æque ac luxatione capituli militare. Nam si verum est, musculorum copiam & robur actionem corporis externi in luxatione obtundere, negari utique non potest, hanc musculorum constitutionem eundem pariter in fractura præcavenda & impedienda effectum edere. Et largimur etiam id ipsum fieri, si vis externa parti femoris supernæ applicetur, non item si in sedem ejus inferiorem agat, de qua re infra *cap.* 3. §. 2. plura dicemus. Reliquum esset, ut jam dictis quædam de motu, qui tum à dictis musculis, tum ab ipsa articulatione dependet, subjungeremus, qui quia liberior est, atque in omnem sensum, uti loquuntur, possibilis dearticulationis facilitatem suadere videtur, sed quia supra §. 3. ea, quæ necessaria esse duximus, jam annotata à nobis sunt, lectorem eo remittimus.

§. VI.

Landesbibliothek Oldenburg

§. VI.

Hanc difficultatem, quæ in luxatione femoris est, ulterius declarat discrimen, quo in completam & incompletam seu subluxationem Græcis παράθεμα affectus hic p. n. distinguitur. Nam quod hanc spectant nempe subluxationem, in qua capitulum non omnino, sed ex parte tantum acetabulo excidisse supponitur, ita ut extrema ossium se invicem aliquatenus tangant, dictumque capitulum margini sinus insistat, illam facile fieri non posse, præter alios *Ambr. Pareus l. Oper. 15. c. 39.* contendit, dum expressis verbis *subluxationem*, ait, *in hac æque ac in illa humeri articulatione fieri non posse, causamque esse, quod utrumque & femoris & humeri caput exacte rotundum sit, sinus vero supercilia & quasi crepidines in ambitu habeat, & quod validi illam musculi cingant, ut fieri non possit, capitis partem aliam sua cavitate conditam esse, aliam prominere & excidere, quin ipsa mox dearticulationis motu & circumactione atque circumstantium musculorum robore in suum locum rapta relabatur.* Cui suffragatur *Georg. Hier. Welschius Obs. Med. Epistagm. 80.* hunc in modum loquens: *Si quando femur loco suo moveri contingat, non potest id nisi integre fieri. Cum enim caput illius rotundum sit, in labris sinus sive acetabuli consistere non potest, ut ita παράθεμα tantum seu distorsio fieret, quæ vulgo semiluxatio vocatur, sed necesse est, illud vel intra sinum recedere, vel extra cadere, quemadmodum & corpus aliud quodcunque globosæ figuræ in labris vasis alicujus constitutum ibidem firmari nequit, sed necessario aut intra prolabitur aut extra.* Et sane si dicendum quod res est, conceptu arduum videtur, qui musculis validissimis in diversa trahentibus, capitulum ossis femoris globosum, & summe lævigata cartilagine instructum, margini acuto & pariter levissimo insistere & immorari possit. Quodsi jam, quia incompletam fere impossibilem esse e dictis patet, alteram nempe completam, in subsidium vocare volumus, illam quidem absolute non negamus, e re solum nostra esse ducimus, pauca quædam circa istam annotare, & (1) quidem, eam induci non posse, nisi a causa violentissima & extraordinaria quadam vi agente, quæ musculorum & ligamentorum robur eximium vincat. (2) Nullam ejus speciem, nisi illam, quæ introrsum & deorsum fit, locum facile habere uti supra jam monuimus. (3) Eandem non nisi femore certo in situ existente, nempe parte ejus inferna extrorsum propulsa accidere posse, & (4) quod præcipuum fere momentum est, supponi illam non debere, quin ligamentorum, saltem teretis validissimi disruptio simul conjuncta sit. (5) Ligamentum orbiculare articulo e sinu propulso elasticitate sua se constringere, sicque huic regressum & viam in pristinam sedem præcludere. Quæ dislocationem femoris difficulter contingere indicant, & si facta illa fuerit, duæ ultimæ circumstantiæ eam fere incurabilem esse suadent.

§. VII.

Ea, quæ hactenus dicta à nobis sunt, eum in finem adduximus, ut laxationem femoris cum coxa valde difficilem esse demonstraremus. Hoc ipso vero illam non pro absolute impossibili habemus, istam quippe accidere posse, & re ipsa contigisse observationes utut non frequentes loquuntur, inter quas memorare hic lubet novissimam à *Dn. Cono* Theatri anatomici Regii, quod Berolini est, prosectore communicatam, quæ in *Act. Berolin Vol. X. Obs.* 7. extat, & perrara femoris luxatio absque colli fractura recte inscribitur. Cujus circumstantias si recte perpendimus, non possumus non assentiri horum Actorum Collectoribus, quod hoc maxime nomine raram istam appellarint, quia extrorsum atque sursum facta est, quo in loco margo sinus multum protuberans elapsui capituli magis quam alibi & perpendiculariter resistit. Quod tamen non impedit, quo minus hanc quoque ob causam ita vocari possit, quia omnis luxatio femoris ob rationes modo memoratas rara statuenda est. Largimur etiam in infantibus & subjectis junioribus non adeo difficilem illam esse, sed frequentius fere quam fracturam occurrere, in his enim articuli imperfecti adhuc sunt, margines sinuum nondum plene & plane formati, cartilaginei magis quam ossei, uti id recte annotavit *Volch. Coiter de Ossib. infant. cap.* 1. Quibus adde teneram ligamentorum, musculorumque constitutionem atque debilitatem, quæ in causa est, quod hæ partes, quæ in adultioribus multum resistunt, in his subjectis facile cedant, atque prolapsum e sinu permittant. Fracturam e contrario in his rariorem esse, probatur ex ossium flexibilitate, quæ quia major hic est, fibræ osseæ inflectuntur, & facilius cedunt, quam si rigidiores & minus flexiles fuerint, unde illo in casu solutionem continui difficilius, quam in hoc occurrere, nemo non intelligit.

§. VIII.

Omnium facillime autem dearticulatio femoris contingit, si à causa interna oritur, nempe ab humorum in acetabulo ossis coxendicis depluentium decubitu, à quibus ligamenta, musculi, & totus articulus ita relaxatur, ut levissima accedente causa externa inde excidat. Id quod præ aliis *Frid. Ruisch. Thes. Anat. VIII.* inculcat, qui postquam *os femoris sola vi externa raro exarticulari* pronunciaverat, *ab affluxu humorum id pluries contingere unicuique satis notum esse* concludit. Talem exhibet *Paul Amman, Med. Crit. Cas.* 30. & *Exc. Dn. D. Mæglingus E. N. C. Cent. 6. obs.* 20. & *Dec. I. Ann.* 8. *obs.* 24. ubi mira utriusque ossis femoris luxatio à simili causa recensetur. Memorabile quoque exemplum in *Act. Haffn. Vol. II. obs.* 37, extat pueri 7. annorum, in quo humores tanto cum impetu ad coxam dextram ruerunt, capitulum ossis inde expulerunt, & repositum rursus elabi fecerunt. Neque silentio prætereundum hic est, quod Cel *Stahlius Diss. de Rheumatism.* annotavit, ejusmodi humorum decubitum in articulatione femoris cum coxa & hu-

humeri cum ſcapula frequentius, quam in aliis locis contingere, hujuſque rei ætiologiam l. c. ſubjungit. Ratio autem, cur humorum affluxus dislocationem facilitet, in promtu eſt; ſicut enim oſſa ad articulum commiſſa à ligamentorum & muſculorum numero & virtute ſecundum naturam in ſitu ſuo continentur, ita in ſtatu p. n. idem affluxus, ſi copioſior fuerit, dictas partes ita relaxat, ut membro in ſede ſua detinendo impares jam ſint, ideoque leviſſima cauſa externa accedente illud e ſitu facile dimittant, eadem prorſus ratione, qua oſſa à variis cauſis internis ad fragilitatem multum diſponi infra cap. 3. §. 1. recenſebimus. Sed ut colophonis loco hæc ſubjungamus, tantum abeſt, ut ea, quæ de luxatione à cauſis internis orta attulimus, in dubium vocemus, quin potius ea ipſa ſtabiliamus & pro indubitato habeamus, hoc ſolum in memoriam revocantes, quod non tam de hac, quam potius de iſta, quæ cauſis externis violentis debetur, ſermo nobis ſit.

CAPUT III.

Rationes, quæ fracturam colli frequentius contingere probant, recenſet.

§. I.

CApite antecedente id egimus, ut probaremus, luxationem capituli oſſis femoris difficilem & rariſſimam eſſe, quare nobis nunc etiam incumbit in medium afferre rationes, quæ fracturam colli frequentius contingere ſuadent. Inter illas *primo loco* recenſere liceat, quod ſubſtantia dicti colli interna tota quanta oſſeo-ſpongioſa ſit, ex innumeris fibris oſſeis laxe inter ſe cohærentibus conflata, quæ velut rete quoddam oſſeum efformant, non niſi lamina quadam tenuiore tectum, quæ adeo tenuis eſt, ut uno vel altero in loco vix appareat; hanc *Ruyſchius* icone expreſſam exhibet *Theſ. Anat.* 5. *Tab.* 2. *fig.* 1. & 2. & præ aliis *Theſ. Anat.* 8. *p.* 62. accurate deſcribit, dum *collum*, inquit, *maxima parte conſtat ex oſſeo-ſpongioſa ſubſtantia inſtar diploës cranii, quæ obducta quidem lamella oſſea dura, verumtamen illa eſt admodum tenuis; & propter hanc oſſis tenuitatem idem collum fracturam facilius pati, quam articulum loco ſuo moveri* recte judicat; ideo quia illa ipſa ita apta non eſt externo occurſui violento tam valide reſiſtendi quam ligamentum duplex, quod articulationem firmat; fibræ enim rariores atque à ſe invicem ſejunctæ tantum roboris non habent, quantum copioſiores, denſo agmine conſitæ, & ſibi invicem arctiſſime unitæ. Quæ continui ſolutio eam quoque ob cauſam frequentior eſſe videtur, quia cauſæ internæ collum hoc ſpongioſum facilius quam duriores oſſis partes ad fragilitatem diſponunt, humoribus vitioſis & acribus tum ſubſtantiam hanc promtius ſubeuntibus & perreptantibus, tum etiam citius eandem corrumpentibus atque corrodentibus. Sive

jam illi ab utero & dispositione hæreditaria connati sint, sive adventitii, & à variis morbis natales suos ducant, à quibus ossa quandoque adeo fragilia redduntur, ut levissima vi externa accedente continui solutio fiat; quales morbi sunt caries, scorbutus, lues ♀ rea &c. cujus rei plura exempla prostant apud *Fabric. Hild. Cent* 2. *obs.* 66. *seq.* & *Cent.* 5. *obs.* 86. & 89. Conf. *E. N. C. dec.* 1. *ann.* 1. *obs.* 37. Verum uti de luxatione à causis internis orta nos hic non acturos supra diximus, ita quoque de fractura, quæ easdem causas agnoscit, multa afferre à foro nostro alienum esse arbitramur.

§. II.

Sed objiciet quis, substantiam hanc osseo-spongiosam non modo in femoris collo, sed circa reliquorum etiam ossium majorum extremitates reperiri, absque quod tam magna ad fracturam proclivitas concurrat. Quod dubium facile cadit, si substantiæ tenuitati *Secundo* jungatur, tum totius ossis, tum vero potissimum ipsius colli situs ac positura. Est autem illa admodum obliqua sive partem ossis mediam & inferiorem consideres, quæ antrorsum incurvatur, sive colli ad latus internum declinationem respicias; prior situs non tantum ad fracturam disponit, quia os in medio firmius atque solidius est; quamvis enim alias vis externa agens corpus aliquatenus flexile in medio facilius, quam in utraque extremitate disjungat, uti id exemplo baculi aut chordæ tensæ ad oculum demonstrari potest, hic tamen fibrarum & lamellarum arctissime sibi invicem junctarum copia multum resistit atque impedit, quo minus fractura fiat. Posterior nempe colli incurvatura introrsum facta majori attentione digna esse videtur. Eo namque in loco, quo trochanter major situs est, os ubi in cervicem abit, à linea recta deflectit, atque ita obliqué introrsum fertur, ut, si linea ossis femoris continuetur, & alia versus capitulum transversim ducatur, ut duæ hæ angulum rectum describant, post duabus aliis lineis, quæ prioribus parallelæ sint, figura Mathematicis parallelogramma dicta conficiatur, dictum collum lineam diagonalem aliquatenus, non vero juxta ἀληθείαν mathematicam constituat. Quo jam posito si supponamus, vim agentem infernæ ossis extremitati, quæ cum tibia jungitur, applicari, e legibus mechanicis patet, illam per totam femoris longitudinem in linea recta continuari, adeoque maximum impetum facere in apophysin, quam anatomici Trochanterem majorem vocant, seu initium cervicis, cui capitulum insistit, & quia dictum capitulum sinui ossis coxendicis profunde immersum ob hujus resistentiam sursum pergere nequit, vis agens vel omnem vel saltem maximam virtutem suam in cervicem seu collum exerit. Unde mirum non est, trochanterem majorem a cervice, vel etiam cervicem à capitulo divelli, adeoque fracturam nunc propius, nunc etiam remotius à dicto capite contingere, illo etiam in casu, in quo vis agens extremitati inferiori applicatur.

§. III.

Landesbibliothek Oldenburg

§. III.

Tertio non inter ultimas causas, quæ fracturam colli frequenter fieri declarant, recensenda est claudicatio, post factam etiam repositionem & absolutam, uti creditur, curam sese manifestans, quæ continui solutionem magis quam luxationem subfuisse non obscure indicat; hinc etiam *Mich. Ettmüll. Chir. med. cap. 5. præ reliquis*, inquit, *ossa femoris fracta raro consolidantur in integrum, quia femur circumseptum est vastissimis musculis, mediantibus quibus fractum os vix rite reponi vel firmari potest, quin denuo elabatur, vel figuram vitiosam contrahat, adeoque instar regulæ erit, si femur fractum sit, præsertim in adultis, sine claudicatione illud non posse restitui.* Quod confirmat *Fabr. Hild. Cent. 5. obs. 68.* postquam omnem in quocunque loco factam ossis disjunctionem claudicationem fere semper & facile sequi pronunciaverat, notanter subjungit, *præsertim si fractura in superiori parte femoris fuerit.* Huic Auctori quoad claudicationem antiquissimi quique suffragati sunt, quos loco citato allegat, nempe Avicenna, Guido de Cauliaco, Joh. de Vigo, Andr. Vesalius, Corn. Celsus, aliique cum annexa epicrisi: *est itaque communis sententia auctorum os femoris fractum, præsertim ex superiore parte sine claudicatione curari non posse*, tum ob rationes à dicto Fabricio citatas, tum etiam, quia ferulæ, splenia & fasciæ ad extrema in situ servanda necessariæ, eo in loco non commode, aut non nisi uno in latere, applicari, & constringi possunt. Idem paulo post sancte affirmat, *se neminem, qui ex hujusmodi fractura sine claudicatione evaserit, unquam vidisse præter unicam puellam*, cujus historiam l. c. exhibet. Idem agnoscens *Ambr. Pareus* veluti rarum quid & inauditum recenset, matronam, cujus femur ad trochanterem usque majorem fractum erat, sanitati absque quod molestum hoc symptoma supervenerit, a se restitutam esse.

§. IV.

Paucis vero adeo felicibus esse contingit, ut absque claudicatione restituantur. Id quod laudatum Fabricium quoque permovit, ut in solatium afflictorum instrumentum peculiare e lamina ferrea magno labore & industria fabrefactum excogitarit, cujus adminiculo ejusmodi fractura curatu alias difficillima, sine decurtatione & claudicatione vel ab artis Chirurgicæ tyrone curari facile possit, cujus iconem l. c. curiosorum oculis exhibet. Illo quippe reliquum femoris os cervici ejus ita applicatur, & applicatum servatur, ut extremitates conglutinari invicem possint. Hoc si ad manus non est, vel etiam res ob alias causas non rite tractatur, hæc claudicatio per totam vitam manet & nulla arte curabilis est. Causam Phænomeni hujus, nempe claudicationis, Fabricius situi extrorsum incurvato & velut arcuato, qui in media ossis parte est, adscribit, unde si fractum fuerit dictum os, illud facile versus internam

partem incurvari ait: sed minus recte hic sentire nobis videtur, qui potius existimamus, illius partis incurvaturam, qua os in cervicem abit, plus eo conferre, claudicationemque facile inducere, quia (1) quocunque studio rem suam agat chirurgus, coalitus extremorum à se invicem separatorum difficulter obtinetur, quoniam illa sibi invicem applicita ob musculorum nisum & actionem in situ conservari fere nequeunt. Nativa illa & ordinaria incurvatio in repositione vel non observatur, vel si etiam chirugus ad illam attendit restitui vix potest, si non singularem industriam adhibuerit; uti id inculcat *Joh. Bapt. Verduc. Pathol. Tom. I. part. 2. cap. 2. §. 13.* Et *Ambr. Pareus* modum agendi docet *Oper. Lib. 14. cap. 20.* (3) Tendines musculorum in ejusmodi fracturis, utut hæ coaluerint, multum passi & in tantum debilitati sunt, ut pedi debita ac sufficiente ratione movendo postea vix sufficiant. Idem fere de nervis satis magnis, qui ex osse sacro prodeunt, dictisque tendinum & ligamentorum partibus implicantur dicendum, uti *C. H. Erndl. Itin. Angl. & Batav. pag. 87.* non inepte ratiocinatur.

§. V.

Præter jam memorata fracturam frequentius quam luxationem in statu p. n. evenire, hoc etiam indicat, quod articulus pro luxato venditatus, vel admodum difficulter reponatur, vel etiam, & quidem plus una vice repositus, nunc sponte nunc leviſſima accedente causa rursus excidat. Prognosticon est, quod præter alios inculcat *Celsus l. C. lib. 8. cap. 20.* magnum femoris luxationi periculum esse perhibens, ne vel difficulter reponatur vel repositum rursus elabatur. Equidem nos non latet repositionem etiam in luxatione vere tali, si subjectum vel adiposum vel valde lacertosum fuerit, chirurgo multum negotii facessere, ea quippe, quæ dearticulationi resistunt, pariter ejusdem repositioni obicem ponere solent. Largimur etiam in vera luxatione, si ligamentum teres à causa violentissima externa ruptum fuerit, membrum utut pristinam in sedem repositum quandoque rursus excidere, ideo quia musculi soli capitulo in situ detinendo pares non semper existunt. Neque hic intelligimus ejusmodi dislocationem, quæ à causa interna derivari solet, in qua à copioso humorum affluxu ligamenta, tendines & musculi ita relaxantur, ut membro in situ detinendo jam non sufficiant, unde fit, ut femur vel propria velut gravitate, vel levi accedente causa externa elabatur, imo & pluries etiam repositum debito in situ contineri nequeat, à qua relaxatione ligamentorum caput femoris ex parte dearticulatum in podagra inveterata quandoque deprehendi Verducius *Pathol. Chir. T. 1. p. 3. c. 2, §. 10.* annotavit. Idem absente etiam humorum ad articulos decubitu, de musculorum tendinumque paralysi, si quæ has partes occupavit, pariter valere ob affinitatem non quidem causæ, sed potius effectus facile conjicere est. De cujus repositionis difficultate *Fabr. Hild. Cent. 6. obs. ult.* plura habet. Uti etiam concedimus non statim suspicandum, fracturam subesse, si forte

forte mala & extraordinaria horum ossium in utero contracta conformatio in causa sit, qua sinus coxæ, si cum capituli magnitudine comparetur, major est, atque amplius aut vice versa capitulum, si cum sinu conferatur, justo minus, quam ut illud arcte complecti valeat, qualem casum *Theod. Kerkringius Spicil. Anat. obs.* 61 in nepte sua observatum exhibet, quam constitutionem p. n. hariolari, vel si etiam à peritissimo artis cognoscitur, curare atque corrigere in artis potestate situm non est. Neque contrariamur, luxationem locum habere, si forte causa ab Avicenna allegata præsto fuerit, nempe supercilii seu marginis, qui sinus cavitatem efformat, fractura aliquo in loco producta, hoc enim si reperitur, cavitate magis superficialia reddita capitulum inde haut magna cum difficultate dimoveri palam est. Sic & dum de restitutione laboriosa agimus, illud excipimus, si quando inveterata est luxatio, quo in casu 1. symptomata, præ aliis inflammatio, quæ jam multum invaluerunt, impediunt, quo minus extensio & contra-extensio ad articulum restituendum necessariæ rite institui possint. 2. Lympha seu humor articulorum lentus atque mucilaginosus in callum induratus, qualis in luxatione inveterata plerumque occurrit, cavitatem, in quam femoris extremum reponi debet, plus minusve occupat, ut fere nullus amplius locus huic relinquatur, cum nos de recenti potius malo, ubi callus abesse creditur, agimus, Non minus illæ causæ, quarum *Gabr. Fallopius tr. de luxat. c.* 1. ex Hippocrate *de Articul.* meminit, quandoque in censum venire solent, quales sunt inflammatio, abscessus, atque tumores circa ligamenta oborti, qui membrum sensim, abbreviatis ab una parte ligamentis, è cavitate expellunt, sicque luxationem producunt, quæ tamen, ut verum fateamur, oppido raræ esse videntur.

§. VI.

Quæ omnia in §. antec. memorata, cum ad institutum nostrum proprie non pertineant, reliquum est, ut indicemus fracturam sæpenumero in causa esse, quo minus repositio articuli ex voto vel artificis vel ægri succedat, sive jam illa sola sit, sive cum alio quodam vitio conjuncta, quandoque etiam, uti bene meminimus, luxatio cum illa concurrit, ita ut & dearticulatio capituli & fractura colli in uno subjecto, & eodem tempore reperiatur. Quo in malo graviore & complicato, uti diagnosis valde dubia est, ita repositio factu ardua. De diagnosi supra cap. I. egimus atque ostendimus, quod maximum totius negotii momentum in ipsius incertitudine situm sit. Iis quæ ibidem annotavimus, addi debent, quod si quis alius, hic sane status p. n. de quo modo diximus, dijudicationem difficillimam reddat. Sic & repositio articuli luxati fieri nequit, nisi extrema colli, quæ solutionem passa sunt, antea coaluerint; quo magis enim luxationi consulere facta

cta extensione tentamus, eo majorem extremorum secessum producimus. Quodsi vero supponamus, affectum non esse complicatum, in hoc pariter restitutio, quæcunque etiam industria adhibeatur, obtineri sæpe numero haud potest, & articulus citius vel tardius relabitur. Præcipua huius rei causa non alia esse videtur, quam quod idem articulus pro luxato habeatur, cum tamen fractura colli subsit; hac enim præsente colli fracti pars superior ab inferna facile divellitur, neque extensio & coaptatio, uti in luxatione sufficit, sed ut extrema rite uniantur & coalescant, alio prorsus apparatu, imo & peculiari machina sibi invicem applicari & applicita servari debent, quæ supra cap. I. §. 5. pluribus recensuimus. Concludimus ergo cum laudato *Ruyschio, raro & rarissime à sola vi externa femoris capitulum exarticulari, collum vero citius frangi, nisi causa interna simul conjuncta fuerit.*

CAPUT IV.

Observationes eorum, qui luxationem raram & fracturam frequentem esse contendunt, exhibet.

§. I.

INter illos, qui ea, quæ rationibus stabilire supra laboravimus, observationibus confirmare omni ope moliuntur, primus in scenam prodeat *Frid. Ruyschius* Anatomicus Amstelodamensis, injéctionibus, quas per vasa exilissima instituit, eximiis celeberrimus & observator accuratissimus, qui in Thesauris suis anatomicis plura passim exempla annotavit, quibus probatum it, malum, quod pro luxatione femoris à multis habitum fuit, nihil præter fracturam colli, facta post mortem inspectione anatomica curiosorum oculis sese plus una vice exhibuisse. Ita enim *Thes. Anat. VIII. pag.* 61. exhibet *os femoris subjecti anilis, quæ annis ante plurimos annos ceciderat ab alto, fracturamque in collo ossis femoris passa fuerat.* In quo subjecto notandum esse monet (quod mirandum & fidem fere superat) *hanc vetulam non solum claudicasse ad vitæ terminum, verum etiam in cadaveris post mortem apertione dicti ossis collum in totum defecisse & in nihilum fere redactum fuisse, adeo ut vel prorsus nihil vel parum admodum ejusdem remanserit, femurque brevius factum fuerit*, uti id *tab. 3. fig. 1.* ad oculum demonstrat. Et paulo post addit, *sibi retulisse Gerh. Borst. Chirurgum Amstelodamensem, qui uberrimam in praxi chirurgica annuum cadavera aperiendi occasionem habuit, quod octo ejusmodi subjecta, quæ in vita claudicaverunt, perlustraverit, & nunquam ossa ex articulo delapsa,*

lapsa, *sed semper in collo fracta invenerit.* conf. *Thes. V.* Pari modo *Thes. IX. p.* 29. similem *vetulæ casum* refert, *cujus cadaver*, *postquam à multis annis fracturam passa illa fuerat*, *& supremum tandem diem obierat*, *cultro anatomico subjecit*, *& observavit cervicem ossis femoris deficere*, *& caput rursus parti ossis decliviori ferruminatum esse.* Idem confirmat observatio, quam *Thes. eod. p.* 57. ab eodem annotatam legimus, qua fidem facit *sibi æque ac Gerh. Sermes Collegii medici Inspectori*, *& Joh. Borst chirurgo occasionem datam fuisse cadaver vetulæ*, *cui ante plures annos femur fractum*, *inspiciendi oculisque usurpandi*, *in eoque non solum collum in totum defeciisse*, (æque ac in illo subjecto, cujus modo meminimus) *verum etiam naturam loco dicti colli ligamenta crassa substituisse*, *quorum ope caput ossis femoris supremæ ejusdem parti connatum fuerit*, *&*, quod mirandum, *non tam ab exteriore*, *quam interiore utriusque ossis sede id factum fuisse*; *& hæc ligamenta adeo valide os detinuisse*, *ut ægra per aliquot annos*, *quamvis claudicans*, *per plateas incedere potuerit.* Quibus subjungit; *cum tale quid* (*nempe ligamentorum generationem fracturæ supervenientem*) *nunquam viderit*, *neque audiverit aut legerit*, *consultum se duxisse hunc affectum* (rectius hanc ossis portionem una cum ligamentis) *in liquore conservare*, *ne quis de veritate hujus rei dubitare possit.* Uti & antecedentem inter plurima alia curiosa asservat, & iis, quibus hæc perlustrare volupe est, promptus demonstrat. Circa quas observationes hæc notatu digniſſima sunt, (1) collum post ejusmodi fracturam in nihilum fere redactum esse, adeo ut vel nihil ejus vel parum admodum superfuerit. (2) Ligamenta crassa atque robusta de novo enata substantiæ osseæ vices obiisse, sicque novam veluti articulationem veris & ordinariis analogam peperisse, qua mediante motus similis illi, qui in articulis fieri solet, aliquatenus peragebatur, de quibus articulationibus analogis *vid. Diss. Dn. D. Præsidis* 1718. hic habita.

§. II.

Cum laudato Ruyschio saltem hac in re apprime consentit *Joh. Jac. Ravius*, Chirurgus & Anatomicus, dum viveret, dexterrimus, qui in *Orat. de Method. Anat. discend. & docend.* sequentia, quæ probe notari merentur, habet: *Anatomiam docere*, *quem olim frequentissimum crediderunt ossis femoris ex acetabulo delapsum rarissime fieri*, *sed à leviore etiam impetu collum ossis ob teneram structuram diffringi.* E quibus Auctoris verbis abunde patet, eundem velut in compendio exhibere & complecti ea omnia, quæ in superioribus stabilire multis annisi sumus. Non minus *W. Cheselden*, Chirurgus & Regiæ Societatis Anglicanæ Socius *Anat. Corp. Hum. Lib. I.* recitat exempla eorum, in quibus femur luxatum creditum quidem fuerat, collum vero ejus fractum caputque acetabulo ossis ischii

immersum deprehensum est; & ut hoc ipsius assertum omnium oculis pateret, talium ossium statum p. n. delineari curavit. Nec non *l. c. Lib. IV. p.* 70. in duobus corporibus à se dissectis cervicem ejusdem femoris separatam detexit, à qua fractura pes abbreviatus femur dislocatum falso conjiciendi occasionem dedit. Ut taceamus alios, qui eandem veritatem adstruere & observationibus confirmare laborarunt, quibus allegandis hic supersedemus.

§. III.

Quamvis autem persuasum nobis sit, eas observationes, quas e fide dignissimis rerum chirurgicarum scriptoribus modo recensuimus, ad probandum illud, quod stabilitum imus, sufficere, non possumus tamen, quin istis subjungamus ea, quæ *Christ. Henr. Erndl. Relat. Itin. Anglic. & Batav. pag.* 86. de affectu nostro memorat, dum ita loquitur: *collum vel cervicem ossis femoris à violentia externa frangi frequentius accidit, quam à plerisque creditur, ossea enim vel vitrea, uti à quibusdam appellatur, lamella in hac parte tenuissima est; & quamvis communis sit opinio, ubi patientes de dolore & motu abolito in his partibus conqueruntur, exarticulationem vel luxationem ossis ischii accidisse, falsa tamen, imo propter incredibilem ligamentorum ac tendinum circumjacentium crassitiem ac robur impossibile, hanc articulationem tali modo luxari. Talem fracturam his meis oculis vidi ac manibus palpavi in cadavere fœminæ Nosocomii Muliebris Amstelodamensis sociæ, in qua tractu temporis fractura illa cervicis ossis femoris dextri per callum quidem coaluerat iterum, fœmina tamen exinde per omnem ætatem ad mortem usque clauda. Callus pollicis latitudine sub ipso capite magno ossis femoris extabat, nulla autem in ligamentis ac tendinibus musculorum læsio vel p. n. constitutio erat.*

§. IV.

Modo recensitæ observationes à scriptoribus fide dignis annotatæ leguntur, ita ut de earum veritate dubitare nullo modo liceat. Quibus subjungere possemus alias, nisi Dissertationis Academicæ limites transgredi vereremur; contenti paucis commemorasse, nos plus una vice vidisse & manibus palpasse ejusmodi subjecta, in quibus luxationem femoris præsto fuisse à multis credebatur, cum tamen circumstantiæ supra allatæ fracturam subfuisse non obscure indicaverint. Quin & accepimus à chirurgis arte peritis, quibus plures ejusmodi casus in praxi occurrerunt, luxationem femoris cum coxa rariorem esse, quam numero haud pauci sibi aliisque persuadent. Quod dum asserimus, denuo inculcare nos non piget ea, quæ supra jam stabilivimus, nempe negari non posse illam subinde etiam observari, ne experientiæ contrariari velle videamur. Idem quip-

quippe præter alia evincit obſervatio ſeptima, quæ in Act. Berolin. Vol. 10. annotata legitur, cujus ſupra cap. 2. §. 7. jam meminimus. Uti etiam contrarii non ſumus iis, qui hæc vitia pariter ac hernias apud Helvetos frequentiora eſſe contendunt, ideo quia victu eo diſponente copioſius utuntur, vel labore duriori illa generante corpus magis exercent. Ab illo, nempe quotidiano lactis & butyri uſu fibræ ligamentorum aliarumque partium emolliuntur & lubrica redduntur, adeoque memorata diæta cauſæ internæ naturam induit, ita ut rudiore & magno corporis membrorumque motu accedente, utpote cui monticolæ illi aſſueti ſunt, ejuſmodi vitium frequentius, quam alibi locum habeat. Et hæ ſunt rationes atque obſervata, luxationem oſſis femoris rarius, quam vulgo creditur, fracturam vero colli frequentius evenire ſuadentia, quæ pro inſtituti noſtri ratione in medium afferre voluimus; ea vero, quæ dicta à nobis ſunt, ad experientiam, optimum in rebus phyſicis atque medicis lapidem lydium, examinata omni exceptione majora eſſe certo affirmare non audemus, quin potius indubiam hujus rei veritatem diei & ulteriori obſervationi commendamus, aliorum curas, uti lubentes agnoſcimus, accuratiores nunquam non veneraturi.

FINIS.

Landesbibliothek Oldenburg



CHRIS-

Landesbibliothek Oldenburg

CXLVI.

CHRISTIANI GOTTL. LUDWIG,

DE

COLLO FEMORIS EJUSQUE FRACTURA.

PROGR.

Lipsiæ 27 Janv. 1755.

Landesbibliothek Oldenburg

CUrioſiſſima oſſium diverſorum compages, partim ob aptam conjunctionem, à figura extremitatum potiſſimum definitam, partim ob nexum, à ligamentis & muſculis dependentem, ad varios motus & actiones ſingulares præſtandas diſponitur; ipſi autem muſculi, pro vario partium ſitu varie agentes, machinam animalem in commoda vitæ dirigere & ad varias actiones præſtandas partes ejus ducere valent. Licet vero in omnibus corporis partibus motus membrorum & inde declaranda agilitas ſatis pateſcant, & v. c. ſpina dorſi, corporis compagem potiſſimum ſuſtinens & formans, ex nexu vertebrarum, curioſiſſime fabrefactarum & ex ligamentorum & muſculorum apta applicatione haud mediocrem oſtendat mobilitatem, articuli tamen extremitatum corporis, & liberi ſatis & cartilagine lubrica inveſtiti, & liquore interarticulari juncti, ſingularem prorſus præſtant motus facilitatem. In ſuperioribus enim extremitatibus humerus, tum per ſe, tum ob nexum cum ſcapula inter muſculos appoſitos quaſi fluctuante, & clavicula motus hos dirigente & quodammodo firmante, ampliſſimas ſæpius motuum directiones perficit. De artificioſis manuum motibus nemo dubitat, qui ad labores his præſtitos attendit, magis vero convincitur ille, qui excellentiam fabricæ corporis humani in hac ipſa parte ex demonſtratione anatomica perſpicit. In extremitatibus inferioribus, fulcris ſcilicet mobilibus corporis humani, egregium quoque mechaniſmum non tantum in ingreſſu, artificioſe inſtituendo, ſed & in variis ſaltandi modis cognoſcimus [a]. Licet autem ille in ſingulis articulis apte demonſtrari, & fabrica corporis humani, præ illa animalium quadrupedum excellentior, judicari poſſet, attentionem tamen noſtram nunc in unica femoris parte, ſcilicet in collo ejuſdem figamus, &, quantum peculiaris hujus partis directio motus extremitatum inferiorum liberos reddat, oſtendamus, quo nonnulla de luxatione capitis femoris, interſpergere, præcipue autem rationem fracturæ colli femoris paulo accuratius perpendere queamus.

Acetabulum eſt cavitas profunda oſſibus coxarum, quæ, quoniam ex tribus diſtinctis oſſibus coaleſcunt, innominata vulo dicuntur, inſculpta. Hoc caput femoris ita ſuſcipit, ut in quatuor plagas diverſimode moveri, potiſſimum vero ab anteriore parte retrorſum ſuper internum ambitum, cartilagine præcipue incruſtatum, produci queat, quo motu & femur & reliqua annexa extremitatis hujus oſſa amplum ſatis circulum deſcribunt. In humero quidem, extremitatis ſuperioris motus in primis dirigente, circuli deſcripti ambitus longe major eſſe videtur, ſed ille à mobilibus ſcapulis ſimul dependet, cum immobilia coxarum oſſa extremitati inferiori vix

[a] Vid. P. A. *Boehmeri* Inſtitutiones Oſteologicæ. Hælæ 1751. 8. cap. 5. §. 583. p. 322.

vix alium motum concedere videantur; quam eum, quem caput in acetabulo ſuo converſum præſtat. Quod ſi igitur femoris os rectum tantum, ut humerus, inveniretur, & caput quoque à latere cavitati minus profundæ inſereretur, tunc fulcra hæc corporis non ſatis firma deprehenderentur; quod ſi vero caput ſat magnum profundæ acetabuli cavitati, iiſdem conditionibus præſentibus, immitteretur, extremitatis inferioris motus arctis nimis limitibus circumſcriberetur, neque varios motus introrſum, extrorſum, antrorſum & retrorſum vel ſucceſſive vel alternatim præſtare poſſet; ex extremitate autem femoris ſuperiore oblique progrediens collum, capite ſuo, in acetabulum inſerto, coronatum, efficit, ut femur ipſum in plagas omnes mox commemoratas duci & liberius moveri queat. Dum itaque primo introrſum, paulo poſt antrorſum, deinde extrorſum & tandem retrorſum femur cum crure extenſo circumducitur, conus, ampliſſima ſua baſi conſpicuus, deſcribitur. Hac ipſa tamen mobilitate firmitati nihil detrahitur: motu enim libero, in uno latere peracto, alterum femur adeo firmum teneri poteſt, ut in una quaſi columna totius corporis molem ſuſtineat. Curva ſcilicet, & ob collum ſuum quaſi diſtorta, femoris extremitas ſuperior, ob corporis & extremitatis inferioris dicti oſſis ſenſim introrſum vergentem directionem, ſitum rectilineum quaſi reſtituere videtur, dum per caput femoris recta deorſum linea duci queat, quæ, in ſtatu erecto corporis, intra duos condylos cadit, & id efficit, ut corpus ſtabile contra externos impetus reſiſtere queat. Quantum enim diſtant femorum partes ſuperiores, tantum iterum convergunt inferiores, & condylus internus femoris, qui in hoc oſſe, extra ſitum conſiderato, longior videtur, in ſitu genuino obliquitatem vix oſtendit [*b*], ita, ut genua parum diſtent, & in corpore imbecillo ſæpius ad ſe invicem apprimantur, malamque corporis conformationem in rachiticis potiſſimum inducant.

Uti vero per obliquam colli inſertionem femoris oſſi prorſus ſingularis conciliatur mobilitas, copioſis & apte applicatis muſculis adjuvanda & præſtanda, ſic ex altera parte incommodum aliquod, ſcilicet fragilitas, oritur. Breve enim collum in incremento ſuo ex una parte verſus caput in epiphyſi ſua non nihil concavum, ex altera verſus femoris, in trochantere majore continuatum, corpus extenſum prorſus cellulare & poroſum eſt, nec in cylindrum verum & denſum extenditur [*c*] ſed ubique poroſa tantum lamina externa cingitur. Attamen & huic fragilitati quodammodo proſpicitur. In parte enim inferiore, ubi femur in collum incurvato tractu continuatur, & ubi maxima requiritur reſiſtentia, loco ſcilicet

[*b*] Vid. *J. B. Winslow Expoſition anatomique de la ſtructure du corps humain. Traité des os ſecs* §. 753. 755. it. Bertin *Traité d'oſteologie à Paris* 1754. 12. Tom. IV. p. 27.

[*c*] Vid. *F. Ruyſchii* Theſaur. Anat. V. Tab. II. fig. 1. & 2.

Landesbibliothek Oldenburg

ſcilicet intermedio inter trochanterem minorem & aſperitatem anteriorem, cui ligamentum capſulare anterius inſeritur, laminæ oſſis multiplicatæ, & denſius inter ſe conjunctæ, ex corpore quaſi eo continuatæ deprehenduntur. Non tantum vero hac ipſa colli parte magis firmata fracturæ crebriores avertuntur, ſed trochanter major extrorſum ſitus, & veram quaſi continuationem corporis femoris ſiſtens, impetus varios, qui fracturam colli præſtare poſſent, ſuſcipit, qua ex re dolorosa quidem oritur ſenſatio, ſed rudes etiam impetus ita debilitantur, ut collo injurias inferre nequeant.

Quamvis autem his ipſis, ab oſſis fabrica pendentibus, conditionibus, fragile collum ab injuriis externis ſatis tutum reddatur, haud tamen ſufficerent, niſi & alia ex ligamentis & muſculis accederent hujus articuli munimenta. Et primo quidem capitis articulatio in acetabulo non tantum ab oſſe cavo & cruſta cartilaginea elaſtica definita, ſed à margine acetabuli cartilagineo tendinoſo pendens [*d*], id efficit, ut caput arcte licet comprehenſum impetibus tamen quodammodo cedat, ne nimia vis collo inferatur. Porro ligamentum capſulare, ſive membrana circularis craſſa, ſupra marginem acetabuli oriunda collo non affigitur, ſed illud tantum involvit, & a parte anteriori potiſſimum uſque ad trochanteres ita producitur, ut femoris corpori inſeri videatur [*e*] hinc laxe tantum collum ambiens permittit, ut liquor articularis hoc quaſi inungat, ſtrias perioſtii, quæ collo adhærent [*f*], humidas conſervet, & forte hinc aliquam quaſi flexilitatem collo concedat. Ligamentum hoc per ſe jam ſatis validum, cum ob laxum ſitum ſæpius luxationibus anſam præbere poſſet, inde tamen eaſdem avertit, quod ſtriis tendineis, à vicinis partibus ſuſceptis [*g*] robur, quod unquam in ligamento corporis obſervatur, acquirat ſummum.

Ad muſculos vero quod attinet, quilibet primo intuitu perſpicit, hanc partem adeo carnibus circumſeptam eſſe, ut colli conditio in luxatione & fractura vix ſatis diſtingui queat, in primis, ſi carnoſa & obeſa ſubjecta conſideramus. Ne vero in his omnibus deſcribendis nimium diffundamur, breviſſimis tantum præcipuos muſculos tangemus. A parte nimirum articuli poſteriore præcipue glutæus magnus, qui poſterius à criſta ileum & toto oſſis ſacri tractu oritur, & ſuperius ad trochanterem majorem, adjutus

[*d*] Vid. *Joſiæ Weitbrecht* Syndeſmologia ſive Hiſtoria ligamentorum corporis humani. Petropoli 1742. in 4to mai. p. 137. Tab. XVIII. fig. 54. & 55. c.

[*e*] L. c p. 140. fig. 53. p.

[*f*] Retinacula dicit *Weitbrecht* l. c. fig. 53. f. quæ per tunicæ intimæ duplicaturam oriuntur.

[*g*] Strias anteriores depingit *Weitbrecht* l. c. fig. 53. m n o. Peculiare acceſſorium ligamentum deſcribit *Bertin* l. c. p. 30. quod poſterius ab acetabuli margine retrorſum ad trochanterem majorem ducitur.

jutus ibidem glutæo medio, præcipue autem ad descendentem femoris partem inseritur, femur in summa flexione, antrorsum facta, ita retinet, ut nunquam retrorsum cedat. Quod si vero hic musculus ob nimiam carnis amplitudinem hoc officium non satis explere posset, & glutæus medius paulo altius collocetur, pyriformis, gemini bini & tendo obturatoris interni collum femoris reliquumve articulum egregie firmant, ita, ut ex hac sede nunquam retrorsum, quantum nobis cognitum est, femoris caput dimoveatur. A parte antica iliacus musculus, per musculum psoas confirmatus & capsæ femoris fortiter accrescens, luxationem versus anteriorem inferioremque partem sæpius extimescendam impedit, caput femoris in situ retinet, injuriasque à collo arcet.

Ex his breviter expositis articuli femoris agilitas, à collo pendens & modi, quibus fragile & obliquius positum collum femoris defenditur, abunde patere videntur. Licet vero in hac ipsa tractatione tantum de fractura colli quædam in medium proferre placuerit, melius tamen hanc ipsam dijudicari posse arbitramur, si pauca de luxatione femoris præmittamus.

Femur in omnes partes promoveri posse *Celsus* monet [*b*] & licet *Petitus* & alii has directiones in luxationibus describendis assumant, tamen modo dictus auctor [*i*] luxationem versus posteriorem & inferiorem partem impossibilem dicit, & illam, quæ sursum & antrorsum & retrorsum fit, difficilem judicat & minus frequentem, nos itaque potissimum & à parte anteriore inferioreque, & à parte superiore posterioreque factas luxationes considerabimus, cum reliquas vel rarissime vel nunquam evenire persuasum habeamus. In priori enim casu, dum femoris corpus extrorsum & retrorsum ducitur, & caput ejusdem versus marginem acetabuli anteriorem & inferiorem ex una parte, ex altera autem versus eam partem ligamenti capsularis, cui iliacus & psoas accrescunt, dirigitur, vis trochanteri, à parte antica illata, caput ita urget, ut ligamentum, quod incisuram acetabuli format, vel cedat vel quodammodo lædatur, caput ita in obturatorem externum devolvatur, & ad foramen ovale, anterius inter os pubis & ischium insculptum, e sede sua deferatur. Licet vero hæc luxatio præter id, quod extremitas inferior longior evadat, facile ex eo cognoscatur, quod caput ad inguina sub pectineo musculo tactu explorari, & fovea sat notabilis in eo loco sit, ubi trochanter major eminere solet, tamen difficilis vel plane impossibilis est hujus ossis repositio, vel potius repositi ossis confirmatio, cum dislocatio simul cum violenta ligamenti capsularis ruptura connexa sit, & musculi ossis femoris, validi & ex situ suo naturali deducti, vehementer se contrahant.

Ten-

[*b*] De medicina lib. VIII. cap. 20.

[*i*] Vid. *J. L. Petit Traité des maladies des os à Paris* 1741. 12. Tom I. Lib. I. cap. 11. p. 285. seqq.

Tentavimus olim luxationem versus anteriora factam reponere, & licet extensionem, certe difficilem polyspasto applicato tandem præstiterimus, & caput in acetabulum reduxerimus, hoc tamen, articulo fasciis licet satis firmato, sub leviore corporis agitatione iterum e sede sua dimotum fuit, ita ut a semel iterumque tentata repositione tandem desisteremus. Aeger vero ideo potissimum sibi relinquendus erat, cum ob insignem læsionem capitis, simul illatam, sensu privatus jaceret, & ex fractura cranii ad basin usque deducta periret. [*k*] Forte itaque in alio casu, ubi æger magis in quiete conservari posset, aliqualis curatio locum inveniret, quamvis ob ligamentorum rupturam genuina & ad motum apta articuli dispositio nunquam restitui queat. Quod si vero os non reponatur, sed dimotum maneat, tunc illud evenit, quod Cl. *Moreau* descripsit, novum scilicet acetabulum in ovali foramine formatur [*l*] in quo casu extremitas inferior introrsum quodam modo directa trahitur magis quam apte movetur.

Alter casus luxationis capitis femoris est, dum illud sursum & quodam modo retrorsum ad os ileum devehitur. Si enim femur, nimis introrsum & supra alterum femur, oblique extensum deprehenditur, & vis illata extremitatem femoris inferiorem versus superiora urget, tunc utplurimum collum, quoniam impetui minus, quam reliquæ partes femoris, resistere valet, frangitur. Dubitari itaque omnino posset, an casus existat, ubi in ossibus, de reliquo bene conformatis, hæc luxationis species locum inveniat; id tamen interdum evenire posse ex altero, a Cl. *Moreau* adducto, exemplo perspicimus, [*m*] & eo magis in hac sententia confirmamur, cum similem prorsus capitis femoris luxationem cum formato postmodum ad ossa ileum acetabulo novo conspexerimus. Præter id enim, quod in uno tantum latere e loco moveatur superficies, caput femoris suscipiens, applanata magis, quam convexa, cartilagine non incrustata, sed polita tantum, apparet, & musculus glutæus minor rupti ligamenti capsularis vices explet, & caput in situ suo retinet.

In descripto nunc casu violenta videtur accidisse luxatio, datur tamen alia, quæ successiva dici posset, ubi femoris caput sursum ad os ileum ducitur, & a laxitate ligamentorum & musculorum sensim inducta dependet. Vel enim liquor articularis, aut alius peregrinus, copiosius ad articulum affluens, [*n*] vel imbecillitas corporum, a morbo in-

[*k*] Idem est casus, cujus mentionem injicit *J. Z. Platnerus* in institutionibus chirurgiæ rationalis. Lipsiæ 1745. 8vo. in not. ad §. 1193. ubi etiam primaria momenta luxati & ab Ill. *Walthero* disquisiti articuli indicantur.

[*l*] Vid. Memoires de l'academie Royale de Chirurgie Tom. II. à Paris 1753. 4to. p. 158. Tab. XII.

[*m*] Vid. loc. cit. p. 157. Tab. XI.

[*n*] De affluxu humorum luxatione efficiente auctores varios citat *Joh. Salzmann* in Diff. de luxatione ossis femoris rariore, frequentiore colli fractura Argen-

ducta, cum debilitate solidorum, & paralysi inter causas insolitæ hujus mutationis referri merentur. Casus hic luxati femoris a priori in eo quoque distinctus est, quod si causa universalis sit, sæpius in utroque latere fiat, quale exemplum nunc ante oculos nostros versatur, & breviter describendum est. Caput femoris primum eo in loco, ubi os ileum cum ischio coalescere solet, & ita paulo posterius marginem acetabuli cartilagineo tendinosum depressit, ac si posterius novum acetabulum a latere prioris formare inciperet, paulo post autem sursum & quodam modo antrorsum ad os ileum processit, & planam superficiem novi acetabuli perfecit, ita, ut in uno & continuato ductu nova superficies articularis duplex inveniatur. Hæc quoque crusta cartilaginea a continuata quasi marginis acetabuli substantia producta esse videtur, cum in præcedenti exemplo crustam cartilagineam non invenerimus. In capite femoris vero & obliterata quasi fovea ligamenti teretis, & pars inferior superficiei hujus capitis, depressa, magis plana & elongata deprehendebatur. Imbecillem autem hunc hominem fuisse, ossa coxarum & femoris satis ostendunt, quippe quae mole sua cum ossibus juvenis quindecim circiter annorum comparari possent, licet coalitæ prorsus & confirmatæ epiphyses eundem vigesimum annum superasse, satis evincant.

Longior forte est digressio, ad luxationem femoris quodam modo declarandam suscepta, ad fracturam colli femoris simili ratione describendam nunc deveniendum erit. Nulla pars femoris adeo fragilis est, quam collum ejusdem, hæc tamen fractura non uno eodemque modo perficitur, sed partim ad caput, partim ad insertionem colli prope trochanteres ea evenire solet. Illa vix aliter quam in junioribus observatur, ubi caput ossis femoris, tanquam vera epiphysis distincta est; hæc & in adultis, in quibus ossa jam prorsus confirmata sunt, accidit, id, quod ex variis speciminibus, nunc proferendis, facile declarari poterit.

Collum femoris, in infantibus recens natis, maximam quidem partem cartilagineum est, [o] in his tamen jam inferius productio lateralis sive processus aliquis crassus conspicitur, qui postea in majori ossis incremento tanquam ramus ex arbore protruditur, & versus epiphysin capitis progreditur atque ideo nunquam ut epiphysis vera considerari potest, sed in principio & caput & trochanterem majorem ab exteriore & superiore parte, ut epiphysin corpori accrescentem, relinquit & in summitate caput, articulationi aptum, suscipit. Collum ipsum in omnibus simili ratione non increscit; in iis enim, qui in puerili & juvenili ætate vitæ sedentariæ magis dediti sunt, longe brevius efficitur, longius vero

gentorati 1723. 4. p. 26. Idem etiam l. c. p. 29. scriptores, luxationem a causis internis deducentes, & varia, quæ præsentem nostram tractationem illustrant, proponit. Vid. quoque *Petit* l. c. p. 309. de luxatione femoris, quæ contusiones vehementes trochanteris majoris sequuntur.

[o] Vid. B. S. *Albini* Icones ossium fœtus humani. Leydæ Batavorum 1737. 1727. in 4. mai. p. 102. Tab. X.

vero redditur in iis, qui in prima illa ætate cursu, saltatione aliisque vehementioribus corporis exercitiis femur agitant, & collum ita producunt. Quando itaque caput cum collo nondum coaluit, interdum fieri solet, ut illud separetur [p] & collum ipsum proxime ad caput in partes quasi diffringatur, vel cum in hoc casu corruptus humor cariem quandam inducat, fieri aliter non potest, quam ut plane præternaturalis hujus articuli conformatio eveniat. [q]

Femur cum osse innominato dextri lateris ex juvene circiter octodecim annorum nunc coram intuemur, in quo cristæ ilium & condylorum ossis femoris epiphyses, adhuc separatæ sunt, trochanteres autem major & minor jam prorsus coaluerunt. Epiphysis capitis a collo separata acetabulo accrevit, non tamen integra, sed hinc inde carie adesa, & superficie acetabuli interna aspera reddita; collum femoris, breve, inæquale, ita quidem in parte inferiore elevatum est, ut superficiem, capitulo quodam modo analogam, sistat, cartilagine tamen non incrustatam, sed tantum nonnihil lævigatam. Juvenem hunc, cujus ossa tantum conspeximus, per aliquod temporis intervallum articulum agitasse & aliquem motum exercuisse exinde concludimus, quod trochanterem parvum introrsum nimis flexum & a musculis insertis retractum, majorem vero trochanterem liberam nec adeo coactam musculorum insertionem admisisse invenimus. [r]

Aliter quam hoc in casu violentior impetus, femoris collo & acetabulo in puero novem circiter annorum illatus, articulum mutavit. Ossa coxarum, quæ nondum coaluerant, vi illatæ facile cedebant, et ileum nonnihil antrorsum & introrsum flexum inveniebatur. Coalitum vero, quem non æquabiliter, sed sparsim natæ, fibræ osseæ quodam modo præstare videbantur, humor effusus impediebat. Caput, versus inferiorem acetabuli partem detrusum, firmiter ibidem adhærebat, collo sursum flexo & lateraliter ad femur, sub trochantere majore simili modo accreto. Ex hoc perverso colli situ femur ipsum antrorsum ferme, ut in sedente dirigebatur, ita, ut eidem vix insistere posset æger & claudicaret. Collum autem breve erat, maximeque tumidum & ideo tantum superiora versus ferri videbatur, quoniam ampliatam quasi acetabuli ca-

[p] Vid. *Guerneri Rolfincii* Diss. Anat. Noribergæ 1656. 4to Lib. II. cap. 49. p. 433. & *Isbrandi de Diemerbræck* Anatome Corporis humani lib. IX. cap. 19. Edit. Opp. Vltrajecti 1685. fol. p. 556. Hanc separationem capitis a fractura distinguit & vocat *decollement Petit.* Lib. cit. Tom. II. cap. 11. p. 179. In adultis hanc capitis separationem vix fieri posse ostendit *Duverney* Traité des maladies des os à Paris 1751. 12mo. Tom. I. cap. 8. art. 2. p. 354.

[q] Vid. *Fr. Ruyschii* Thesaur. Anat. VIII. Tab. III. fig. 1. & Thes. Anat. IX. fig. 1. colli femoris defectum ligamentis fortioribus, caput cum femore connectentibus, suppleri, declarat.

[r] Similis ferme fuit casus brevirer indicatus a *Theodoro Kerkringio* in Spicilegio anatomico. Amstelodami 1670. 4to. Obs. LXI. p. 124.

Landesbibliothek Oldenburg

vitatem replebat, & femur lateraliter agglutinatum retinebat; præter ea & a parte capitis, & a parte femoris quædam fracturæ, itregulariter iterum coalitæ, signa apparebant, os autem ex sede sua non secessisse, coalitus cum acetabulo satis confirmabat. Partem hanc morbosam, per varias enumeratas causas curiosissime mutatam, ex collectione eleganti ossium morbosorum Exp. *Hartranfftii*, amici optimi, communicatam accepimus, & cum delineationem cum ampliori historia morbi hic tradere nequeamus, statum colli femoris paucis tantum describere, & cum præcedenti casu conferre voluimus.

In adultis separationem capitis femoris a collo suo nunquam observavimus, nec eandem ab auctore quodam observatam invenimus, in his enim, si vis externa collum frangit, separatio vt plurimum proxime ad trochanteres, scilicet ad insertionem colli in femur fieri solet. Talem fracturam in recenti suo statu delineavit *Cheseldenius* [s] ubi collum proxime ad femoris corpus eo in loco, ubi ligamentum capsulare inseritur, diffractum est, & cuspis separati ossis, deorsum respiciens, violentam illam separationem satis declarat. Ad hanc rem, ulterius nunc declarandam, collum femoris, proxime ad ejus corpus fractum, & quidem ob exostoses, per rupturam ligamentorum formatas, a parte posteriore delineare curavimus. Hoc ipsum tamen os, a parte anteriore visum, evidenter ostendit collum proxime ad diaphysin femoris in trochanterem mutatam, abruptum fuisse, ideo autem fractura a parte posteriore tantas eminentias ossis præternaturales effecit, quoniam femur ipsum paululum antrorsum cessit, & illæ eminentiæ potissimum, quibus ligamentum capsulare ad trochanterum confinia adhæret, tensioni & dilacerationi fibrarum & generandis inde excrescentibus osseis partibus occasionem dederunt. Ita enim a parte posteriore ligamentum, ab apice trochanteris majoris usque ad trochanterem minorem insertum, & paululum etiam ad lineam asperam in parte posteriore femoris conspicuam, fibris suis tendinosis productum, exostosin irregularem, quam tabula apposita egregie declarat, effecit. Quanto igitur cum impetu a parte posteriori antrorsum pressum femur a collo suo separatum fuerit, quo modo musculi femori annexi idem violenter sursum traxerint, & collum cum capite reliquerint, ex situ colli mutato cognoscitur. Ex duplici enim icone, a nobis exhibita, accurate apparet, collum a parte posteriori visum, oblique sursum & antrorsum productum, in statum præternaturalem nunc ita mutari, ut recta introrsum & paululum retrorsum ducatur; in statu itaque sano, pro ratione situs a nobis assumti fovea ligamenti teretis conspici nequit, quæ in altera icone, sub eadem directione depicta, introrsum & retrorsum directa observatur. Et ideo ossis, qualis naturalis esse solet, figuram lineis circumscriptam depingi cu-

[s] Vid. *W. Cheselden* Osteographia or the anatomy of the Bones. London 1733. fol. mai. Tab. L. fig. III.

cravimus, quo ſine numeris vel aliis characteribus additis partes ſanæ cum morboſis comparari queant. Id etiam adhuc notare convenit, vero ſimillimum eſſe, hanc fracturam in adulto & oſſibus confirmatis gaudente homine eveniſſe, nulla enim in collo, nulla in trochantere, in ſe conſiderato, mutatio obſervatur, quæ partes has molles adhuc, aliam, præter ſimplicem fracturam & ligamenti dilacerationem, paſſas fuiſſe compreſſionem oſtenderet. Ampliſſima vero exoſtoſis, quæ a latere trochanteris majoris novam quaſi formare videtur, &, quæ oblique verſus trochanterem minorem, ad tractum ligamenti capſularis accreſcentis & hic dilacerati, formata fuit, nec non alia quæ antrorſum ad inſertionem elevata eſt, & in icone conſpici nequit, inſignem prorſus & talem certe duritiem oſtendit, quam in cujuslibet adulti & ſani oſſibus obſervamus, ita ut vero ſimillimum ſit, hominem diu ſuperſtitem fuiſſe, & inde noviter formatis exoſtoſibus plenariam duritiem acceſſiſſe.

Icones autem contemplando, in primis ad colli directionem reſpicimus, hæc in ſciagraphia, lineis tantum deſignata, cum femore angulum obtuſum, in oſſe autem morboſo vere angulum rectum intercipit; ex qua directione facile cognoſcimus, in hominibus, hac ex cauſa claudicantibus, hanc extremitatem breviorem & trochanterem majorem, quodam modo extrorſum & retrorſum eminentem, aſſumi debere; conum quoque, quem ii, motu ſive falſo ſic dicta rotatione femoris, deſcribunt, non ita amplum, ut in ſanis, ſed arctiſſimum obſervari. Aliter res ſe habet, ſi femur & inde tota extremitas inferior ex luxatione capitis verſus ſuperiora facta, brevior fit, tunc enim eminentia trochanteris majoris evidentius perſpicitur, hæc tamen differentia difficile cognoſcitur, cum inter majus & minus, in primis in obeſis & carnoſis ſubjectis, in quibus trochanter in ſtatu ſano vix explorari poteſt, limites prorſus dubii ſint. Caput antrorſum & deorſum luxatum, cum hac fractura confundi non poteſt, quoniam hoc in caſu extremitas longior redditur, & tumor in inguinali regione perſpicitur. Reliqua ſigna, quæ a variis Auctoribus paſſim citatis adducuntur, maxime dubia ſunt; nec enim ſtrepitus facile percipitur, nec ex motu partium & directione vatia in parte læſa & inflammatione vexata aliquid certi deducitur, cum ægri dolore afficiantur, & tales agitationes vel prorſus non, vel non ita permittant, ut medentes de natura læſionis certiores reddi queant. Nec ad finem properantes de curatione multa proferimus, vel ex aliis ſcriptoribus collecta tradimus, cum experientia edocti præceptoris verba tantum repetamus: *Nunquam os ea parte vinciendo glutinari, & membrum in antiquum ſtatum reverti poteſt.* [t]

[t] Vid. *Platneri* Inſt. Chir. Rat. §. 1271.



QUÆSTIO

CXLVII.

QUÆSTIO
MEDICO-CHIRURGICA,

Præside

NICOLAO ANDRY

Antiq. facult. Decano.

Resp.

HUBERTO LINGUET

Paris 3. April. 1732.

An in humeri luxatione ambe potius, quam scala, janua, polyspastusque iterato renovata.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

I.

SCalæ aut Januæ uſum in luxato humeri capite reponendo ne cenſeas admittendum. Cave tamen gallici cujusdam libris, *De morbis oſſium*, Autori credas, hancce reductionis methodum ideo vituperanti, quod putet, [a] 1°. ægrotantem Scala Januave ſuſpenſum ponderi ſuo tunc derelictum graviorem eſſe, ſi corpus ſit obeſum, quam ut funeſta ex hoc pondere damna non ſubſequantur; 2°. In homine macilento levius econtra corporis pondus eſſe, quam ut ſufficiens inde valeat extenſio fieri. Quaſi vero centum & quinquaginta libræ, quas penderet homo macilentus, certæ cujusdam ſtaturæ, ſufficienti extenſioni peragendæ impares eſſe poſſint, centum autem duntaxat libræ, quas penderet homo obeſus minoris ſtaturæ, tam grande tamen pondus efficerent, ut maxima inde damna ſubſequerentur. Nemo enim negabit corpus obeſum minoris ponderis eſſe poſſe, quam macilentum, ſi obeſum minoris ſit ſtaturæ, macilentum item majoris ponderis eſſe poſſe quam obeſum, ſi macilentum ſtaturæ, ſit majoris; adeoque abſurdum omnino eſt hic obeſitatis ſolummodo & maciei rationem habere, nullam ſtaturæ. Præterea ſi cuidam homini haud ſatis ponderoſo humerum Scala aut janua reponere meditatur Chirurgus, quid obſtat, quominus illius hominis pondus augeatur ſuperadditi cujusdam ponderis auxilio, quemadmodum ſuadet Hippocrates, de quadam huic ſatis analoga reponendi humeri methodo ſermonem faciens, quæ in collocando ſupra alterius hominis humerum ægroto conſiſtit. Aeger, inquit, levior ſi ſit, illi ex poſteriore parte appendatur levis quidam puer Ἢν δὲ ἄγαν κοῦφος ἔῃ ὁ ἄνθρωπος, προσεπικρεμάσθω τούτου ὄπισθεν τις κοῦφος παῖς. Adde quod, uti monet idem Hippocrates, & experientia comprobat, [b] difficilius in carnoſis & obeſis articulus elabitur ægriuſque reſtituitur; in macilentis vero & facilius excidit, & facilius reconditur: adeoque ex hac majori aut minori ad reductionem facilitate, fit ut majus in genere pondus conveniat homini carnoſo & obeſo ſupra Scalam aut Januam poſito, minus autem macilento, dummodo, ut ſupra innuimus, ſtaturæ ratio ſemper habeatur. Quantopere igitur errat Autor ille Chirurgus, exiſtimans quemlibet macilentum Scala aut Janua ſuſpenſum ſemper eſſe leviorem, quam par eſt, obeſum vero ſemper graviorem, atque inde anſam arripiens criminandi hanc reductionis methodum.

[a] Cap. 7. de Luxat. brachii, p. 170.
[b] Hippocrat de Artic..

Landesbibliothek Oldenburg

II.

Quid e Scalæ aut Januæ usu timendum occurrat, is certe parum pensitavit, qui alia quam commentitia illa ab Autore isto supposita mala ex illarum usu oriri non perceperit. Namque si luxatio extrorsum est aut introrsum, tunc corporis mole supra Scalam aut Januam sibi derelicta, & per ligamenta atque musculos e summo humero suspensa, necesse est humeri caput sursum evehatur vi ponderis, quo reliquum corpus deorsum trahitur, adeoque ad cavitatem non solum non accedat, sed ab ea magis ac magis secedat, tumque musculis & ligamentis vi majori illata, reductio fieri nullo pacto possit. Quin imo si supponatur humeri caput dilaceratione quadam infra capsulum facta, exiliisse, deindeque vel antrorsum assurrexisse, opus erit ut Chirurgus illud caput deorsum repellat, ad illud idem in capsulam adigendum. Verum quanam ratione id præstare poterit, cum propter corporis pondus magis ac magis a loco lacerato utpote infra posito, caput Humeri secedat, per quem tamen locum illud idem caput redire oportet? Supereſt ergo eam luxationem, ubi brachii caput deorsum hæret, solam esse, quæ Scalæ Januæve auxilio reduci possit. At cum ossis caput sub Glene cavitate tunc delapsum reperiatur, inde fit, ut, statim atque corporis truncus labitur, Glenes crepido inferior caput ossis graviter offendat, maxima hinc suboriente contusione, vasisque sub Ala constitutis ingenti clade superveniente.

III.

Usui esse prædicto in casu Janua ut posset, planum declive superiori ejus margini ita foret adaptandum, ut brachium ægrotantis elevatum, atque huic plano secundum ipsius longitudinem alligatum, teneretur. Tum enim corpus deorsum ruendo, cavitatem scapulæ versus humeri caput adducere, eamque huic capiti restituere valeret. Sed hac cautione licet adhibita, arduum tamen omnino esset, vel peritissimo chirurgo, debitam musculorum rationem habere, quos nimia jam tensio læsisset. Si januæ vel scalæ usus periculosus adeo evadit, cur ergo quibusdam in luxationibus prodesse idem aliquando deprehenditur? Facilis responsio est: dum enim scalæ aut januæ adaptare humerum tentat chirurgus, accidit quandoque propter varios motus, quibus tum agi brachium necesse est, fieri in musculis extensionem, cujus ope brachium pondere corporis adjutum, quasi sponte sua in suum locum regreditur; adeo ut hujus reductionis beneficium casui potius, quam Scalæ aut Januæ referri debeat acceptum.

IV.

IV.

Amben damnat idem Autor gallici tractatûs *De morbis ossium*; at rem damnat sibi prorsus ignotam: est enim machina hæc præstantissima, cum luxatio aut antrorsum aut retrorsum est; tum quippe Ambe adhibita, revocari potest humerus eadem, qua excessit via; quod maximi momenti est; quandoquidem per aliam revocari non potest os illud, quin male admodum afficiantur musculi nimia jam distensione vexati. Si quodam in casu noxium quid ex hujus machinæ usu potest contingere, tum solummodo timendum hoc est, cum humerus sub Ala luxatus ibidem firmatur; tali enim in casu ambes angulus summum humerum in Glenes marginem valide pellens, contusionem quandam vehementi hac pulsione parere potest. Præterea cum luxatio deorsum est, Ambe brachium adhuc deprimit, hacque depressione vim infert non mediocrem Deltoidi & supraspinato, validiori jam tractione laborantibus. His exceptis casibus magnæ opis est Ambe. Hanc tamen præfatus Autor ideo vituperat quod, rem cortice tenus considerans, os humeri putet [c] hac machina ad cavitatem antea pelli, quam debita extensio peracta sit. At quantum hallucinatur ille! Id quod timet mali neque accidit in luxationibus, quæ antrorsum fiunt, neque in iis quæ retrorsum: quin etiam neque in luxationibus sub Ala contingentibus. Tum enim ossis caput nullatenus ad Glenem ante pellitur, quam extensio peracta sit; sed sursum simpliciter & extrorsum fertur. Adde quod hic pulsionis motus ea duntaxat proportione fit, qua extensio. Brachium namque eodem tempore, vi motus ab Ambe impertiti, protrahitur.

V.

Machinam tractoriam Polyspastum dictam, quæ jam obsoleverat, quamque Chirurgus quidam perficere non ita pridem conatus erat, hanc iterum renovare atque adaugere molitus est idem Autor libri *de morbis Ossium*. Hanc autem Polyspastum iterato renovatam laudibus extollit Chirurgus iste tanquam inventum ad luxationes humeri reducendas aptissimum, omnibusque numeris absolutum. At quid de cruciatu quem infert musculis hæc machina crudelis, quid de casibus ubi ipsimet reductioni impedimento est, dicendum hic non esset? Id tantum animadvertere satis sit: 1°. Constrictionibus nimiis vasa sic strangulari, musculosque adeo contundi, ut omni actione & vasa & musculi inde orbentur. Laqueus autem, quo hanc machinam interpolavit hic Chirurgus, quemque inferiori humeri extremo applicari curat, tam aptus est, ut nihil aptius, ad has strangulationes & contusiones efficiendas, quemadmodum

[c] Cap. 70, de luxatione brachii, pag. 177. 178.

Landesbibliothek Oldenburg

triſti eaque frequenti experientia compertum eſt. 2°. Si antrorſum v. g. aut retrorſum luxatum eſt brachium, tum ejuſdem Autoris laqueus alter, qui retinaculi vicem gerit, quique dum multiplices reductionis niſus hac machina fiunt, ſupra humeri caput incumbit, illud idem caput verſus eum locum, unde reduci debet, miſerum in modum pellit. 3°. Si luxatio deorſum ſit, tum laqueus iſte pectoralem majorem & latiſſimum dorſi ſurſum pellendo, illuc etiam humerum pellit; atque dum hæc pars ſic ſurſum pellitur, niſus machinæ Deltoidem & ſupraſpinatum, jam ultra quam par eſt diſtenſos, vi ſumma adhuc diſtendit, quod horrendis infandiſque cruciatibus ægrotantem exercet. Debita muſculorum ratio hic haberi ut poſſet, machinam, qua de agitur, oporteret ita elevatam eſſe, ut angulum obtuſum cum ægrotantis corpore efficeret. At heu! Præcipit Chirurgus iſte [*d*] 1°. ut æger in ſedili collocetur duos pedes alto, & latus ſanum ſedilis dorſo fulcitum habeat; 2°. Ut inferius machinæ extremum ſupra pavimentum incumbat. [*e*] Tali autem ſitu fieri non poteſt, quin muſculi Deltoides & ſupraſpinatus, quos vel minima tenſio torquet, deorſum crudeli ratione non trahantur. Quibus omnibus perſpicere facile eſt, polyſpaſtum ſic iterato renovatam longe deteriorem eſſe Scala, Janua, atque ambe, nocivamque omnino exiſtere; Amben vero his tribus omni ex parte præſtare. Porro cum hæc Polyſpaſtus iterato renovata machina ſit, nedum non ſimplex, ſed adeo complexa, ut nonniſi longa verborum ſerie deſcribi valeat, hujus certé Hippocratici moniti hic meminiſſe haud abſonum: *Αἰσχρὸν μεντοι καὶ ἐν πασῃ τέχνῃ, καὶ οὐκ ἥκιστα ἐν ἰητρικῇ, πολὺν ὄχλον, καὶ πολλὴν ὄψιν, καὶ πολὺν λόγον παρασκόντα, ἔπειτα μηδὲν ωφελῆσαι. Turpe eſt in omni quidem Arte ſed præcipue in Arte medendi, multum adhibere negotium, multum apparatum & ſpectaculum, multa verba, tandemque nihil opis adferre.* [*f*]

Ergo in humeri luxatione Ambe potius, quam Scala, Janua, Polyſpaſtusque iterato renovata.

[*d*] Cap. de luxat. brachii, p. 207.
[*e*] p. 213,
[*f*] Hipp. de Artic.

DISPU-

Landesbibliothek Oldenburg

CXLVIII.

JOAN. SIGISM. ELSHOLZ,

HISTORIA

STEATOMATIS RESECTI ET FELICITER CURATI.

Berolin. 9 Januarii 1666.

MEdicarum obſervationum quæ ſit, quantaque utilitas, apud peritos in propatulo eſt. Quid proderunt medicinæ præcepta quæcunque, cum univerſalia ſint, niſi ad ſanandos ægros ſingulatim illa applices, & per individua? Inde enim unice pendet artis certitudo. Suos de morbis epidemicis libros incredibili diligentia ſcripſit olim Hippocrates, qui tamen maximam partem præter hiſtorias certorum ægrotantium nihil continent. Ipſum longo ordine qui ſecuti ſunt medici, ſpiſſa obſervationum, conſiliorumque volumina nobis reliquere: nec deſunt hodieque viri ſummi, qui laudabili conatu rariores ſuas curationes in literarum monumenta referant. Illis ipſis non auſim nomen inferre meum, quamvis obſervationes partim ab aliis peregre domique communicatas, partim proprias in ordinem redigere, & juſto libello complecti, nobis in promptu ſit. Recens tamen natam hanc abſciſſi ſteatomatis hiſtoriam vulgare nunc viſum eſt, non quaſi carere illa Reſpublica medicorum nequeat: ſed ut amicis, qui ipſam deſiderant, gratificemur.

Michael Nebel, miles decurio de legione prætoriana pedeſtri Sereniſſimi Electoris noſtri, annos triginta ſeptem natus, ſtatura procerior & macilentus, illibatæ tamen valetudinis & robuſtus, ſexto ab hinc anno ſenſit aliquod tuberculum piſi inſtar ſibi naſci prope perinæum in extremis natibus, non procul ab ano, ſine dolore aut moleſtia. Quare neglectum per aliquot annos, incrementum ſumſit, & antrorſum ad inguen ſiniſtrum uſque fuit protenſum. Superiori menſe tandem ad tantam molem pervenit, ut vehementer extenſa primum, mox rupta etiam cute tumor procideret, & intra paucos dies magis magiſque elapſus, hanc faciem, qualiter in icone prima pictus eſt, referret.

In conſilium adhibitus judicavi, eſſe tumorem ex eorum genere, qui materiam peculiari incluſam membranæ continent. De occaſione tanti mali interrogatus æger, referre nihil poterat, niſi olim ſeſe dimachum ab equitatione multa paſſum eſſe incommoda: & ab eo tempore initium tumo-

Landesbibliothek Oldenburg

morem ſumſiſſe. Suſpicari autem licet, vaſorum peculiarem diſpoſitionem in illo loco a nativitate nactum fuiſſe miſerum hominem, ita ut arteriæ cluni ſiniſtræ ſanguinem deferentis certus ramulus vena ſocia deſtitueretur, aut caſu hæc obſtrueretur: accidit inde, ut ſanguis affluens negato regreſſu ſubſiſteret, & natura nunquam otioſa nutrimentum allatum in materiam adipoſam ſenſim converteret, ipſique augeſcenti ſaccum fabricaretur. Cæterum erat univerſus tumor ad tactum durior, & prementi digito renitens adeo, ut primo intuitu ſarcoma ſive carnea videri excreſcentia potuiſſet. Conſilium de materia in pus vertenda, itemque aliud de ſectione per partes inſtituenda, cum non placerent: itum fuit in ſententiam de amputatione una vice perficienda. Semel igitur purgato corpore, & ſanguine ex vena brachii detracto, dies VI. elapſi menſis Decembris operationi fuit deſtinata. Convenimus medici duo, mecum ſcilicet Excell. Dn. D. Martinus Weiſe Fil. totidemque chirurgi, mane circa octavam. Omnibus rite comparatis, ægrum in ſcamno ſupinavimus, & quidem ſine vinculis, quippe quæ ſibi homo militaris dedecori ducebat. Adhibiti nihilo minus fuerunt viri robuſti, qui brachia pedeſque decumbentis complecterentur. Tumor ob lubricitatem linteo involvebatur, ut manu firmiter teneri poſſet. Ad radicem ipſius acus filum trahens tranſadigebatur ex uno latere, & ex altero latere alia acus, radicem totam, in præcautionem nimiæ hæmorrhagiæ, arctiſſime conſtringendo. Mox novacula prope ligaturam amputatio fiebat, & celeri manu fruſtum ingens fungi orbicularis, deſuperque ſtupa cum albumine ovi & bolo vulneri imponebatur. Deinde vero faſciæ tum per pedem, tum per ventrem pro majori firmitate circumductæ, & ægrotus, qui maſcule ſectionem pertulerat, in lectulum fuit repoſitus.

Elapſis XXIV. horis faſciæ arctiores ſolvebantur, aliis paulo laxius injectis: medicamenta tamen ſanguinem ſiſtentia nondum movebantur. Tertio die omnia fuerunt ablata, unguentum digeſtivum, poſtmodumque cætera medicamenta convenientia ordine adhibita, adeo ut vulnus intra menſem ad cicatricem perduceretur.

Amputatus hic & bilance examinatus tumor, duas libras medicas æquabat: forma equidem marſupium referens, ad radicem tamen paulo anguſtior, itemque circa apicem. Portio cute nuda non apparebat lævis, ſed ſcabra & inæqualis: color carneus in locis extantibus, albicantior in depreſſis. Secundum longitudinem diſſectus, oſtentabat materiam adipoſam, adipique ſuillo recens extracto & ſubſtantia & colore tam ſimilem, ut diſcernere potuiſſet nemo. Folliculus craſſitie calamum fere æquabat, ut videre eſt in icone poſteriori: tenuiſſimæ vero membranulæ per totam adipis maſſam diſperſæ, in cellulas quaſi ipſum diſtinguebant.

EXPLI-

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLICATIO LITERARUM IN ICONIBUS.

Fig. I. Steatoma integrum.

a. Radix ſteatomatis.
b. Apex ejuſdem.
c. Portio cutis amputatæ.
d. Portio cutis ruptæ.
e. Folliculi ſuperficies externa.
f. Materia adipoſa.

Fig. II. Steatoma juxta longitudinem diſſectum.

a. a. a. Materia adipoſa, membranis diſtincta tenuibus.
b. b. Portio cutis diviſæ.
c. c. c. Folliculi craſſities.

Cæterum de tumoribus materiam ſevo, melli, pultive ſimilem complexis, qui plura ſcire deſiderat, evolvere imprimis poterit Galenum *l.* 14. *meth. med. c.* 12. Ætium Amidenum *lib.* 15. *de re medic. c.* 8. Paulum Æginetam *l. 6. c.* 36. C. Celſum *l.* 7. *c.* 6. Felicem Platerum *Tom. III. Prax. medic. lib.* 1. *c.* 3. Ambroſium Paræum *l. 6. c.* 19. Gabrielem Fallopium *l. De tumor. p. n. c.* 24. Hier. Fabr. ab Aquapendente *l.* 1. *Pentat. chirurg. in app.* Franciſc. Peccettium *Tom. I. Oper. chirurg. lib.* 1. *c.* 25. ſpeciatim vero Joan. Baptiſtæ Corteſii *Steatoma exulceratum* à dextri femoris interna regione marſupii in modum pendens, editum Meſſanæ A. 1614. Citandis pluribus ſuperſedeo. Scribebam Berolini, IV. Nonas Januarii, M. DC. LXVI.

FINIS.

Landesbibliothek Oldenburg



DISPU-

Landesbibliothek Oldenburg

CXLIX.

DISPUTATIO

MEDICO-CHIRURGICA,

SISTENS CASUM TUMORIS TUNICATI MEMBRANACEI

Præside

JOAN. SALZMANN,

Respond.

JOAN. PAULUS KELL

HEILBRONNA-SUEVUS.

Argentor. 23 Janu. 1721.

Landesbibliothek Oldenburg

PROOEMIUM.

COgitanti mihi de convenienti Dissertationis themate, plura quidem occurrere, quæ tam in theoria multum ventilari possent, quam in praxi etiam usum haud contemnendum haberent. Sed animo volvens quantum ad historiæ medicæ augmentum casus particulares conferant, nullus dubitavi, aliquem, & quidem domesticum de tumore præternaturali in cervice enato pro Dissertationis meæ themate eligere. Eo potissimum inductus, quod non solum prima ejus initia, sed & incrementum, prout successive factum est, quotidie mihi proh dolor! in charissimo parente observare contigit, exstirpationi quoque atque curæ ipsius manum partim ipse admovi, partim ab aliis administratæ præsens fui. Quem dum exponere laboro, benevolentia lectoris confido, eum iis, quæ de hoc tumore, utut testimonium de domo suspectum alias esse soleat, in medium sum prolaturus, fidem adhibiturum, & si forsan in multis hallucinatus fuero, ingenio parum adhuc exercitato veniam daturum esse. Quare sine ulteriore præfamine brevem casus nostri historiam B. L. oculis sisto.

§. I.

CHarissimo parenti meo ante decem & quod excurrit annos, capillos pectenti accidit, ut in dextro cervicis latere prope os occipitis & primam colli vertebram, quodam pectinis dente, vulnusculum cuti infligeret; læsionem nulla insecuta symptomata, præter tuberculum, caput aciculæ magnitudine non multum superans, nullo tamen neque dolore neque inflammatione concurrente. Hocce tuberculum sensim atque sensim incrementum cœpit, ita ut post duorum annorum spatium nucem juglandem majorem æquaret, quo in statu per tres iterum permansit annos. Ab eo autem tempore & vix quindecim mensibus exactis in talem excrevit tumorem, qualem calci adjectum sistit effigies. Cutis præterea ejus sanæ simillima fuit, nisi quod vasorum superficiem ejus pereptantium, nec non cutis vicinæ color ex cœruleo rubicundus appareret. Transactis vero iterum in misero hoc statu à charissimo parente duobus fere annis, illo negotiorum causa rigido flante borea iter faciente, tumor à frigore externo irritatus sponte ruptus est, nullo tamen neque sanguine neque alia materia liquida effluente, sed carne solum aliqua luxuriosa visui se sistente. Dolores hancce aperturam insecuti intensissimi erant, & crebris conjuncti lipothymiis. Adhibebantur quidem ad vulneris hujus consolidationem medicamenta, sed irrito prorsus conatu & effectu (tunc enim

temporis de cura magis palliativa solliciti eramus, quam de omnimoda tumoris exstirpatione cogitabamus) quippe ablata tandem medicamentis causticis carne luxuriosa, longe majus consolidationis impedimentum quam antea sese offerebat. Subjecta enim huic carni erat substantia quædam tota quanta membranacea, quæ in plures lamellas & tunicas divisa, totum ferme constituebat tumorem. Hac igitur rerum facie omnem restitutionis spem in omnimodam tumoris exstirpationem ponendam esse videntes, ad operationem nos accinximus, toti tumoris basi causticа imponentes medicamenta, sed quia separatio emortui in membranacea hac substantia procul dubio propter deficiens humidum justo tardius procedebat, cultroque semper procuranda erat, rejectis tandem medicamentis causticis, ferrum adhibuimus, unoque cultri falcati ictu tumorem à corpore separavimus. Resectum ita tumorem cultro subjecimus anatomico, & cute ipsius exteriore remota, totam ejus substantiam nil nisi tunicarum sibi invicem superimpositarum multisque fibrillis connexarum congeriem esse reperimus. Medium ejus percurrebat vas lymphaticum, uti à medicæ chirurgicæque artis peritis, qui examini interfuerant judicabatur, pennam anserinam capacitate exæquans & undiquaque tunicis accretum. Præter ea, quæ icon exhibet vasa superficiem perreptantia, venæ conspiciebantur duæ totidemque arteriæ, ipsa massæ hujus interiora subeuntes, eique pro nutrimento inservientes.

§. II.

Absoluta tumoris nostri historia, in naturam ejus & causam inquirere necessum putamus. Et ut concinna methodo progrediamur, quædam de tumoribus in genere prælibabimus, circa quorum appellationem atque divisionem mirum inter se discrepant Auctores, uti videre est in Tr. quem Cl. Schelhammerus *de affectibus hisce p. n.* scripsit & *ὀγκολογίαν parvam* inscripsit. Ita sane res se habet, ut quemcunque divisionis modum secutus fueris, vel eundem affectum in diversas classes reponere, vel aliquos ad speciem minus convenientem referre opus habeas. Laudatus auctor triplicem morbos dispescendi & in classes digerendi rationem proponit, unam *quæ essentiam* eorum spectat, alteram *quæ causas, seu formam & materiam* considerat, & tertiam *quæ partes, quibus inhærent* potissimum attendit. Idem postremam methodum eligens, prolixe ibidem recenset tumores *κυρίως* sic dictos particulares (nam de universalibus agere à foro nostro alienum est) vel *organicas* seu *dissimilares* vel *similares* partes occupare. Quæ *similares*, nunc *cuti* insidere, nunc vero *sub eadem* latitare. Si hoc, vel *carnes* obsidere, vel *glandulis* infestos esse, vel *vasis sanguiferis* accidere, vel denique *ossibus* inhærere, multis prosequitur. Nos vero alia incedentes via, tumores corpori p. n. accidentes tum à materia, quam intus alunt, & à qua ita in molem extolluntur, tum à substantia, qua hu-

humor vel corpus p. n. continetur, seu, ut brevius dicamus, *à materia tum contenta, tum continente* considerabimus; secuti Galenum *l.* 13. *meth. med. cap.* 4. Qui omnium tumorum p. n. varietatem ex ejus, quod in fluit natura nasci docet: *ratione hujus*, tumores alii dicuntur *tunicati* seu *cystici*, eo quod peculiari folliculo tanquam amiculo inclusus est humor p. n. Alii vero ejusmodi folliculo destituuntur. Ratione *materiæ contentæ*, quæ vel magis minusve fluida est vel magis solida, hi *aquosi*, illi *flatulenti*, isti *sanguinei*, iterum alii *biliosi* recte appellantur. Ii qui materiem pulti similem continent *atheromatis*, qui melli, *meliceridis*, & qui sebo conformem fovent substantiam *steatomatis* nomine in chirurgorum scholis venire solent. Quibus addi potest alia tumoris species *lipoma* quibusdam dicta, & ad steatoma proxime quidem accedens, ab hoc tamen, uti à reliquis ex mente Littrii distinguenda, de qua vid. *Hist. Acad. Reg. Scient.* 1709. Plures recensentur à chirurgis, qui Sennerto Barbaro-Latini vocantur, barbaro etiam nomine tumores, *talpa* scilicet, *testudo*, & juxta aliquos *natta*, *ganglion* item & *lupia*, in quorum descriptione & ætiologia adeo discrepant Auctores, ut quid velint, cognitu difficile haud raro sit.

§. III.

Tumores illi, qui solidi quid continent, & à Marc. Aur. Severino *l.* 3. *de recond. abscess. Nat. Anomali* dicuntur à dictis *humoralibus* probe distinguendi, *modo* e partibus in corpore alias non existentibus, sed eo admissis, *modo* ab illis quæ *nunc* secundum, *nunc* vero præter naturam intus succrevere, originem trahunt. *Eorum*, qui à rebus extrinsecus advenientibus proveniunt, exempla præbent globi plumbei, nec non ea quæ toto genere præternaturalia sunt, nempe ossa, ungues, *clavi*, *festucæ &c.* De quibus vid. Casp. à Reies *Camp. Elys. juc. quæst.* 36. quæ tamen incantationi vulgo tribuuntur. Alias tumorem in omento aliisque partibus pilosum, seu cystin pilis refertam observarunt *Act. Hafn. Vol. II. obs.* 45. Ruysch. *obs. chir.* 18. *Ad eos*, qui à partibus secundum naturam in corpore existentibus, sed e sede prolapsis oriuntur, luxationes & plura herniarum genera merito referas. De *tertia specie* agere nostri instituti ratio postulat, utpote ad quam noster quoque pertinere videtur. Sed & hi tumores pro materiei intus contentæ varietate multum inter se discrepant. Alii quippe *carnem* magis minusve spongiosam intus alunt, ideoque *sarcomatis* nomen acceperunt; alii vero substantiam *muco-carneam*, de quibus agit M. A. Severin. *l. c. l.* 4. *de noviss. observ. abscess. cap.* 3. Iterum alii *glandulosum* quoddam corpus complectuntur. Alii denique non modo tunica membranacea investiti, sed toti quanti e *membranis conflati* deprehenduntur, de quibus fere valet id, quod laudatus Severinus *de carnosis* pronunciat, nempe quod *nemo nostrorum hominum de illis ad hunc diem scripsisse visus sit.* Nullæ enim horum vel paucæ admodum historiæ apud

rerum

rerum medicarum scriptores occurrunt. Ipse etiam Schelhammerus in *tr. de tumorib.* supra allegato nullam eorum mentionem injicit. Godefr. Bidloo *Dec. I. Exerc. Anat. chir.* 8. eo respexisse videtur, tria excrescentiarum carnearum genera, scil. *musculosum*, *glandulosum*, & *specificum* proponens, hocque ultimum *lamellatum* appellans. Nostrum, de quo impræsentiarum acturi sumus, quod attinet tumorem, illum tunicatorum classi adscribendum esse in propatulo est, & quia totus quantus e tunicis sibi invicem succretis & lamellatim superincumbentibus, (fere uti plures ceparum pelliculæ esse solent) nec non hinc inde fibrarum ope connexis constabat, istum ad tumores lamellatos membranaceos, seu tunicatos stricte dictos referre nulli dubitamus. Quibus præmissis tumoris nostri definitio, si quis eam desiderat, vel potius descriptio hæc esse poterit: *Quod sit tumor p. n. tunicatus, quo pars corporis à substantia membranacea subtus contenta & lamellatim disposita, in majorem quam pro naturali habitu molem attollitur.*

§. IV.

Cognita affectus nostri natura ad causæ investigationem pergimus. Duplex autem considerari hic debet, scilicet illa, quæ cystin seu folliculum producit, & ista, quæ materiam in eo contentam generat. Quoad priorem in limine statim monemus, non paucos numero haud infimi subsellii Auctores tumorum tunicatorum causam vasi alicui lymphatico vel chylifero à quacunque causa vel ampliato, vel discisso adscribere. Inter quos non ultimus est Cl. Dolæus in *Encycl. Chir. Rat. lib.* 5. *cap.* 11. dum sequentem in modum loquitur: *Si vas tale vel à causa interna humore scilicet, aut obstruitur, aut acrimonia humoris corroditur, vel violentia aliqua externa prorsus dilaceratur, fibræ ejus succedente semper novo humoris affluxu vel magis extenduntur, vel à se invicem jam separatæ, à subsequente & uberius in hanc partem affluente nutrimento expanduntur, ut denique succurrente semper nova materia extrorsum protrudantur, tandem coalescant, tunicam aliquam formant, talemque tumorem constituant.* Cum his fere convenire videtur Carol. Musitanus *tr. de tumor. cap.* 7. dum folliculi generationem à fibrillis erosis, laceratis aut alio modo à se invicem separatis atque à succo nutritio collecto successive distentis derivat: quæ membrana accedentibus hinc inde aliis fibris sesque unientibus augetur, tandemque in verum folliculum transit. Aut si modus ab Hippocrate *libr. de carnibus* adhibitus magis placet, spiritus intus conclusus partem inflat, ita ut vesiculam exhibeat, eodem fere modo ac in officina vitriaria opifices materiam, circa quam occupati sunt, in varias formas & magnitudines flatu distendunt. Verum hæc sententia ingeniose alias excogitata non levi difficultate premitur, nempe qui fieri possit, ut vas satis exile in tam magnam quandoque molem expandatur; equidem nos non latet, aliarum etiam partium distensionem si successive fiat, non raro enormem obser-

observari e. g. integumentorum abdominis in hydrope, arteriarum in aneurismate &c. Sed & facile largimur, tumores tunicatos in tantam quandoque molem excrescere, in quantam vas lymphaticum nullo modo expandi potest, unde non nisi in minoribus ejusmodi affectibus hanc opinionem admitti posse concedimus. Majores vero quod spectat tumores tunicatos, ad aliam causam confugiendum est, nempe vel ad membranas cum partibus vicinis in prima formatione connatas, vel ad eas, quæ de novo succrescunt. Illas, quod attinet, in corpore loca reperiuntur, in quibus ejusmodi membranæ luxuriant, & ut aliis allegandis jam supersedeamus, in propatulo est, nucham, quam tumoris nostri sedem fuisse ex historia patet, talem locum jure meritoque dici posse, uti autopsia anatomica abunde testatur. Quibus positis conjectu facile est, qua ratione dictæ membranæ à copiosiore humorum affluxu aut corporis solidioris accretione modo quodam extraordinario expandi, atque in folliculum distendi possint. Quod si vero hoc assertum minus alicui arrideat, alterum, quo cystis generari possit, modum in subsidium vocare licet, quo e sero sanguinis stagnante & transmutato membrana seu potius (ut Ruyschii ore loquamur) pseudo-membrana de novo produci posse statuitur; de quo tamen infra, ubi de tumoris nostri contento, quod membranæ fuerant, acturi sumus, prolixius dicemus. Et hæc de folliculi generatione dicta sufficiant.

§. V.

Jam quod corporis vel liquidi vel solidioris in tumore contenti productionem p. n. spectat, illa minus intricata esse videtur, quam cystis accretio, siquidem in propatulo est, succum seroso-lymphaticum extravasatum & stagnantem in substantiam textura, consistentia & mole multum diversam transformari posse. Præter alios multos consentientem maxime habemus Sennertum *Prax. Med. l.* 5. *p.* 1. *c.* 36. Qui de meliceride, atheromate & steatomate agens, non aliam causam illis assignat, quam succum nutritium extravasatum, qui pro qualitatis & loci varietate nunc in hanc, nunc in illam materiam degeneret, atque sic differentes tumorum species constituat, dum substantia intus contenta nunc melli, nunc vero pulti, nunc adipi vel sebo similis deprehenditur. Quod si vero illa ipsa in corpus dictis partibus solidius excrescit, & carni non absimilem texturam induit, sarcoma atque tumorem muco-carneum aut fungosum fieri in aprico est. Denique cum tumor noster nihil præter membranas in sinu suo foverit, instituti nostri ratio maxime postulat, ut qua ratione formari illæ potuerint, explicemus. Nimirum læsis à causa externa seu pectinis dente tum cute atque membranis ei subjectis, tum etiam vase lymphatico, haud dubie illo, quod medium tumoris aperti percurrere videbatur, fibræ harum partium à se invicem separatæ fuerunt, separatis

particulæ ſeroſo-lymphaticæ extravaſatæ atque ſtagnantes adhæſere, quæ primum etiam in fibras, poſt ſenſim ſenſimque induruerunt in membranam. Dein novo ſucco perpetuo affluente & pariter congeſto, ſucceſſive aliæ fibræ & ex his aliæ membranæ ſubnatæ ſunt, à quibus multiplicatis totus tandem tumor formatus eſt. Quod ſi quis regerat, concipi vix poſſe, qua ratione ſubſtantia fluida, qualis ſuccus ſeroſo-lymphaticus eſt, texturam membranaceam aut etiam hac ſolidiorem induere valeat: huic reſpondemus, hanc mutationem intellectu facilem eſſe illi, qui meminerit, primo, corporis noſtri partes, ne duriſſimis quidem exceptis, e materia liquida formari. Secundo, earundem nutritionem & augmentum, quod nihil aliud quam generatio continuata eſſe recte dicitur, pariter à partium fluidarum, ſucci nempe nutritii appoſitione dependere. Si quis porro conſideret, idem non ſolum toto die in ſtatu naturali fieri, ſed & haud raro in præternaturali contingere, de rei veritate minus dubitabit. Siquidem documentum ejus, quod ſtabilitum imus, præbent ganglia, quæ teſtimonio plurimorum auctorum inde oriuntur, quando tubuli nervei vel fibræ tendinoſæ à cauſa aliqua externa læduntur vel diſtorquentur, ut ſucci in iis circulantes erumpant & ſtagnent, qui ab humoribus à tergo venientibus ad membranam illam, quæ tendinem circumveſtit, propelluntur, quo facto efformata fovea, particulæ viſcoſæ ac terreſtres, exhalantibus interim tenuioribus, tandem indureſcunt, & tumorem ganglion dictum efformant. vid. Dolæi *Encyclop. Chir. rat. l.* 5. *c.* 11. Sennert. *Prax. Med. p.* 1. *c.* 34. Idem docent membranarum & tunicarum arterioſarum, idem cartilaginum in oſſeam ſubſtantiam tranſmutationes, nec non oſſium in diverſis corporis partibus generationes, de quibus in *Diſſ. de Oſſificat. p. n.* ſub Du. Præſide nuper hic habita prolixe actum fuit, quo lectorem remittimus. Ut alia multa, quæ dictis addi poſſent, ſilentio prætereamus. Quod ſi jam dura ejuſmodi corpora à natura haud raro producuntur, quid impedit, quo minus eandem pariter membranas de novo formare poſſe ſtatuamus. Id quod eo minus quis mirabitur, quo magis in propatulo eſt, arti, quæ naturæ æmula, concretum quoddam membranaceum procreatu non impoſſibile eſſe, uti Curioſiſſ. Ruyſch. *theſ. Anatom. 6. p.* 7. *& theſ.* 7. *p.* 19. experimentum nobis exhibet, & ſequentibus deſcribit verbis: pſeudo-membranula ex ſanguine ſeu cruore meo V. S. emiſſo à me confecta eſt, idque ſola conquaſſatione ramulo quodam facta, donec frigus contraheret ſanguis. Hoc facto ramulum plantæ Africanæ fruticoſæ, portulacæ affinis (cui ſanguis adhærebat) aquæ puræ indidi, aqua ſæpius renovata, ramuloque digitis aliquoties compreſſo, cruor ramulo & foliis cohærens albedinem induit, veramque membranam repræſentavit, pſeudo-fibris undique pertextam. Qualem *theſ.* 7. *tab.* 3. *fig.* 6. icone exhibet. Et hæc de tunicarum formatione dicta ſunto. Carnem quod attinet luxurioſam tumori noſtro accretam, nulla alia ex cauſa quam à diſruptione vaſorum ſanguiferorum

ſu-

superficiem ejus perreptantium ortùm eam traxisse videtur; his enim diluceratis, sanguis in iisdem contentus effluebat, à quo extravasato caro majorem successive in molem excrescens prognata fuit. Reperiri autem vasa sanguifera, nempe arterias & venas in ejusmodi tumoribus, tum autopsia, optima rerum magistra, tum etiam Auctores fide digni testantur. Ex his allegare liceat Johann. van Horn *microtechn. Sect. 2. p. 1. §. 35.* Qui arteriam tumoris nutriculam in fundo occurrere perhibet. Autopsiam quod attinet, illa non solum superficiem tumoris perreptantia vasa detexit, sed & postquam sectio tumoris instituta, ejusque interiora pervestigata fuerunt, in meditullio duas arterias totidemque venas inspicientibus monstravit, uti historia morbi §. 1. tradita hujus rei fidem facit. Similia vasa nunc plura, nunc pauciora, in aliis pariter tumorum speciebus, maxime in sarcomate deprehendi, probatu facile esset, nisi cuilibet de ejus veritate persuasum esse crederemus. Suadet idem ratio, si enim tumor in incunabilis exiguus nutritur, & indies incrementum capit, necessum est, ut materia nutritia eo fluat, id quod per vas lymphaticum, maxime vero per arterias fieri nullus inficiabitur, uti etiam nemo negabit, id quod à nutritione residuum est, per venas refluere, eo modo, qui in œconomia animali solemnis est.

§. VI.

Tumoribus hisce omnes omnino homines infestari possunt, & nullam neque ætatem, neque genus hominum reperire licet, quod se tutum ab hujuscemodi affectibus prædicare possit. A prima enim infantia ad decrepitam usque ætatem tales in hominibus suborios fuisse, crebra observationum testantur exempla, imo nec ipsi fœtus, in matris quamvis adhuc ergastulo latitantes, immunes semper ab hoc malo vivunt; corrupta quippe matris imaginatio iisdem haud raro hos & similes affectus p. n. affricat. Quemadmodum autem omnis homo subjectum horum tumorum constitui potest, ita & singula ipsius membra & partes affici ab eis possunt, nullus enim in corpore humano reperitur locus, quem non quandoque occupent, hunc rarius, illum vero frequentius. Quamvis autem res ita se habeat, certa tamen loca in eo observantur, quæ hac vel illa tumoris specie præ reliquis corripi solent: ita nempe observamus, ganglia non nisi in manibus aut pedibus videri, ubi copiosi tendines occurrunt, atheromati, testudini, talpæ caput præcipue obnoxium esse, melicerides vero communissime in genubus oriri, in iis præprimis subjectis, quæ Monialium atque Monachorum more orationi, genibus ad terram flexis factæ, diu multumque vacant, uti id Carol. Musitan. *tr. de tumor. c. 7.* bene annotavit. Non infrequens etiam est, partes glandulosas à quacunque etiam causa id contingat, intumescere, tumoresque glandulosos, cancrosos formari. Haud minus sarcomata felicius atque frequentius pro-

veniunt iis in locis, in quibus vasa luxuriant, & tumores seroſi peculiares, vix alibi quam in occipitio & juxta ſpinæ longitudinem reperiuntur. Pari ratione illud tumoris genus, ad quod noſtrum ſupra retulimus, partes è multiplicibus membranis compoſitas, vel ſaltem, quæ pluribus ejuſmodi tunicis inveſtiuntur, plerumque occupat, qualis illa potiſſimum erat, ubi tumor noſter fixam ſedem habuit; uti eum, cui corporis conſtitutio ex anatomicis perſpecta eſt atque cognita, latere non poteſt. Ut taceamus, non ſolum externas corporis partes, ſed & interiores quamvis rarius, his & ſimilibus tumoribus expoſitas eſſe, inter quos Scirrhi in variis viſceribus oborti frequentiſſimi obſervantur. Referri huc poſſent tumores ab humoribus formati, v. g. aneuryſmata, hydatides, hydropes particulares &c. ſi de his agere inſtituti noſtri ratio permitteret.

§. VII.

Magnitudinem tumoris noſtri quod ſpectat, illa per ſe ex inſpectione iconis, quæ Diſſertationis calci adjecta eſt, ſatis apparet, quare ſupervacaneum putamus, in præſentibus plura de hac verba facere. Hoc tantum notamus, noſtrum neque nimis magnum fuiſſe, neque parvum nimis, ſed medio modo ſe habuiſſe, tum & eum, uti & alios tumores pleroſque, à parvo admodum & tenui principio natales duxiſſe, nempe à tuberculo capiti aciculæ haud majori, quod deinde intra ſpatium decem annorum in tantam molem excrevit, ut poſt ejus abſciſſionem quinque libras medicas penderet: Quæ primordia Cl. Wepferus *E. N. C.* II. *6. Obſ.* 119. omnibus mole etiam inſignibus tribuit. De reliquo latitudo ejus 18. pollices, longitudo 8. æquabat. Circumferentia baſeos 13. pollicibus haud minor erat, & aperturæ poſt ruptionem factæ diameter ad 3. & $\frac{1}{2}$ pollicem accedebat. Quamvis autem ejus magnitudo haud exigua fuerit, plura tamen minorum, potiſſimum vero majorum exempla hinc inde apud Obſervationum Scriptores proſtant. Enormis cujusdam ſtrumæ ſexaginta librarum in puella Florentæ viſæ meminit Langius *l.* 3. *epiſt.* 4. Et Pareus ſteatoma ponderis 26. librarum in altero genu ſubortum recenſet. Pluribus aliis, quæ magno numero in Miſcell. Nat. Curioſ. & alibi occurrunt, recenſendis hic ſuperſedemus. Niſi quod à Dn. Præſide relatum mihi ſit, ſe cum Pariſiis degeret ſimilem tumorem ſuper vertebris lumbaribus è ſubſtantia muco-carnea, membranis & vaſis plurimis conflatum, & viginti libras pondere ſuperantem in Noſocomio, quod Hotel Dieu vocatur, vidiſſe. Cauſa hujus magnitudinis, vel in copioſiore humorum affluxu quærenda eſt, quo plus enim humoris eo affluit, eo magis tumor nutritur, & per conſequens eo majorem in molem excreſcit; vel in partium mollitie, poſita quippe molliore conſtitutione, majorem eas pati extenſionem, majus etiam incrementum capere, nemo non

non intelligit, secus ac in durioribus fieri solet. Uti autem magnitudo, ita & figura tumoris nostri ex icone patet. Alias tumorum diversæ observantur figuræ, nunc enim satis rotundi, nunc magis oblongi, nunc aliam præ se ferunt figuram, imo non raro viventium vel vegetabilium corporum formam æmulantur. Tumorem rapæ similem recensetTulp. *Observ. l.* 3. *c.* 29. Ventriculi suilli æmulum legimus in *E. N. C.* II. 8. *Obs.* 187. Sic & Cl. Rivinus in puella monstrosa tumoris figuram oblongam, prorsus singularem, & ab occipitio propendentem, exhibet in *Diss.* 1717. *Lips.* habita. Ut alias notatu dignas hic silentio prætereamus. Unde est, ut quidam ab ipsa hac figura diversa nomina sortiti fuerint, uti talpa, Testudo &c. Causa hujus figuræ dependere videtur, nunc à loco, quum tumor occupat, nunc etiam à substantia, quam intus alit. Prius quod attinet, si in occipitio, dorso &c. enascitur, è quo tanquam è loco decliviore propendere facile potest, haud raro in oblongum exporrigitur, cum in aliis locis rotundam magis figuram servat. Magis vero eo conferre videtur posterius, si enim materia intus contenta fluidior est, non facile cum aliis partibus cohærens sed libere fluctuans, cæteris paribus deorsum gravitare solet, cum è contrario solidior, sive jam caro sit, sive membranarum congeries vasis atque fibris multiplicibus connexa, dum crescit, quaquaversum magis & æqualiter excurrat, sicque in figuram magis minusve rotundam efformetur. Et hæc etiam causa esse videtur, quod tumor Chariſſimo Parenti meo in cervice enatus rotundam magis quam oblongam figuram induerit, nisi quod inferna, magis vero superna parte aliquantum prominuerit.

§. VIII.

Hisce positis tumoris nostri differentiæ jam considerandæ nobis veniunt. Quod dum facimus, non necessarium esse judicamus, generales omnium tumorum differentias in medium proferre, persuasi sufficere, si eas potissimum quæ dictis tunicatis competunt, allegaverimus, utut non negemus, plures earum his cum illis communes esse. In quo autem tunicati à reliquis differant supra §. 2. dictum est, nempe quod horum substantia cysti seu folliculo peculiari contineatur, illi vero eodem destituantur. De qua cysti hic addimus, quod quo major est tumor, & quo copiosior materia intus contenta, eo crassior folliculus observetur, unde eum à natura provida produci, & de novo succrescere posse contendit Cl. Wepfer. *E. N. C. Dec.* II. *Ann.* 6. *Obs.* 119. Sed & hi cistici non uno inter se nomine discrepant. *Et primo* quidem ratione loci, quem in corpore occupant, de quo iis, quæ §. 6. dicta sunt, nihil hic addimus, præter, quod externorum, qui in corporis superficie hærent, classi annumerari noster debeat. *Secundo* ratione magnitudinis. *Tertio* ratione figuræ, de quibus §. 7. egimus, quo etiam Lectorem remittimus. *Quarto* diffe-

runt ratione contenti, quod vel humorem esse, vel substantiam solidiorem §. 2. à nobis annotatum fuit, ubi & monitum, hanc modo carnem, modo corpus glanduloſum, modo etiam membranarum congeriem præ se ferre. Hoc ultimo tumorem noſtrum à reliquis omnibus diverſum fuiſſe quilibet facile cognoſcit. Cl. Morgagnus in *E. N. C. Cent.* V. & VI. *Obſ.* 27. exhibet obſervationem tumoris, qui cum noſtro in multis convenit, atque ab excreſcentia membranæ juxta dextram ſcapulam adipoſæ ortum trahebat, quam membranæ in plures minores diviſibiles cingebant. Similem excreſcentiam ſcapulæ pariter innatam Blaſius *p.* 1. *Obſ. Med.* 3. nobis reliquit. *Quinto* ratione cauſæ diverſi ſunt. Præter enim, quod non pauci cauſæ magis immateriali, nempe perverſæ matris imaginationi, quæ fœtui in utero hoſpitanti malum affricat, natales ſuos debeant; alii non niſi internam agnoſcunt cauſam, ſcilicet congeſtionem, obſtructionem, & ſanguinis vel humoris ſeroſolymphatici extravaſationem, ruptione vaſis alicujus prægreſſa; in aliis externa quædam occaſionalis & procatarctica cauſa modo dictis internis anſam præbet, quæ nunc compreſſio & contuſio ab ictu, lapſu &c. nunc continui ſolutio facta ab inſtrumento ſecante, pungente eſt. Noſtro tumori vulnuſculum pectinis dente inflictum, occaſionem dediſſe in hiſtoria memoratum eſt. *Sexto* etiam diſcrepant tumores tunicati ratione baſeos, alii enim latiorem habent, & reliquæ tumoris diametro fere æqualem, alii vero anguſtiorem, & ex petiolo veluti propendent, quæ differentia maximi in cura ſeu exſtirpatione momenti eſt, utpote quæ in his longe facilius & felicius quam in illis ſuccedere obſervatur. Noſtrum lata ſatis radice cervici adnatum fuiſſe, adeoque ad priorem claſſem referendum eſſe, figura ænea demonſtrat. *Septimo*, ſi à mobilitate, qua magis minusve tumores gaudent, differentiam deſumere licet; quamvis dentur, qui multum mobiles ſint, alii tamen firmiſſime agglutinati nulla ferre vi loco moveri poſſunt; Præſentem, de quo agimus, medio modo ſeſe habuiſſe, & manu prehenſum ſurſum pariter atque ad latera haud obſcure dimoveri potuiſſe notamus. *Octavo* tandem folliculi vel ſimplici vel multiplici numero inter ſe differunt. Ubi notamus, plerosque tumores non niſi unica cyſti inveſtiri, dari vero etiam qui duplici, triplici, quandoque etiam multipliciore muniti ſint, ut *E. N. C. Dec.* I. *Ann.* 2. *Obſ.* 93. & *Cent.* V. & VI. *Obſ.* 27. teſtantur. Denique *Nono* quod ſymptomata ſpectat, quæ plures differentias conſtituunt, color, uti in aliis tunicatis plerumque contingit, reliquæ cuti ſatis ſimilis erat, ſi loca vaſorum decurſui vicina livido colore tincta & partem, qua ſponte ruptus eſt tumor, rubicundiorem excipias. Doloris ut mentionem quoque injiciamus par eſt; hoc cum reliquis tumoribus tunicatis commune habuit noſter, quod non modo in incunabulis ſuis, ſed & major poſtea factus, nullum præter gravitatis ſenſum ægro pepererit. Poſtquam vero ruptus eſſet, intenſiſſimi & exquiſitiſſimi doloris cauſæ evaſit, adeo ut lipothymiæ iſtum haud raro inſequerentur.

Quos

Quos dolores proxime partibus nervosis, remote vero inflammationi, materiæ ichorosæ collectioni, & aëris commercio acceptos referendos esse judicamus. Ultimo loco annotare licet, tumores tunicatos è numero frigidorum plerumque esse, (*quos, uti Galenus vult, nec inflammatio præcedit, nec comitatur, & qui neque à sanguine, neque à bilioso humore, sed ex nutrimenti degeneratione oriuntur*) non infrequenter tamen etiam inflammatione tentari, id quod in nostro quoque ad rupturam tendente contingisse, Lectori persuademus.

§. IX.

Ordo postulat, ut ad signa pergamus, quæ cum duplicia sint, alia Diagnostica, quæ statum morbi præsentem, alia vero Prognostica, quæ futurum declarant, de illis in hac thesi, de his autem in sequenti quædam annotabimus. Diagnosi generali, & quæ tumoris exteriora manifestet, opus vix esse censemus, siquidem magnitudo, figura, locus affectus &c. satis superque in oculos eorum, quibus tumorem intueri datum fuit incurrebant. Imo & figura æri incisa nunc etiam cuilibet eam inspicienti eadem demonstrat. Quam ob rem de signis specialibus quædam in medium proferemus, quibus nempe tumor noster ab aliis hujus generis excrescentiis dignosci potuerit. Præter visum itaque ad tactum durus erat, digitisque pressus nullum fluctuationis indicium præbebat, nulla pressionis vestigia relinquebat. E quo renisu & fluctuationis absentia durum corpus intus concludi conjectu facile erat, sed determinatu difficile, qualenam illud corpus, num carnosum an glandosum, an vero aliud esset. Id quod Marc. Aurel. Severinus de *Abscess. anom. c.* 19. agnovit, dum de tumoribus tunicatis loquens ait: *Quod intus habent uti conjectura præsagiri, sic ex toto cognosci, nisi cum ejecta sunt non potest.* Neque hoc certum nobis signum suppeditabat, quod materia intus contenta propter arctam cum folliculo cohæsionem separatim commoveri haud potuerit, uti id in meliceride, atheromate &c. fieri observamus, quoniam sarcomata non minus quandoque ita connectuntur, ut seorsim à folliculo ultro citroque ea movere non valeas. Equidem non omnis conjecturæ locus deerat, ob dolorem qui intensior post aperturam ab ægro sentiebatur, nempe partes nervosas & membranaceas in eo contineri, quamvis non minus carnem luxuriantem exquisito sensu gaudere largiamur. Quomodocunque autem se res habeat, nihil præjudicii in cura affert, utut non certo dignoscatur, quænam tumoris tunicati species sit, quia eadem medicamenta atque eadem fere operatio locum habet, aut saltem ratione materiæ contentæ parum differt. Quod si vero, uti in nostro factum est, excrescentia rumpitur, atque ejus interiora, si non omnino, ex parte tamen intueri licet, signa sensibilia, quæ in oculos, fidissimos rerum judices incurrunt, rationalibus cunctis longe anteferenda sunt. Tandem

omnis

omnis animo scrupulus eximebatur, sicubi tumorem à corpore vivo separatum & cultro anatomico subjectum penitius examinare atque perscrutari licebat, tunc enim omnia ea quæ obscura fuerant, clara, & incerta hactenus certissima reddebantur, tunc quæ ipsi cum aliis tunicatis tumoribus differentia intercedebat, ad oculum demonstrare datum fuit, uti ex historia patet.

§. X.

Priusquam de cura tumoris agamus, quædam de signis prognosticis dicenda superstant. Quod si minores adhuc sunt ejusmodi tumores, non multum incommodi ne dicam periculi pariunt, sed per plures quandoque annos gestantur, unde etiam plerumque negligi solent, ita ut auxilium Chirurgi implorare æger prætermittat, vel quia indolentes sunt, vel lento gradu progrediuntur. Ubi vero adolevere & majores facti sunt, pro diversa magnitudine plus minusve molestiæ creant, & pondere graves sunt. Prout etiam hunc vel illum locum, qui capillis aut vestibus denudatus est, obsident, non parum deformitatis conciliant. A natura nunquam curantur, solis medicamentis rarissime cedunt, manu Chirurgica utplurimum opus est. Sed & dantur, qui non omni periculo carent, quod si enim partibus corporis nobilioribus vicini fuerint, magnamque cum ipsis connexionem habuerint, intactos eos relinquere quam ancipiti cura patientem vitæ discrimini exponere præstat. Id quod Talpæ exemplo facile demonstratur, in illa enim non raro accidit, ut futuris cranii superimposito tumore, tunica ejus cum crassa cerebri meninge connectatur, seu potius è fibrillis per futuras exeuntibus constet, tunc propter nimiam meningum sensibilitatem, indeque metuenda symptomata Chirurgus ad perferendum potius malum ægrum admoneat, quam suscepta exstirpatione dubia præsentaneo quandoque mortis periculo eum exponat. Eodem modo res se habet, si tumores nervo vel tendini accreti sunt, quod in sarcomate, ganglio aliisque contingere potest, hac enim rerum facie Chirurgus sibi caveat, ne aut sectione, aut medicamentorum causticorum applicatione, curam eorum audacter suscipiat. Quod si enim cum tumore nervus simul aut tendo lædatur, inflammatio ipsaque non raro gangræna infelicem curæ exitum promittunt. Clavos itidem pedum, quamvis exigua admodum tubercula sint, ob similem cum partibus tendineis connexionem funesta quandoque symptomata presso pede sequuntur. Liceat hac occasione recensere casum deplorandum, quo Nobilis quidam Vir mihi conterraneus propter profunde nimis excisum clavum, non modo tibiarum alteram, sed & proh dolor! vitam amisit; Ille quippe in dextro pedis pollice clavum eradicare laborans, ferrum justo profundius adegit, & uti conjicere est, subjacentem clavo tendinem læsit, quo facto intensissimi mox dolores, totius pedis inflammatio, & ipse tandem sphacelus insecuta sunt, & quia amputationem pedis affecti, uti fieri assolet, in tempore institui recusabat æger,

æger, duodecima post operationem tardius administratam hora vitam cum morte commutavit. Vasa non minus sanguifera majora tumores hujusmodi perreptantia non solum majoris augmenti causa existunt, sed & mali curam periculosiorem reddunt. Hæc enim si vel sponte aperiuntur, vel in tumoris exstirpatione discinduntur, propter nimias quæ inde veniunt hemorrhagias, patiens semper virium, quandoque etiam vitæ jacturam facit. Hoc tamen incommodum ex Chirurgi non raro culpa contingit, qui vel vasa hæc probe ligare vel medicamentorum stipticorum applicatione sanguinem sistere intermittit, his è contrario probe observatis, nullum hic, quod metuamus periculum supereſt. Quod si itaque parvi fuerint, mobiles, partibus nervosis non vicini, vasis majoribus non cohæreant, à petiolo graciliore propendeant, corpus etiam robustum & non debilitatum neque ætate provectum occupent hi tumores, facilior eorum ablatio est, quam ubi contrario se modo habent. Sic & prætermitti hic non debet, quod his & similibus tumoribus non infrequens sit, ut postquam exstirpatio rite instituta est, si vel minimum in cura relinquatur, post aliquod temporis spatium novus tumor eodem in loco denuo excrescat & exsurgat, dum vel vasa quædam relicta novam materiam nutritiam subministrant, vel membranulæ superstites in majus crescunt & sensim in tumorem rursus attolluntur. Neque simplici tantum, sed & duplici, quandoque etiam triplici vice malum ita repullulat, uti præter alias multas D. Dn. Præsidis observatio, quam mecum communicavit, id satis confirmat: Quod nempe ante sex & quod excurrit annos pectinario cuidam ejusmodi tumor in natium alterutra enatus, excisusque paulo post redierit, denuo exstirpatus secunda & eadem ratione tertia rursus vice excreverit.

§. XI.

Tumoris nostri curam aggressuris vitio nobis, uti putamus, nemo vertet, si de cura tumorum tunicatorum in genere quædam præmittamus. Quæ omnis nostro judicio è Chirurgico potissimum fonte petenda est, & quidem vel medicamentis causticis, vel igne, vel ligatura, vel denique ferro absolvitur. Quamvis enim interdum aliorum medicamentorum applicatione curati leguntur hi & similes tumores, qualia magno numero hinc inde ab Auctoribus, præsertim Barbette, Münnik, Dionis &c. commendantur, vix tamen methodus hæc locum inveniet, nisi in incipientibus, &, ut ita loquar, in illis, qui in incunabilis adhuc latent. Si enim longiore temporis tractu majores jam facti sunt, & folliculus materiam eorum continens firmior crassiorque redditus, neque discutientia neque resolventia neque digerentia, vel alia hujus generis medicamenta magnos hic effectus pollicentur, sed omnis potius restituendæ sanitatis spes in jam dictam methodum collocanda est. Pro circumstantiarum autem varietate nunc hoc nunc illo remediorum genere utimur. Et quod primo *caustica* attinet *me-*

dicamenta, lubentes concedimus, ea in omnibus tumoribus applicari non posse, partim ob nimis tardam, partim vero ob insufficientem eorum in quibusdam casibus operationem. Prius quod concernit in propatulo est medicamentorum causticorum applicatione tumoris exstirpationem non tam promte quam abscissione ferro facta absolvi. Proinde ob nimios à medicamentis hisce provenientes dolores, ferrum potentiali cauterio haud raro præfertur; utut nos non lateat, alia septica aliis minus exquisitos ægris dolores conciliare, quare illud olim Vigonis, indolens dictum, & nostris temporibus Gervasinum, cujus Petr. Dionis, *Chirurg. Demonstr.* X. *fig.* 55. meminit, vel etiam Sutorianum, de quo fama longe lateque percrebuit, fuisse perhibetur. Posterius, quod nempe insufficientia interdum hæcce medicamenta deprehendantur, ut clarius reddamus, triplicem hic rationem in medium proferamus. Haud raro quippe tumores inveniuntur tunicati, qui *primo* è durioribus partibus conflati sunt, in quas caustica medicamenta cum successu agere haud valent. *Secundo* dantur etiam, in quibus ob deficiens humidum emortui separatio justo tardius procedit. Utriusque exemplum nôster de quo agimus, tumor præbet, uti ex ipsius historia §. 2. tradita elucet. *Tertio* etiam vis horum medicamentorum à materia intus in tumore contenta quandoque alteratur, si nempe illa pinguis, adiposa, & sebo vel spermati ceti &c. similis existit, qua causticì activitas obtunditur, ejusque particulæ quasi invisçantur, ut virtutem, quam alias exerere solent, amittant. Ut taceamus, non levia quandoque symptomata ab eorum usu dependere, ut nimirum partes illorum salino-♄reæ cum istis, quæ in tumore sunt maritatæ acrimoniam induant, & vicina etiam loca aggrediantur, vel, si mitiora fuerint, cancrosam corruptionem post se trahant, id quod Godofr. Purmann. *Annot. ad Obs.* 56. recte monuit.

§. XII.

Quamvis autem res ita se habeat, certæ tamen circumstantiæ dantur, quæ prædictorum medicamentorum applicationem maxime requirunt. Ex hisce certe non ultimum locum meretur frequens & insignis ægrotorum ab igne & ferro, aliisque hujus generis instrumentis metus; multi enim inveniuntur, qui remedia hæcce tanquam crudelia nimis respuunt, & omnia potius incommoda, quam ut ejusmodi operationi se subjicerent, perferre malunt. Horum igitur genio ut gratificetur Chirurgus, nihil superest, quam ut ad caustica medicamenta confugiat. Sed si vel maxime hæc adhiberi debere judicatur, quæstio moveri potest, quonam in tumoris loco hæc applicanda veniant. Suadent nonnulli, in inferiore ejus parte idem faciendum esse, eam ob causam, ut materia, si quæ tumori insit, per locum decliviorem facilius omnis evacuari & folliculus postea auferri possit. At nobis non arridet hæc sententia, arbitrantibus, caustica

po-

potius basi tumoris imponenda esse, hac enim corrosa tumor sponte decidit, & folliculi reliquiæ facillimo negotio exstirpari possunt. Præter hanc alia difficultas supereſt, quæ causticis medicamentis curam committendam esse præcipit. Observantur enim tumores præcipue latioris baseos, qualis etiam noster fuerat, quos vasa magnæ capacitatis & momenti perreptant; in his certe ob metuendam hemorrhagiam abscissioni vel excoriationi locus non facile dandus. Præcavere quidem conantur Chirurgi incommodum hocce, præcipientes amputationem tumoris cauterio cultellari perfici, quo pacto vasa vi ignis constringi, & hemorrhagiam per consequens sisti volunt, cui sententiæ adstipulatur Scultetus *Armam. Chir. tumor. tunicat.* Sed ut taceam crudele admodum hocce remedium multis jure meritoque videri, exoptatum quoque, ubi majora adsunt vasa, id effectum vix præstabit. Quamvis enim concedamus, sanguinis profluvium hoc modo ad tempus cohiberi posse, de ejus tamen recursu securi non sumus, dum humor hic impetuosius ad partes hasce propulsus, eschara delapsa novæ hæmorrhagiæ metum nobis relinquit. Nostra itaque sententia rebus sic comparatis est, medicamenta caustica ad exstirpandos hosce tumores certis casibus optima & securissima esse. Hæc enim non solum vasa successive corrodunt, ut sanguis non tanto cum impetu, uti in amputatione vel excoriatione contingere solet, profluat, sed & virtute qua pollent, adstringente, sanguinem ex ipsis pullulantem coagulant, qui deinceps vasis agglutinatus prorumpentem alias hæmorrhagiam sistit. Aliter autem se res habet, si tumores angustiore gaudeant basi, & quasi à petiolo propendeant; in his enim non tanto opus est labore, sola quippe petioli constrictio *seta equina* vel *filo*, quod è lino aut serico paratum est, facta sufficit, quo peracto filum vel successive & indies donec tumor decidat, magis constringitur, vel etiam celeriore methodo mox post vinculum injectum tumor cultro infra ligaturam à corpore separatur.

§. XIII.

Restat ut ultimo loco amputationis & excisionis mentionem quoque faciamus, quæ pro circumstantiarum varietate diversimode suscipitur. *Amputatio* locum habet *primo*, si tumor angustiore radice gaudet, & tenui velut petiolo propendet, uti sub finem §. *anteced.* innuimus. *Secundo* latiore etiam existente basi, amputatio, sive major sive etiam minor fuerit tumor, excisioni præferenda esse videtur, vel quia unico cultri velut ictu, sicque brevi temporis spatio operatio absolvitur, atque ægro non tanti neque tam diuturni dolores excitantur, vel quia totus tumor una cum cute exstirpatur, quæ in excisione peculiari enchiresi auferri debet, vel denique, si quid post operationem de folliculo supereſt, illud causticis facile eradicatur. Adeo ut id quod Pet. Dionis l. c. de excisione pronunciat, scilicet quod maxime secura & administratu promtior sit, de am-

putatione majori jure dici possit. *Tertio* adhiberi eam porro convenit illo in casu, ubi tumor partes nervosas & carnosas obsidet, quia tunc timendum, ne excoriatio, utpote tardior, nimis dolorifica foret. *Excisio*, quæ & *excoriatio* vocatur, instituitur incisione simplici tantum, si minor, cruciformi vero, si major existerit tumor, in cute facta, ut folliculus materiam continens in conspectum veniat, sollicite cavendo, ne hic discindatur aut dilaceretur, neve materia contenta effluat. Quo facto specillum latius, vel cultelli manubrium, vel etiam digiti cutim inter & folliculum immitantur, præsertim quando cystis cuti firmius adhæret, atque à se invicem separantur, donec ad ipsum tumoris fundum perveniri possit. Dein tumore majore existente (nam in minoribus vix opus esse videtur) vasa sanguifera, maxime arteriæ materiam nutritiam advehentes æque ac reliqua, quæ basin constituunt, scalpello rescindantur, vel, uti Hornius *Mitrotechn.* jubet, vasa ante tumoris oblationem ligentur, si datur aditus & vincula injici possunt. Cum vero idipsum haud raro impossibile factu sit ob situm profundiorem, præstat ea cum reliquis partibus instrumento secante separare, & mox ischæma adhibere, vel tubulos arteriosos ligatura constringere. Quod si vero nec hæc sufficiunt, cauterium actuale (crudele alias remedium) in subsidium vocare necessitas jubet. Uti autem magna circumspectione opus est, ne folliculus lædatur, ita pariter omni ope annitendum, ne minima ejus portio relinquatur, quare totalis eradicatio, quæ ferro peragi vix potest, causticis est suscipienda. Hoc enim neglecto tumor, multiplici experientia teste, citius tardius regeneratur. Denique cutis multum extensa atque redundans, quantum opus, resecanda & vulneri cicatrix inducenda est. Quem excisionis modum Fabric. ab Aquapend. *append. l. c.* prolixe docet. Vocatur in usum, si tumores, quos auferre laboramus, nulla basi instructi sunt, sicque eorum conditio amputationem instituere vetat. Obsignamus hanc de cura in genere tractationem statuendo, amputationem, si tumoris natura & reliquæ circumstantiæ id permittunt, excisioni vel excoriationi præferendam esse, maxime eam etiam ob causam, quia hæc non nisi duplici opera nempe tumoris primum, dein cutis ablatione administratur, adeoque dolores & tota in universum operatio diutius protrahuntur.

§. XIV.

Quibus præmissis tandem etiam illam methodum, qua in nostro tumore exstirpando usi fuimus, subjungere instituti nostri ratio quam maxime jubet. Ex historica autem relatione in limine Dissertationis tradita patet, nos medicamentis corrosivis curæ initium fecisse, finem vero isti ferro imposuisse. Primum remedii genus, causticorum nempe applicationem hemorrhagia à vasis insignibus, qualia superficiem tumoris nostri perreptarunt, metuenda suasit, quæ procul dubio supervenisset, si vasa illa unico

unico cultri ictu resciſſa fuiſſent. Huic igitur ut proſpiceremus atque obicem poneremus, ſequentem lapidem baſi tumoris applicuimus.

℞. Calc. viv.
Ciner. clavell. aa. ℥iv.

Pulveriſatis ſuperaffundantur aquæ fontanæ calidæ ℔iij. & coquantur in vaſe ferreo, pulvere in totum reſoluto liquor hicce per chartam emporeticam filtretur, & filtratus in vaſe ferreo ſuper ignem inſpiſſetur, ita ut lapidi æmulam conſiſtentiam induat. Maxima ſane lapidi huic cauſtica vis ineſt, quippe qui baſi tumoris ſuperimpoſitus vix intra horæ quadrantem tunicam ipſius exteriorem una cum vaſis ſuperficietenus excurrentibus corroſit; omnem etiam ſanguinis profluvium impedivit, adeo ut, qui extravaſatus forte fuerat, ſtatim coagulatus venis adhæreret. De quo felici ſucceſſu nobiſmet gratulati, eſchara priore remota prædictum lapidem denuo impoſuimus, ejus uſu tamdiu continuantes, donec dimidia fere tumoris pars à corpore ſeparata jam exiſteret. Quia vero ſeparatio emortui, propter deficiens forſan in tumore noſtro humidum, lente admodum procedebat, & ſubinde cultri adminiculo opus erat, plenariam tumoris amputationem cultro committendam eſſe decrevimus, ad quam operationem ſuſcipiendam eo facilius commoti fuimus, quo minus periculum propter corroſa jam vaſa majora ſupereſſe videbatur. Tumore itaque à duobus adſtantibus, quorum alter arcta neceſſitudine ægro junctus eſt, à cervice paululum retracto, anteriori ejus parti cultrum falcatum, haud diſſimilem illi, quo in amputatione membrorum ſphacelatorum uti ſolemus, applicuimus, unicoque ictu tumorem eo in loco, quo corpori adnatus erat, ſeparavimus. Sanguis, qui è duabus arteriis interiorem tumoris ſubſtantiam ſubeuntibus profiliebat, liquoris ſtyptici, cujus deſcriptionem hic ſubnectimus, applicatione facile ſiſtebatur.

℞. Vitriol. Hungar.
Alum. crud. aa. ℥iij.
Phlegm. vitriol. ℔ij.

Hæc ingredientia ad reſolutionem pulverum ſimul coqnantur, & liquori dein filtrato addatur.

Ol. Vitriol. rubr. ℥ij.

Plumaceoli præſcripto liquore imbuti oſculis vaſorum applicabantur, quo facto emplaſtriſque ſuperimpoſitis æger quieti ſe dedit. In ſecunda deligatione, quæ tertio demum die facta eſt, ob metum ne nimis matura medicamentorum & totius apparatus remotione ſanguinis profluvium denuo rediret, maſſa membranacea, quæ poſt operationem relicta fuerat, conſpectui noſtro ſeſe optime ſtitit, proinde ne vel minimo illius relicto malum de novo progerminaret, omnimodæ reſidui membranacei exſtirpationi & ablationi quovis modo ſedulam operam dedimus, unde eum in finem ſequentes illi tabulas inpoſuimus à Vigone in *Chirurg. p.* II. *c.* 5. deſcriptas.

℞. ℔r. ſublim. ʒiij.
Ferm. pan. ʒß.

Minii ʒij. miſce, e quibus formentur tabulæ pro lubitu. Hiſce per aliquod tempus in uſum vocatis, lamellæ membranaceæ ſenſim ſenſimque exeſæ ſunt, ut nulla tandem earum veſtigia ſupereſſent, ſed potius iſtarum loco optima caro ſuccreſceret. Quare nihil aliud agendum ſupereſſe judicavimus, quam ut ſarcoticis novæ carnis proventus juvaretur, quibus etiam id effectum eſt, ut cicatrice brevi temporis ſpatio obducta, curæ noſtræ pariter ac doloribus, aliiſque incommodis exoptatus impoſitus fuerit.

FINIS.

DISSER-

C L.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE QUIBUSDAM TUMORIBUS
TUNICATIS EXTERNIS.

Præside

JOAN. SALZMANN,

Respond. Auctore

GEORG. FRIDER. ORTH,

RATISBONENSIS.

Argentorat. 24. Jul. 1719.

Landesbibliothek Oldenburg

PRÆLOQUIUM.

Quanta tristissimus protoplastorum lapsus universo generi humano mala attulerit, deplorari satis nequit. Vix enim à pristina obedientia, quam Creatori suo spoponderant, declinarunt, serpentis astutia radix omniam malorum & mors, tanquam præmium peccatorum, in omnem illorum transiit progeniem. Mens imago Divina, perfectissima sapientia, purissima voluntate antea coruscans, tantas subiit mutationes, ut nullum fere primævæ felicitatis vestigium supersit. Corpus vero illius organon, per quod actiones suas exerit, infaustis ejusmodi alterationibus maxime expositum, & quovis momento ad corruptionem pronum deprehenditur. Hi sunt fructus infelicissimi, quos tulit esus fructuum arboris vetitæ, & quorum effectus quotidie adhuc, proh dolor! experimur. Fœtui, nondum plane formato, & utero materno adhucdum incluso, quot nævi inprimuntur! quantæ labes affricantur à matris vel imaginatione vel affectibus animi inordinatis, & dum ex ergastulo hoc eluctatur infans, quibus doloribus mater obnoxia est! Quam primum lucem hanc aspexit miser homo, quid aliud à primo momento ad ultimum vitæ halitum oculis ejus obversatur, quam miseria & calamitates! Aërem haurire opus habet, & una cum ipso morbos, cibum potumque assumere necessitas efflagitat, non raro simul mortem quasi ingerere videtur. Quippe nunc injuria aëris, & juxta Hippocr. Sect. III. Aph. 1. mutationes defectionisque temporum pariunt morbos, nunc natura alimentorum & potulentorum, nunc intrinsecum humorum vitium, nunc denique bestiæ vel hostica manus, vel alia vis texturam corporis humani dissolvunt & varias generant ægritudines. Ast Benignissimus Creator misertus miseriæ humanæ, non tantum saluti animæ abunde prospexit sed & infirmitatibus corporis medelam attulit, artem medicam hominibus largiendo, cujus ope corpus, quantum possibile, tam ab omni labe immune conservatur quam etiam concussa ejus sanitas restituitur. Qua de causa elegantissime Exc. D. D. Lentilius, Consiliarius & Archiater Wurtembergicus, Patruus meus Venerandus *in Jatromnem Theor. Pract. part. I. c.62.* Medicinam Divinum *appellavit* Charisma hominum morbis curandis concessum. *Duobus autem potissimum fulcris innititur hæc ars, ratione scilicet & experientia observationum matre. His Medicina suffulta nunquam corruet, quamprimum vero sive huic, sive illi plus minusve tribuitur, quicquid superstruitur, infirmo stare talo observatur. Hinc etiam animus mihi erat, antequam à Celeb. Argentinensium Academia discederem, Schediasma* de Fatis Principiorum Medicorum *conscribere, & quid veri vel falsi illis insit, inquirere. Verum enim vero idem exequi magno labore & non minori tempore opus esse, illumque humeros non ferre, hoc ob festinatum discessum mihi denegari, animadverti. Quibus accedebant aliæ rationes, quæ me à propositio deterrere poterant. Quam ob rem aliud elegi Meletema, scil.* de Tumoribus Cysticis Serosis Externis, *commotus consilio Ba-*

glivi, Viri ſtupendi judicii, qui paſſim in ſcriptis ſuis nil magis quam obſervationes ſolidas inculcat, exiſtimantis, omne id quod Medicinæ certi ineſt, obſervationibus deberi. Hinc laborem huncce meum maxima ex parte obſervationibus dicavi, quas partim ex Dn. Præſidis, Patroni atque Præceptoris æternum colendi *propria inſpectione, partim ex aliorum obſervatis collegi, & pro viribus temporisque, quod breve admodum erat, ratione elaborare conatus ſum. Divinum ergo imploro Numen, velit tanquam omnis boni principium gratia ſua nobis adeſſe, & largiri, ut noſtrum quoque inſtitutum vergat in ægrorum emolumentum. Te vero, B. L. rogo, ut pauca hæc feſtinante calamo conſignata doctiori judicio, uberioreque cogitatione, ſi merebitur, corrigas & perficias, mihique porro faveas, quibus impetratis me uberrimum qualiscunque laboris fructum reportaſſe credam.*

---

§. I.

PRiuſquam ad rem ipſam progrediar, par eſt, ut verbo indigitem, quid per tumores intelligi debeat vel ſoleat. Deſcribit autem Cel. Schelhammerus Tr. de Tumor. Sect. 1. §. 8. quod ſit *morbus in conformatione, quo totum corpus, vel aliqua ejus pars, aut pars partis, à contento ſubtus vel humore vel ſolido, vel ſpiritu, in majorem, quam pro naturali habitu, molem attollitur.* Plures itaque dari tumorum ſpecies ex ipſa definitione patet, qui differunt vel ratione *contenti*, ſ humoris, à quo generantur, quo ſenſu juxta varia in iis contenta diverſa etiam nomina ſortiti ſunt, hinc alii ſanguinei, bilioſi, alii pituitoſi, alii denique flatulenti vocantur, qualis E. N. C. I. 3. obſ. 107. & Borell. Cent. I. obſ. 8. recenſetur; vel ratione *Continentis*, hinc alii Tunicati, Saccati, Cyſtici, & penduli ſunt, alii turgeſcentiam tantum partis alicujus vel totius corporis conſtituunt: vel ratione *loci*, & diſtinguuntur in univerſales atque particulares, & hi quidem vel integram partem organicam obſident, vel ſingulas partes ſimilares. Ad primam horum claſſem pertinet inflammatio, abſceſſus, ſcirrhus &c. quod vero ad poſteriores attinet, hi rurſus vel cuti inſident, vel carnes occupant, vel glandulis infeſti ſunt, vel arteriis veniſque accidunt, vel denique oſſibus inhærent, de quibus omnibus prolixus eſt Schelhammerus l. c. Hæ, de quibus hic agimus excreſcentiæ phlegmaticæ, tumores ſeroſi vel aquei appellari merentur, qui tamen iterum multifariam dividuntur: alii ſunt interni, in quibus aquæ vel in cavitate inſigni fluctuant, uti in hydrope aſcite, pectoris, hydrocephalo, vel plus minuſve per corporis habitum diffuſæ ſunt, uti in Anaſarca, Leucophlegmatia, & Oedemate pedum manuumque, vel peculiari ſacco ſeu veſiculæ incluſæ, uti in hydrope ſaccato, de quo vide exempla apud Courtial. Cont. Obſ. Anat. 2. & Differt. Cl. Rud. Jac. Camerarii, quæ inſcribitur: Biga Obſ. Med. 1716. conf. E. N. C. II. 7. obſ. 141. Formam-

mantur autem vel à vasis lymphaticis, uti in hydatidibus, vel à membranis testiculi, uti in hydrocele, aut à membrana ovarii muliebris, ut in hydrope ovarii, vel a tuba Fallopiana, cujus stupendam historiam recitat Nic. Blegny Zod. Gall. Ann. I. mens Jun. obs. 9. vel à peritonæo, vel à mesenterio, vid. Horst. de Morb. mulier. L. I. part II. obs. 31. quibus pro diversitate partium varia imponuntur nomina.

§. II.

Quod ad tumores, de quibus in sequentibus agemus, speciatim attinet, definiri aliquo modo possunt, quod sint excrescentiæ seu tumores p. n. materia serosa seu aquea referti, qui in infantibus potissimum, nunc in occipitio, maxime in spina dorsi generantur, vel à lympha abundante eoque deposita, vel, quod plerumque fit, à mala spinæ vel cranii conformatione orti. Optime hinc à Cl. Apino Tumocistes appellantur, & revera nihil aliud sunt, quam hydrops quidam particularis, ab illa specie, quam aliqui hydropem saccatum vocant, vix diversus, quia aquæ in sacco quodam peculiari continentur. Quod si ab occipitio inferiori vel nucha dependet ejusmodi tumor, illum non incongrue hydrocephalum externum partialem appellari posse censemus. Si vero spinam dorsi circa regionem lumbarem occupavit, tumor serosus lumbaris ab aliquibus dicitur. Habemus hac in denominatione consentientem Cl. Frid. Ruysch, qui ejusmodi tumorem in dorso & lumbis, hydropem particularem medullæ spinalis esse pronunciat, in quo medulla in substantiam aqueam degenerarit, ejusque involucra ab aquarum mole, veluti membranæ cerebri in hydrocephalo, expandantur. vid. Obs. Med. Chir. XXXIV. XXXVI. Liceat obiter hic notare, modo laudatum Ruyschium, præ multis aliis in observandis hisce tumoribus curiosum, in describendis accuratum, & in depingendis solertem nobis videri, cum è contrario in plerisque chirurgorum scriptis altum sit de iis silentium, ipse etiam Car. Piso, qui pecul. de morbis à serof. colluv. & diluv. ort. hactenus prætervis. tractatum nobis reliquit, nullam prorsus mentionem eorum faciat. Interim silentio prætereundum non est, non semper medullam in serum quasi resolutam, sed interdum etiam lympham ex abdomine à vase lymphatico eo deductam, imo & quandoque serum in cerebro collectum & diversas ob causas ad integumenta delatum, huic malo ansam præbere atque originem. Tandem omittendum etiam non est, ab aliquibus tumores hosce serosos & spinam bifidam pro uno eodemque affectu p. n. haberi, sed uti nobis quidem videtur minus recte. Equidem largimur, illos si in lumbis, vel dorso evenerint, plerumque conjunctam habere spinam bifidam, non vero si in occipitio occurrerint. Tum & notari meretur, quod si forte concurrit, eam considerari debere tanquam causam morbificam, qua mediante aquæ è cerebro & medulla spinali depluentis ad integu-

menta ferri eaque in tumorem elevare solent. Addimus tertio similes subinde tumores generari, etsi nulla vertebrarum male conformata sit, e. g. in occipitio; uti etiam è contrario, quod probe notandum, observationes prostant, & exempla spinæ bifidæ, quam nullus ejusmodi tumor serosus insecutus est, teste *supr. alleg. Ruysch. Thes. An.* VIII. p. 1.

§. III.

Ne autem dissertationem nostram aliorum tantum observationibus inniti quis credat, ante omnia in medium proferam casum, quem Exc. *Dn. Præses* ante aliquot annos ipse annotavit in duobus infantibus unius ejusdemque matris, mecumque communicavit. Lanionis uxor annorum circiter XXX. & gravida tempore hyemali lapsa est, cum per plateas publicas obambularet, supina super regionem lumbarem, ita ut maximum inde persentisceret dolorem. Debito tempore enixa est puellam perfectam & rite formatam, nisi quod in regione lumbari eo in loco, in quam mater ceciderat, haberet tumorem ejusmodi serosum, qui sine dubio majorem in molem excrevisset, si infanti luce, quam modo aspexerat, diutius frui licuisset, sed obiit VIII. post nativitatem die. Mater ob tenerrimum, quo, uti solent, partum suum ptosequebatur amorem, hac labe modo quodam extraordinario affecta, tantam impressionem recepit ab hac infantis conformatione, ut una eademque idea sæpissime repetita & resuscitata ejus imaginationi continuo obversaretur, unde etiam factum est, ut cum XV. mensibus post secundo partu puellam in lucem ederet, illa eadem prorsus deformitate eodem in loco, quo prior, defigurata erat, sed longioris ævi, vixit enim per VI. vel VIII. septimanas. Tumor qui dicti fœtus lumbos occupabat, illi quem depingi curavit *Ruysch. Med. Chir. Obs.* XXXIV. adeo similis erat, ut ovum ovo similius esse non possit, non tantum externe, sed & quoad dispositionem internam, nisi quod non solum spina bifida, sed & hiatus per ipsum vertebræ lumbaris tertiæ corpus, vel interstitium intermedium erat, per quod exibat vas quoddam lymphaticum, tumori materiam serosam subministrans. Margines spinæ dorsi divisæ ad latera tumoris, externe digitis manifeste tangi & distingui poterant. Infans dorso incumbere non poterat absque insigni dolore. Idem vero fatum, quod alii miselli hoc malo correpti experti sunt, habuit, mox enim post levissimam & exiguam apertionem pejus habuit, viribus defecit, & post paucos dies animam creatori, quam paulo ante acceperat, reddidit. Post hos vero tres enixa est fœtus sanos, omnibus numeris absolutos similique labe non deformatos. Simile prorsus exemplum memorat *Burgius* E. N. C. II. 6. obs. 58. quod nempe mater duplici pariter vice ejusmodi sobolem enixa sit, interjecto inter utrumque infelicem partu felici & optime formato.

§. IV.

§. IV.

Licuit etiam nobiſmetipſis ante aliquot annos ejuſmodi tumorem lumbarem cum ſpina bifida in pago quodam prope Oettingam inſpicere, ſed infans cum chirurgus ligatura injecta illum removere laboraret, paulo poſt convulſionibus correptus fatis ceſſit. Aperiebatur, Phyſico Oettingenſi D. D. *Camerario Fautore meo æſtumatiſſimo*, & me præſente, tumor, quo facto, aliquot ſeri pellucidi cochlearia pauco ſanguine tincti profluebant, in ſpina dorſi autem tanta obſervabatur apertura, ut non tantum ſtylus undiquaque inter duplicaturam peritonæi adigi, ſed etiam pollex facillime in cavitatem abdominis, quantum licuit propter peritonæum, intrudi potuerit. Ex dicto etiam hiatu prodibat Vena hæmorrhoidalis interna in tumorem, cujus magnitudo cæteroquin pugnum æquabat. Quemadmodum vero in ſpina ejuſmodi occurrunt excreſcentiæ, ita quoque dantur ab occipitio propendentes, qualem denuo caſum *Dn. Præſidi* tranſcripſit Medicus quidam in praxi feliciſſimus, nempe tumorem occupaſſe ſuperiorem capitis partem eamque ita ambiiſſe, ut figuram farcimini non multum abſimilem referret, qui intra octiduum in tantam excrevit molem, ut deorſum propenderet, aſt cum partibus internis parum vel nihil communicationis hunc habuiſſe, uti iſte a *Job* a *Meckren* in *obſ. Med. chir.* cap. VII. recenſitus tumor contrarium exhibet, ex cura feliciter peracta diſpaleſcere aliquo modo poteſt, reſolutæ enim aquæ diſcuſſæ ſunt à calore externo & ſuffumigiis ſæpius repetitis. Quod alios attinet obſervatores, ſingularem nobis exhibet caſum *Lechelius* in Eph. N. C. II. 2. obſ. 158. infantis, qui duplici tumore affectus erat, altero in occipitis medio, mole juglandem æquante, tactu molli, colore fuſco, multis pilis obſito. Altero in ſpina dorſi, magnitudinis ovi anſerini. In medio occipitio, ubi tumor erat, poſt mortem ſectione anatomica reperiebatur foramen rotundum craſſum digitum admittens pericranio in tumorem elevato, qui tumor, ut verum fateamur, hydrocephali naturam poſtmodum induit. Simile fere exemplum proſtat in E. N. C. I. 2. obſ. 127. Non minus *Foreſtus* ſolertiſſimus obſervator *Tom.* IV. *obſ.* LIII. obſ. VII. ejuſmodi tumorem in collo poſteriori circa nucham apparentem in puella 2. menſium annotavit. Uti & *Ido Wolfius obſerv. chirurg. medic.* p. 48. in ſiniſtro capitis latere infantis, 4. annorum hydrocephalo ſimul laborantis, tumorem talem aquoſum obſervavit. Plura exempla hic enarrare ſuperſedebo, quoniam illa in ſeqq. recenſere animus eſt.

§. V.

Allatis aliquot dictorum tumorum exemplis, onomatologiæ immorari nolo, quippe quæ per ſe patet, ad differentias potius me convertens. Dif-

ferunt autem hi tumores, de quibus agimus, ab hydrocephalo in eo, quod in illo totum caput intumeſcat, hi vero ejus tantum partem occupent, ab hydrope ſaccato, aliiſque hydropis ſpeciebus quod illæ plures partes infeſtent, noſtri vero non niſi partes poſticas & præcipue ſpinam dorſi & occiput. Quibus accedit, quod illi tumores cavitati corporis inſigni & naturali, vel interſtitio inter peritonæum & muſculos abdominis ſint incluſi, hi vero extra corpus propendeant, veluti fructus racemo arboris pedunculo annectitur. Ab aliis tumoribus tunicatis diſtinguntur, quod illi omnino ſint indolentes, hi vero ut plurimum quam maxime ſint dolorifici, illi cutis colori penitus ſimiles, hi vero aliquo modo tranſparentes exiſtant, plura vide infra ubi de ſignis. Flatulenti ſi pulſantur, ſonitum edunt tympani inſtar, in his vero aquæ ſolummodo fluctuant. Diverſi pariter ſunt ratione contenti, ab iſtis tumoribus ſanguineo-varicoſis, quales in *Hiſt. Morb. Uratislav.* 1701. p. 285. recenſentur, quamvis alias apprime cum iſtis conveniant. Inter ſe differunt, quod alius ſit a nativitate, & in utero materno formatus, uti id frequentiſſimum eſt. Alius ſucceſſu temporis a cauſis tum externis tum internis productus, e. g. à ligamentis vertebras devincientibus in partu difficili ruptis, à lympha è cavo medullæ ſpinalis effuſa &c. qualem exhibet *Jo. Maur. Hoffmann* E. N. C. II. 5. obſ. 208. qui infanti cæteroquin ſalvo in lucem edito, poſt aliquot dierum intervallum ſupra vertebrarum lumbalium ſecundam tumor enaſci viſus eſt, mollis, tenuique cutis diſtentæ amiculo cinctus, quotidie incrementum ſumens, donec ſpatio VI. ſeptimanarum elapſo in molem pomi Aurantii majoris aſſurrexerit: alii ſunt plane humorales & aquoſi, alii intus craſſiorem pituitam alunt, in aliis aliquid carnoſi, vel etiam cartilaginei concurrit vid. *Ruyſch. obſ. med. chir.* LII. Conf. *Muys chir. rational.* Dec. XI. obſ. 9. Qualis ex parte carnoſus forſan erat ille, cujus mentionem facit *Job à Meckren Obſ. med. chir.* c. VII. utut illud ex autoris verbis non clare pateat, inſcribit tamen hoc caput: *De fungoſa excreſcentia ad capitis poſtica poſt mortem ablata.* Alius flaccidior eſt, & ſuperficiem habet rugoſam, vel alio modo inæqualem, alius æqualem & politam forſan à diverſitate affluxus humorum, ſi enim multum affluit, cutis & membranæ multum extenduntur, ſin minus, rugas concipit: alius latiore baſi exſurgit, alius anguſtiore, uti idem in tumoribus tunicatis quoque obſervare eſt; baſis anguſtior, ſi hiatus minor eſt, vel loco ejus foraminulum quoddam occurrit, amplior, quo major ille, & plures vertebræ male affectæ ſunt, id quod etiam valet de apertura in cranio, uti in *obſerv. Job à Meckren.* Alius hiat in cavitatem ſpinæ, & cum ejus involucris communicat, alius in cavitatem abdominis, hujuſque membranis continuus eſt & vas quoddam lymphaticum recipit, uti in caſu *Dn. Præſidis.* Hic cavitatem cranii ſubit, ille nullum habet cum partibus interioribus commercium. Serum quod effluit pluſ minuſve flavedine tinctum eſt, & nunc parum ſanguinis, nunc

ali-

aliquam puris portionem commixtam habet, nunc limpidum magis conſpicitur. Membrana, qua inveſtiuntur ejuſmodi tumores mollis utplurimum eſt, & evacuato humore ſtatim collabitur, interdum ita craſſa, ut poſt effluxum non ſubſideat. vid. *Muys* l. c. Dec. IX. obſ. 5. Sic & medulla ſpinalis diverſimode ſe habet in ſpina bifida, nunc enim deficere videtur, & in aquam quaſi reſoluta, nunc minori in copia adeſt, nunc extrorſum in tumorem fertur eique adnaſcitur.

§. VI.

Magnitudo tumorum ſeroſorum determinari facile non poteſt, quippe quæ pro ſubjecti ætate aliiſque circumſtantiis differt, quo diutius morbus durat, eo majores vel minores ſunt, & quo major fit affluxus laticis ſeroſi, eo majorem acquirunt molem. Utplurimum in incunabulis ſuis admodum parvi exiſtunt, & non raro juglandem vix ſuperant, qui poſtea ſenſim ſenſimque incrementum ſumunt, & modo rapam majorem, modo malum aurantium, modo ovum anſerinum mole ſua æquant, & quia cutis enormiter diſtendi apta eſt, ſæpius maximi evadunt hi tumores. Uti è contrario alii reperiuntur, qui in eodem permanent ſtatu, neque creſcunt, neque etiam decreſcunt. Eorum, qui in lumbis & dorſum hærent, intus latente ſpina bifida, corpus æque ac baſis mole majus vel vel minus eſt, prout plures vel pauciores male affectæ ſunt vertebræ. Illi vero, qui ab occipitio vel nucha dependent, plerumque maximi ſunt, adeo ut non caput modo, ſed & totum fetum magnitudine interdum ſuperent. *Ruyſch. obſ. med. chir.* LII. Quo propiores etiam ſunt capiti, eo major ſeri quantitas illis ſuppeditatur; quoniam enim ſerum in cerebro abundans juxta plerorumque opinionem tantum non ſemper anſam huic malo præbet, facilius in illos, qui capiti proximi ſunt, fluit, quam in remotiores, ubi per totam ſpinalem medullam cuniculos agere debet, antequam per ſpinam bifidam e. g. lumbarem in tumorem perveniat, aut ubi ab unico vaſculo lymphatico ex abdomine vel aliunde prorumpente materia ſeroſa ipſi ſubminiſtratur. Figuram quod concernit, utplurimum rotunda & ſphærica illa eſt, poſito, quod integumenta æqualiter extendi potuerint. Cæterum plures ob circumſtantias aliam ſubinde induunt figuram, ſic quando ab occipitio vel cervice dependent, liquore deorſum gravitante, ſaccus oblongus efformatur. Quandoque talis tumor figuram farciminis refert, nunc occiput ex parte ambiens, uti id patet ex obſerv. ſuper alleg. nunc tranſverſim per regionem lumbarem excurrens, quod annotavit *Schenck.* lib. V. obſ. 51. nonnunquam figuram rapæ refert, quale exemplum *Tulpius* obſervat L. III. c. 29. exhibet, nonnunquam aliam figuram repræſentat.

§. VII.

Landesbibliothek Oldenburg

§. VII.

Tumor hic, uti & reliqui cystici ac tunicati, signis opus habere vix videtur; manibus enim palpari potest, & oculis usurpari, qui optimi & æquissimi rerum sensibilium, quantum in ipsis est, judices sunt. Requiruntur tamen signa, quibus hoc tumoris genus ab aliis quibuscunque discriminetur. Utplurimum transparet tumor æque ac hydatides & hydrocele, ita ut ille inter oculum atque lucem positus, quammaxime pelluceat; magis in fœtu, in quo cutis admodum tenuis est, adeoque amplius extenuatur: Interdum vero opacus magis observatur, nunc partim pellucidus est, partim opacus, nunc multum opacus. Vid. *Muys* l. c. *Dec.* IX. *obs.* 5. si quid puri continet, uti & si quid carnosi intus alit, minus transparens est, item ubi crassior est cutis. Contingit quandoque maxime in iis, qui in dorso oriuntur & in spinam hiant, ut cutis aliquo in loco & quidem eminentiori deficiat, quem defectum pellicula quædam tenerrima subjecta supplet, quæ nil aliud esse videtur quam involucrum spinalis medullæ, & productio meningum, hinc etiam, si infans tumori incumbit, vel si ille aperitur, aut ligatur, non tantum dolores excitantur, sed etiam convulsiones facillime subsequuntur, dum alias, si tantum sub cute latet, indolens est tumor, hæc quippe sine sensibili dolore extendi mirum in modum potest, de qua re mulierculæ gravidæ satis loquuntur. Quoad tactum mollis est hic tumor, durior vero, si carnosi quid intus hæret, utplurimum æqualis superficiei, quamvis etiam, uti in differentiis annotatum, sæpius sit inæqualis & rugosus. Digitis pressus cedit, sed mox restituitur, neque vestigia sui vel foveas post se relinquit, & si pressio ultro citroque & successive in partes oppositas fit, fluctuatio contenti liquoris manifeste apparet. Color cæteroquin reliquæ cuti similis est, nisi quod propter insignem expansionem pellucidior & subtilior reddatur. Illo in casu, ubi in medio tumoris deficit cutis, subtilissima reperitur membranula, per quam omnia, quæ intus sunt abscondita, translucent, & tanquam per vitrum opticum conspici queunt. Si gangræna corripitur, quod sæpius accidit, uti aliæ etim partes eodem malo affectæ, rubicundum ac lividum induit colorem. Adest alvi fluxus, & diarrhoea, languor item totius corporis, ob functiones animales impeditas, imo contabescentia & atrophia tandem supervenit, quia lympha, quæ proximum corporis nutrimentum est, hic extravasata partes privantur, vid. *Bohn. Circ. Anat. Progymnas.* VII. de nutrit. Præcipue accedit stupor & paralysis artuum inferiorum illorumque marcor, quod tamen symptoma non omnibus individuis supervenit, uti infra de causis dicetur. Reliqua signa conveniunt cum hydrocephalo, qui magnam cum hisce tumoribus habet affinitatem, id quod inde etiam patet, quod sæpius ille conjunctus sit cum abscessu spinæ dorsi, tumore lumborum seroso & spina bi-

bifida, sæpius etiam macula quædam in dorso hydrocephalicorum appareat in tumorem excrescens, quæ omnia ab aqua in cerebri ventriculis stagnante, & per spinalem medullam cuniculos agente proveniunt, uti id observavit *Ill. Brunn.* C. N. C. III. 1. & 2. obs. 152. conf. *observ. supr. cit.* E. N. C. II. 2. obs. 158. Et uti in hydrocephalo cerebrum vel magna ex parte deficit, vel in humorem quasi resolutum cernitur, vid. E. N. C. III. 1. & 2. obs. 10. ita medulla spinalis in tumoribus serosis pari modo affecta reperitur, uti id inspectio anatomica hoc morbo demortuorum plus una vice docuit. Sic & facta ruptione spontanea, vel apertione artificiali hydrocephali, una cum liquore effluente anima emigrat, de qua periculosa apertione multa habet *Fabric. Hildan. Cent. III. obs.* 17. quod æque in nostro affectu observatur. Denique annotari meretur, quod aperto tumore lumbari interius eadem fere facies appareat, qualis est ventriculorum cordis & auricularum, pluribus fibris & columnulis nerveis, à vertebris lumbaribus ad cutim tendentibus, imo & membrana quædam firma præter cutim humoris involucrum cernatur, quæ verosimiliter nil aliud est, quam dilatatio involucrorum vertebralis sive spinalis medullæ, si spina fissa est, sin minus, membranæ musculorum dorsi propriæ portio.

§. VIII.

Infestantur hoc affectu præcipue fetus, qui utero materno adhucdum inclusi, & imperio imaginationis maternæ subjecti sunt, quæ læsa e vestigio fœtui labes affricatur. Contingit vero etiam interdum tunc demum, cum in lucem prodit infans, præcipue si modo quodam præternaturali dorsum nimis comprimitur, vel caput circa regionem pubis aliquandiu hæret, unde facile ejusmodi hydrociste excitari potest. Ii, qui sunt dispositionis tenerioris & gracilioris corporis, præ aliis huic malo obnoxii sunt, imprimis si parentes phlegmaticæ constitutionis sunt atque serosæ, à quibus illa temperies in prolem derivatur. Adde, si vertebræ nimis molles, & facile separabiles, ligamenta vertebras colligantia plus debito flexiles, ossa bregmatis & occipitii justo teneriora, & omnes reliquæ partes graciles generantur, qua de causa mirandum non est, positis modo dictis, aliqua ossa cranii vel processus spinatos rumpi, vel levissima causa dehiscere atque à reliquo corpore separari, & sic à serosa colluvie tumores, hydrocephalum, spinam bifidam &c. produci. Rarissime hic morbus adultiores aggreditur, de quibus tamen quædam exempla vid. in *Dissert. Inaug. De spina bifida Altorf.* 1703. habit. §. 9. Conf. *Barthol. Hist. Cent. I. obs.* 30. Laudatus quidem scriptor hunc affectum abscessum vocat, verumenimvero eum nil aliud quam ejusmodi tumorem fuisse ex descriptione abunde patet.

§. IX.

Partes, quas hi tumores occupant, frequentiſſime ſunt regio lumbaris, imo & illa dorſi, qualem inter utramque ſcapulam depinxit *Muys. chir. ration. Dec. IX. obſ.* 5. Frequentius in medio, ubi vertebræ occurrunt quam à latere, quoniam ſæpius ſpina bifida conjuncta eſt, quo in caſu involucra medullæ tumorem formant. Rarius in nucha vel occipitio oriuntur, quod ſemel vidiſſe & ob rei raritatem partem in muſæo ſuo aſſervare perhibet *Ruyſch. obſ.* 34. præter hunc, *Job à Meckren obſ. med. chir. c.* 7. ſimilem nobis reliquit caſum in filiola. Quo & is à *Pract. quodam Wurtenbergico Dn. Præſidi* communicatus merito referri meretur. Liceat hic proferre duo admiratione digna, quorum primum eſt, quod ſerum in horum confiniis ſæpius tam copioſe ſecretum, non frequentius ibidem excitet ejuſmodi excreſcentias, ſecundum vero quod raro ſimiles tumores circa os ſacrum generentur, ob naturalem oſſis ſacri conformationem, qui ſpinæ bifidæ inſtar ſede poſtica hiat, & in duas quaſi partes diviſum eſt. Obſervationem tumoris & ſpinæ bifidæ in dicto oſſe notatu digniſſimam nobis exhibet *Bidloo Exercit. Anat. Chir. Dec. II. diſſ.* 7. in infante, in quo ſimilem tumorem ſeroſum cum oſſe ſacro dehiſcente ſeu diviſo poſt ejus mortem diſquiſitione Anatomica detexit. In quo etiam medulla ſpinalis, & nervi à parte poſtica nullo munimento oſſeo tecti erant, ſed tantum membranaceis involucris involuti. Quo licet poſito, nempe *deficiente munimento in medulla ſpinali infantem per aliquod tempus vivere, augeri & moveri poſſe, neque rationi neque experientiæ refragatur.* vid. ibid. p. 190.

§. X.

Converto me jam ad cauſas, quarum primaria & immediata eſt extravaſatio ſeri atque collectio ejus in loco quodam extraordinario, hoc cum diſcrimine, quod in aliis tumoribus p. n. à ſero oriundis, illud e vaſis lymphaticis immediate proveniat, in his vero plerumque prius ſerum in ventriculis cerebri colligatur, & ex iis demum per medullam ſpinalem in tumorem depluat, vel in occipite ſtatim in illum tranſeat. Sic & *Muys Dec. IX. obſ.* 5. obſervavit, *tubulos quoſdam in membrana ſaccum formantes, qui aquam ſuppeditarint, & e quibus hæc aqua quotidie profiliebat, quæ tamen paucis ante obitum diebus fluere deſiit. Canales hi poſt mortem conſpiciebantur in ſpinæ dorſi cavitatem penetrare.* Caſus *Dn. Præſidis* in hoc à reliquis differre videtur, quod non ſolum proceſſus vertebræ poſtici maxime ſpinatus dehiſcebant, uti *Ruyſch. fig.* 37. *obſ.* 34. icone exhibet, ſed & corpus foramine ſatis magno pertuſum erat, per quod vas lymphaticum ex abdomine verſus dorſum tranſiens tumori materiam ſubminiſtra-

nistrabat. *Ruysch.* l. c. malum derivat à medulla spinali, si cum spina bifida illud conjunctum est, ejusque transmutatione in substantiam aqueam, quæ extrorsum protuberans & in humorem resoluta tumorem formavit. In *Epistol. problem. XII.* vero, bene etiam notat, *se non raro observasse in recenter natis proventum laticis in cerebro, imprimis in ventriculis tam copiosum, ut hic versus spinalem medullam descendendo inter dorsi vertebrarum processus spinosos, eo tempore quo fetus in utero exiit, adhuc cartilagineos & facile dehiscentes erumpens, ingentem ibi tumorem magnitudine pugni excitaverit.* Quod parum à nostra sententia recedit. Oritur autem ejusmodi copiosa seri secretio à mala organorum constitutione, & obstructione viarum, lympham deorsum derivantium, & per quas excerni debent aquæ in cerebri ventriculos depositæ, quæ probabiliter sunt infundibulum, glandula pituitaria, plexus choroideus &c. E. N. C. III. 1. & 2. obs. 152. dum enim serum copiose affluit, nec refluere potest, cerebrum inundari necesse est, quod *Pechlin. Lib. I. obs. 61.* experimento comprobavit atque cognovit, *scilicet si vitulo semimortuo venæ jugulares ligentur, hydrocephalum generari, adeoque à remissa circulatione lentiusque eunte sanguine idem fieri, probabile esse.* Utrum vero lympha per vasa lymphatica ad cerebri cavitates deferatur, & an in cerebro ejusmodi vasa revera existant? Hic decidere nostrum quidem jam non fert institutum. In dura matre illa affirmat *Pacchion. Dissert. Epist.* recens. in E. N. C. *Cent. I. & II.* app. p. 130. *Ruysch. Thes. Anat. VII. Tab. II. Thes. IX.* p. 39. sqq. *Thes. X.* p. 9. vasa lymphatica in cerebro negat, dari tamen in eodem, hydatides imprimis in animalibus brutis, quæ à multis nil aliud esse, quam vasa lymphatica propter inibi stagnantem lympham dilatata creduntur, præter experientiam modo laudatus Pacchioni stabilitum ivit. Qui plura de secretione & excretione lymphæ desiderat, adeat *ejusdem dissert.* ad *Joh. Fantonum de dur. mening. ejusque glandul. struct. & usib.* conf. *Ridley* in E. N. C. III. 9. & 10. app. p. 107. sqq.

§. XI.

Facillime etiam ad generationem horum tumorum ansam præbere potest insolitus infantis in utero materno situs, si nempe ille capite valde demisso est, quippe in tali collocatione lympha æque ac alii humores ad caput magna in copia ruunt, unde facillime aliqua in parte stagnatio & obstructio oritur, qua facta, lympha abundans vel caput inundat & hydrocephalum parit, vel exitum quærit sive per cranium sive medullam spinalem, & sic excrescentiam quandam ibidem format. conf. *Ill. Brunn. de gland. Pituit.* c. 5.

§. XII.

Sic & partus difficilis non parum ad nostrum affectum producendum

confert; capite enim in carceribus offis pubis diu hærente collum & venæ jugulares quasi strangulantur, unde humoribus a capite refluere non valentibus, stagnatio seri in cerebri ventriculis contingit. His si accedit, ut dorsum fetus nimium incurvetur, vel alio modo vertebra dissolvatur, humores accumulati medullæ spinalis involucra distendunt, & in tumorem elevant, in opposita vero parte medullam comprimunt, nervorumque, qui ad artus inferiores tendunt, actiones impediendo, symptomata varia in iisdem partibus producunt, ad quæ symbolum etiam suum confert illud, quod lympha, quæ alias ad partium nutrimentum destinata est, in tumorem feratur, unde illarum marcescentia oritur. Et si medullæ portio inferior vel à latice seroso corrupta est, vel omnino deficit, necessario artus inferiores paralysi tentantur, quale quid etiam observavit *Just Schrader. Obs. Anat. Med.*

§. XIII.

Si tumor in lumbis vel dorso occurrit, plerumque vitium conformationis in utero contractum subest, & in spina dorsi vertebrarum dehiscentia observatur, quod spinæ bifidæ nomine insigniri solet, de qua *pecul. Dissert.* 1703. *Altorf habita* prostat. Cui minime annumeranda illa conformatio spinæ p. n. qua ita bipartita est, ut duplicem spinam referat, id quod in monstris bicipitibus & biventribus frequens est, nulla enim in tali casu spina fissa est, neque hiatus in medullam transit, quæ tamen specialissima sunt spinæ bifidæ signa. Porro probe etiam notandum non semper plures numero vertebras ita bifurcari; vel dehiscere, sed interdum non nisi unicam læsam esse, qualem casum exhibet *Ruysch. obs. med. chir.* 36. etsi largiamur, plura horum ossium utplurimum huic malo exposita esse. In plerisque ejusmodi ægrotulis tumor solum in cavitatem spinæ dorsi hiat, integro manente corpore osseo vertebræ, quod quidem *Ruysch.* in omnibus fieri pronunciat, & omnino negat, *vertebras unquam ita bifurcari, quasi penitus essent divisæ, sed dehiscere tantum, à parte posteriore circa processus spinosos*, eamque aperturam nonnunquam etiam tam exiguam esse, ut vix ciceris semen admittat, stylumque non nisi in cavitatem spinæ dorsæ sursum deorsumque adigi posse. Nihilominus tamen experientia comprobat, sæpius etiam inveniri vertebras adeo à se invicem distantes, ut facili negotio stylus imo digitus cavitati abdominis immitti possit. Uti id ex observatione *Dn. Præsidis* & nostra elucescit, neque nobis tantum adeo felicibus esse contigit, sed etiam *Muys Dec. XI. obs. 9.* tale exemplum recenset, in quo pariter tumor cum abdominis cavitate communicavit, utpote qui post mortem nihil aquæ continuit, sed omnis in abdomen refluxerat, quod valde inde tumebat. Merito hic etiam allegari meretur stupendus iste spinæ bifidæ casus, quem nobis exhibet *Godofr. Bidloo* loc. super cit. *Tab. IV.* in quo totus vertebra-

tebrarum dorsi lumborumque tractus à parte postica apertus erat, ut medulla spinalis à munimento osseo nuda conspiceretur, vertebræ vero tres inferiores colli à se invicem multum distabant. Si tumor ab occipitio propendet, vitium conformationis plerumque in cranio occurrit, quale detexit observatio anatomica *Job à Meckren* c. 7. quippe in cranio eximia erat apertura rotunda, figura ab Auctore expressa, ejus amplitudinis, cujus collum tumoris fuerat. Membrana tumoris duræ matri continua erat, cujus productio fuisse videtur. Aquæ e sinu longitudinali superiori seu falciformi profluebant in tumorem, quæ, uti Autor suspicatur, eo venerunt e ventriculis cerebri. Tantus erat in hoc casu decubitus laticis serosi ad caput, ut ischuria superveniente infans intra 4. vel 5. dies nihil prorsus urinæ emiserit.

§. XIV.

Conformationi huic vitiosæ æque ac aliis in universum frequentissime ansam præbet perversa matris gravidæ imaginatio à terrore, ira, infortunio inopinato &c. Præ aliis afficit lapsus supinus in dorsum vid. *Histor. Morb. Uratislav.* 1701. p. 288. maxime si post lapsum parti læsæ manus frequenter admovet prægnans, & sic dolorem aliquatenus demulcere studet. Vel etiam continuo de parte affecta cogitat, unde imaginationi idea fortior imprimitur. Sic & ab ictu in dorsum indeque vulnere oborto, ab incurvatione extraordinaria, vel alio nisu validiore, vel quacunque causa vim vertebris inferente ut frangantur. Neque semper magna vi opus est, utut enim à minore virtute agente in matre non frangantur hæc ossa, franguntur tamen in fetu, in quo mollia valde sunt, vel potius deformantur, quia non tam ruptio, quam, ob illorum lubricam constitutionem, à se invicem secessio contingit. Auditus de ejusmodi affectibus p. n. discursus imaginationem fœminarum non parum etiam invitat ad ejusmodi malum, maxime viso ex improviso infante tali labe affecto, quæ misero fœtui postmodum imprimitur, cujus rei tot mira & multiplicia quotidie documenta occurrunt, ut dies citius quam scribendi materia nos deficeret, si in campum hujus tractationis excurrere vellemus. Maximam enim imaginationis vim esse in deformando fetus corpore tam cognitum est, quam ignotus fiendi modus. Si principiis Stahlianis inhærere volumus, statuendum nobis est, ipsam matris animam, quæ corpus struere & partes formare creditur, possidere quoque potentiam, has deformandi, illud destruendi, sicque malæ conformationis matrem evadere, quæ tamen hypothesis nodum huncce gordium non satis solvere videtur. Animam corpori unitam esse nemo ignorat, qua vero ratione ad nutum animæ corporis motus fiant, & quanta sit matris & fetus connexio, ut hujus imaginatio non proprio corpori, sed illi fetus labem affricet, explicatu arduum est! Nostro in casu evidentissima

fuit hæc imaginationis vis; in secundo nempe, quem cum tumore ferofo mater peperit, infante. Cum enim primum semper ob oculos haberet, & partim commiseratione, partim sollicitudine animi teneretur, aliter fieri non potuit, quin imaginatio excitata, ideæque quovis momento resuscitatæ & tanta vivacitate phantasiæ insinuatæ fuerint, ut simili labe alterius, qui XV. menses post nascebatur, corpus fœdaretur. Ubi miratu non indignum est, non modo tumorem externum, qui semper matri obversabatur in altero infante repullulasse, sed & spinæ foramen atque hiatum, qui tamen matri in conspectum nunquam venerat, quia post mortem non aperiebatur, unde nullam ejus ideam habere poterat. Sic & alia peperit fœtum cum spina bifida, postquam vituli vel alius cujusdam animalis vertebras securi in longum a lanione diffindere vidit. Imo quanta sit maternæ phantasiæ vis ad deformandum embryonis corpusculum satis superque eluceseit exemplo isto memorabili, quod *Malebranche* in aureo de *Inquirend. Veritat. Tract. Libr. II. de Imagin. Part. I.* c. 7. refert, *erat nempe in Nosocomio Parisiensi, les incurables dicto, Juvenis ab utero mente captus, omnibusque membris fractus, iis in locis ubi frangi solent ii, qui hoc supplicii genere afficiuntur, perque XX. annos in eo statu vixit.* Ansam huic malo præbuit, quod mater viso ejusmodi supplicio, commiseratione mirum quantum tacta fuerit, & ita affecta, ac si cum misero illo omnes carnificis ictus sustinuisset, qui ictus imaginationi impressi in corpusculum fetus utpote tenelli, non æque in illud matris, quod robustius erat & firmius impetum fecerunt. Ut plura exempla miratu sane digna, quæ hinc inde occurrunt, silentio prætereamus.

§. XV.

Prognosticum ejusmodi tumorum quod spectat, illud utplurimum funestum est, & vix datur malo remedium si tumoris membrana, vel cum meningibus, vel cum spinali medullæ involucris cohæret, & cum partibus interioribus communicat. Quo in casu non tantum facillime gangræna & sphacelo illa corripitur, sed etiam cerebrum atque medulla spinalis ab aquis ibi stagnantibus corrumpuntur, ita ut convulsiones, atrophia, lipothymiæ subsequantur, ac mors denique scenam claudat. Neque cura ideo locum habere potest, quod lenia medicamenta non sufficiant, fortiora vero vel nimio impetu ferum repellant ad partes nobiliores, & cito ægrum jugulent, vel tumorem aperiant & exulcerent, quo rupto sive etiam arte aperto mortem accelerari multiplex experientia, uti & *Ruyschius* in omnibus observationibus supra allegatis edocet. Corpus enim contabescit post aquarum effluxum, vires magis magisque deficiunt, usque dum consumto calore nativo placide exspirent miselli. Curatu itaque difficiliores sunt in dicto casu hi tumores, ne dicam impossibiles, præcipue in utero materno contracti, quia plerumque subest vitium conformationis, quod cor-

corrigere in artis poteſtate non eſt. Id quod etiam modo laudatus *Ruyſch. obſ.* 34. pro incurabili malo habet: *nemo inter eos*, inquiens, *quos tractavi hactenus infantes evaſit, nec unquam ab aliis curatos percepi. Et non niſi palliativa cura locum habet.* Quo remotiores ſunt à capite, eo diutius vivunt infantes, unde etiam *idem* memorat; *ſe nullum vidiſſe tamdiu ſuperſtitem infantem, quam illum qui in oſſe ſacro tumorem geſtarat.* Nec ſine ratione, quoniam ibi locorum neque medulla neque ejus involucra adeo tenera & mollia ſunt, uti in ſuperioribus partibus. Idem luxationes vertebrarum quoque teſtantur, quæ ſi in ſuperioribus contigerunt, magis periculoſæ ſunt, quam in inferioribus vertebris. Lympha quoque ob decliviorem mali ſitum nobiliores partes præterlabitur, & hinc non tam cito corruptionem atque putredinem illis infert, quam ſi ibidem ſtagnaret. Quandoque illi, qui ab occipitio dependent, in utero materno ad inſignem excreſcunt molem, unde non parum difficilem reddunt partum, non vero omnino iſtum impediunt. Si malum non eſt à nativitate, quod tamen rarius contingit, nullum conformationis vitium ſubeſt, fœtuſque vegetus, robuſtus & alacris eſt, tunc curatio locum habet, & ſpes ſanationis non omnino eſt abjicienda, quod ipſum obſervatio ſupra §. IV. memorata, non minus ac illa in E. N. C. II. 5. *obſ.* 208. confirmant. Hoc ſi accidit, ruptio ſeu apertura non tam periculoſa atque lethalis obſervatur.

§. XVI.

Medela ergo, quam noſter affectus poſcit, duplici modo eſt inſtituenda. Deſperatum malum non niſi leniter tractandum, ne exacerbetur, & non alia omnino via datur, præter palliativam curationem. Quam ob rem idem fere monitum locum hic habet, quod alias de cancro in ore habent medici, occulti & non ulcerati ſunt tractandi, ne exulcerentur, exulcerati, ne ulterius ſerpant, ita his tumoribus non apertis blandiendum, ne aperiantur, aperti quantum in arte poſitum eſt, recludantur, & cicatrizentur, niſi prius mors ſupervenerit, quæ poſt ruptionem utplurimum intra 3. vel. 4. dies preſſo ſequitur pede. Contingit autem hæc ruptura a mole tumoris & aquis deorſum gravitantibus, quæ facili negotio tenuem iſtam pelliculam, apicem tumoris occupantem, perforare valent; ſic etiam frequens & repetitus attactus, imo ipſe partus, ſi in iſto multum comprimitur tumor, ruptioni ejus anſam præbere poteſt. Quid quod medicamenta emollientia, quæ ſæpius ex ignorantia chirurgorum indiſcriminatim adhibentur, multum ad ipſius aperturam conferant, præcipue ſi ſerum propter diuturnam ſtagnationem acrimoniam forte contraxerit. Sed quid dicam de ſpontanea horum tumorum apertione? Facta inciſione iſta non raro ſtudio promovetur, & ſic miſelli jugulo cultrum apponitur, cui ſuffragatur *Nic. Tulp. Obſ. Lib. III. c.* 29. ſerio ab inciſione ejuſmodi tumorum dehortatus, dum: *cave ſis*, inquit, *i- provi-*

de

de utquam aperias, quod tam facile occidit hominem. Ex mox: *Fuge potius in re tam ancipiti ad emplastra & fomenta discutientia, quam ad sectionem, vitæ humanæ adeo perniciosam.* Et Ruysch. *Obs.* 34. *Nullus eorum, quibus adfui & sua sponte vel sola acu erupit aqua in tumore contenta, evasit, sed omnes fere paucis post diebus exspirarunt.* Quod in seqq. *Observationibus* denuo inculcat, his verbis: *cito moriuntur fetus, quibus dicti tumores aperiuntur.* Idem quoque fatum experta est puella illa, cujus brevem historiolam supra tradidimus, post apertionem, *Dn. Præside* licet reluctante, factam. Id quod allegasse & candide profiteri nos non pudet, alieni hoc in passu à multis observationum scriptoribus, qui in monumentis suis plerumque ea tantum affectuum p. n. exempla nobis reliquerunt, in quibus morbus ex voto tum medici tum ægroti successit, & omisisse videntur omnia ea, in quibus res male cessit. Quo nomine à Cel. *Stahlio Propempt. de Curat. in Chart.* & de *Histor. Med. Pract.* maxime commendari merebatur *Petr. Foresius*, & præter hunc *Lælius à Fonte*, quod eventum morborum, malum non minus quam bonum proposuerint, quo hunc medici practici imitentur & sequantur, illum vero ut scopulos praxeos evitare discant. Conveniunt autem hac in re nostri tumores apprime cum hydrocephalo universali, quamvis alias ab illo differant; confirmat quippe *Nuck. Operat. Chirurg.* 17. incisione & perforatione nullum hydrocephalum restitutum, sed omnes, in quibus instituta fuerit operatio, extinctos fuisse. Si nempe tumor commercium habet cum partibus internis & aquæ intra cranium fluctuant, si vero externis tantum adhæret, prostant exempla affectus hujus curati. vid. *Jo. Bapt. Lamzweerde Append. ad Scultet. Armam. chir. obs.* 33. quemadmodum etiam de nostri tumoris felici apertione exempla prostant, nulla mala conformatione cranii aut spinæ dorsi intus latente. vid. E. N. C. II. 5. obs. 208.

§. XVII.

Ligatura pedunculo tumoris injecta malum aliqui curate moliuntur, tum affluxum humorum præpediendo, tum cutim & membranas serum continentes nutrimento suo privando, quo emorerentur & abscederent. Sed gravia plerumque symptomata huic pariter methodo superveniunt, alii incidunt in convulsiones, quod & nostra in observatione propria accidit, maxime si portio medullæ spinalis foras exit, & in tumorem se insinuat. Alii vero, si tumor in occipitio existit, eadem experiuntur symptomata, quæ filiolæ *Job* à *Meckren* à vinculo injecto obortæ, scil. cæcitas & frequens animi deliquium. Merito etiam huc referendus ille casus supr. ex *Foresto* alleg. qui ibidem narrat, *se a manuali operatione abhorruisse, à chirurgi vero asseverationibus, contendentis, ligaturam minus periculi alere, quam incisionem, eo tandem inductum esse, ut duplicem*

plicem ligationem concederet, qua perpetrata aliquot diebus post, facta levi eschara & parte acuminata tandem rupta, aqua inde effluere cepit à levi & molli compressione, non una sed pluribus vicibus & paulatim tentata, ut viribus ægri parceretur, sed addit: *statim à perruptione infantem pejus habere cepisse, ut paucis interjectis diebus mammillam non sugeret, & magis magisque flaccescente tumore, nocte insequente exspiraret.* Sub calcem ingenue fatetur, rari candoris Auctor, *se posthac consultius à talium tumorum sive ligationibus, sive incisionibus abstinere velle, neque etiam concessurum chirurgo, ut tale quicquam suscipiat.*

§. XVIII.

Restat ergo altera methodus ex fonte pharmaceutico desumta, qua hicce affectus, si signa & indicia bona sunt, sanari potest, si vero nulla perfectæ curationis spes supersit, ad minimum ad aliquod tempus ægrotulo levamen affertur, quæque non tam cito jugulat, uti intempestiva tumoris apertio. Interne itaque commendanda sunt eadem medicamenta, quæ in hydrocephalo præscribi solent, videl. aquas educentia, vel per alvum, ubi prosunt phlegmagoga, vel per diaphoresin, vel per vias urinarias. Ad primam classem spectant: jalapp. mechoacan. gratiol. fol. senn. manna &c. Hinc forsan seq. formula, quæ etiam diuresin simul promovet, multum præstabit.

℞. Pulv. rad. jalapp.
C. C. phil. præp. aa. grij.
℈. Junip.
Genist. aa. grj

M. f. pulv. pro tribus dosibus infanti 2. annorum dandus. *Manna calabrina* purior, pulti aut ptisanæ ordinariæ addita, & tenellis propinata, quantitate plus minus aucta ʒij. ad ʒß. pro scopi vel ætatis ratione, suaviter & blande alvum laxare solet. Neque ☿. dulcis rite præp. hic omittendus, qui ad aliquot grana exhibitus egregie phlegma educit. Hoc vero probe notandum, quod ejusmodi purgantia sæpius repeti debeant; alias speratus eventus nunquam respondebit. Diaphoretica, præcipitantia & imprimis etiam diuretica conjungantur, aut interponantur: e. g. ocul. 69. Corall. r. C. C. phil. præp. ♃. diaph. sem. viol. mart. &c. in forma pulveris exhibeantur, vel cum aqua petroselin. Scabios. fumar. ononid. fragar. &c. f. mixtura, cochleatim exhibenda. An pulvis bufonum alias in affectibus hydropicis tantopere delaudatus, hic etiam ad aliquot grana datus, quid præstet, experientiæ relinquendum. His si confortantia, tonica atque nervina addantur, meliorem præstabunt effectum. Laudem autem hic merentur ∽. C. C. succinat. specif. Ceph. Michael.

▽. & ſir. de cinnamom. ⊖. ſuccin. vol. mixtur. tonic. nervin. ſtahl. &c. In Diæta vitetur nimius potus, e contrario proſunt Lac bonæ notæ neque nimis aquoſum, amygdalata, juſcula cochlear. Capon. cancror. fluviat. aliaque alimenta nutrientia & quæ corporis extenuationi reſiſtunt. Quod regimen mater quoque probe obſervet, quæ ſi tempore graviditatis animo eſt tranquillo, non iræ, terrori aut phantaſiæ indulget, multa etiam præcavere poteſt mala. Interna autem ſola in hoc malo non ſufficiunt, niſi ſimul jungantur topica, quæ vel adſtringendo & confortando, vel reſolvendo & diſcutiendo, vel exſiccando ſuccurrant, ægro ſedulo tamen cavendum, ne repellatur humiditas, hæc quippe in maſſam ſanguineam tranſiens, peſſima ibidem ſymptomata parit. Quare interna ſimul exhibeantur, quæ aquas diſcuſſas & reſolutas ex corpore eliminant. Conveniunt autem præcipue fomenta ex herbis ſic dictis cephalicis, corroborantibus, nervinis, e. g. ſalv. beton. origan. lavend. majoran. roremar. ſem. carv. &c. in vino generoſo coctis addatur parum camphoræ, & calide ſæpius applicentur. Sic & D. D. *Lentilius*, *Patruus meus maxime devenerandus in Miſcellan. Med. Pract. Part. I.* p. 72. in hydrope cerebri lixivium, ex ejuſmodi herbis & ſpeciebus compoſitum, adhibuit:

℞. Lixiv. Quern. q. v.

cui ſeqq. incocta:

℞. Herb. ſalv. beton.
majoran. roriſmar. a a. mj.
fol. laur. flor. lavend. aa. mß.
Bacc. laur. junip. aa. ℥ß.

His lavari poteſt tumor. Uſum etiam præſtabit ſeq. Unguentum, quod *Verduc* in Rhachitide tantopere deprædicat:

℞. Fol. ſambuc. laur. majoran.
Salv. roriſmar. beton.
Lavend. aa. mij.
Bacc. junip. laur. aa. ℥j.

Conc. & cont. adde
Butyr. rec. ℔iij.
⌒ vin. rectif. ℥vj.

Coqu. leni ▽. donec ſpir. vin. conſumtus, calide expreſſo addatur
Ol. N. M. expr. ℥ß.
Balſam. peruv. ʒj.

M. f. Unguentum, quo inungatur tumor & bis vel ter per diem repetatur. Loco butyri ſi medull. bovin. vel ſev. cervin. addito ♁ lumbric. ſeu vulpino recipitur, majorem acquirit virtutem. Superimponantur ſplenia ſpir. vin. rectif. matrical. camphor. lavendul. aq. regin. hung. anhaltin. imbuta, vel etiam ſacculi ex ſupr. enumeratis herbis parentur, & dictis ſpirituo-

tituosis irrorentur. Locum etiam hic habet cataplasma, quod *Nuck. operat. chir.* 17. in hydrocephalo commendat:

℞. Pulv. rad. cucum. asin.
Irid. aa. ℥ß.
Sem. cumin. ℥j. Farin. fabar. ℥ij.
Flor. meliss. anthos q. v.

F. c. Vino rubr. cataplasm. parti affectæ applicandum. Hildanus memorat, se curasse ejusmodi tumores applicatione Aqu. Calc. viv. sæpius repetita, quæ vel sola adhibetur, vel cum Spir. vin. miscetur, addito parum Alumin. Balnea sic dicta vaporosa seu Laconica æque conducunt, dum scil. vapor Spir. vin. accensi vel aliorum ∽ vosorum cum supr. laudat. herb. coctor. ad partem affectam derivatur, ejusque dissipatio in auras cohibetur circumpositis linteaminibus. Præ omnibus arceatur frigus, & in continuo calore tumor conservetur, qui solus plus sæpius valet, quam omnia reliqua medicamenta. Hac ratione ægrum in Ducatu Würtembergico, de quo supra, feliciter curatum esse *Dn. Præsidi* relatum est. Tumorem videl. intra 14. dies penitus evanuisse, primo regimine calido, quo mediante a frigore omni studio pars affecta muniatur, deinde suffumigiis e pulv. cort. cydon. prunis candentibus impositis, fumo exhalante vitta sive mittella, densiori gossipio probe munita, excepto. Ejusmodi suffumigium adstringens seq. modo etiam parari potest:

℞. Flor. Balaust. Rosar. r.
Nuc. Cupress.
Scob. Lign. Quern.
Cort. Granat. aa. mß.
Mastich. Succin. citr.
Thur. Asphalt. aa. ℈ij.

Incis. & Cont. gross. mod. D. ad Ch. S. Species *zum Räuchern.*

Applicentur denique etiam exsiccantia, quæ sive in forma pulveris vel sub alia adhibeantur, quo aquæ per poros cutis sive, si tumor jamjam apertus, exsiccentur, & ulterior affluxus cohibeatur, Huc trahe sacch. ℏni Cerus. Cret. Bol. Armen. Tut. præp. Amyl. Pulv. fabar. tost. &c. Tandem etiam Emplastica in hoc malo quam maxime proficua sunt, ex adstringentibus ac carminativis composita, præcipue si tumor antea ∘.∘ Chamomill. vel supra allegato Unguento inunctus fuerit. Et quamvis *Muys* Dec. XI. obs. 9. doceat, Emplastr. adstringens in causa fuisse, ut tumor crescceret, pars pellucida in carnosam & opacam mutaretur, & post mortem totus carnosus deprehenderetur, attamen si medicamenta conjunguntur, quæ sensim aquas exsiccant atque discutiunt, non facile sinister inde sequetur eventus, Hoc tamen in illorum compositione non est negligendum, ne nimis tenacia conjungantur, si enim multum adhærent, periculum est, ne dum removentur tumorem aperiant. Præ aliis autem prosunt Emplastr. de Cumin. Diapomphol. vel ℏnum Mynsicht. vel de

Bacc. laur. c. ſtercore Caprill. quibus ſi addantur pauca adſtringentia, non poſſunt non egregium edere effectum. Exemplo ſit ſeq. formula.

℞. Emplaſt. de Bacc. Laur.
ℏnin. Mynſ. aa. ℥ß.
Croc. ♂ adſtring. ʒiij.
Pic. Therebinth. aa. q. ſ.
M. f. l. a. Emplaſtr.

Vidus Vidius de Curat. lib. V. c. 9. ad tumores, qui fiunt ab humore aqueo, maxime commendat Sem. ſinap. Urtic. ♃ rad. ariſtoloch. rotund. c Gumm. Bdell. ✳ Cer. & Ol. antiqu. aa. ʒij. *vel* Sem. Sinap. Urtic. ♃ ariſtoloch. rot. ſpum. maris, Gumm. Bdell. aa. ʒj. ✳. o°o. antiq. Cer. aa. ʒij. *Maur. Hoffmann.* ejuſmodi tumorem poſt levem inciſionem Emplaſtr. ex Diapalm. & Stictic. Croll. c. Ol. Hyperic. malax. confecto curavit, cute tandem in rugas contracta ibidem remanente vid. E. N. C. II. 5. obſ. 208. Omnibus hiſce rite applicitis, Faſciationes etiam locum habent, uti in aliis hydropis ſpeciebus, ita & in ejuſmodi tumoribus ſeroſis, de quibus vid. *Diſſert. Wedelii de uſu ligat. in hydrop.* Si tumor eſt in occipitio locum habet illud faſciæ genus, quod in hydrocephalo familiare eſt, & Latinis pileolus ſive Capitalis, Gallis Capeline audit, quo tumor obvolvitur & comprimitur, ſicque affluxus ſeri aliquo modo refrenatur, a nimia vero compreſſione abſtinendum, ne rumpat. Quod tumorem dorſi vel lumbalem attinet, faſcia commode applicari nequit, niſi totum corpus faſciis involvere velis. Cæterum omni modo cavendum, ne infans, dum portatur vehementius concutiatur. Quod ſi omnia hæc recenſita irrita ſunt, confugiendum ad veſicatoria, quæ ut in hydrocephalo pone aures ac in nucha ſunt applicanda; ſed ſi eo deveniendum, utplurimum jamjam ad mortem properat æger. Ne autem Medicus aliquid omiſiſſe videatur, pergat confortantibus ac cordialibus, uti & ſi convulſiones inſtant, antepileptica exhibeat, ſi alia ſymptomata ſuperveniunt, iis quoque occurrat. E contra, ſi ſupra enarratis remediis tumor cedit cum euphoria infantis, præcavendum eſt, ne uti in aliis hydropis ſpeciebus novus aquarum proventus tumorem repleat, & malum, elapſo aliquo temporis ſpatio, recurrat ac priſtinum locum occupet. Huic occurri poteſt, ſi aperientia, attenuantia, & viſcera corroborantia, curato etiam malo, continuantur, neque applicatio Topicorum ſupra recenſitorum omittatur, donec omnino nil metuendum. Sicque toti curæ imponatur

FINIS.

DISSER-

Landesbibliothek Oldenburg

CLI.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
TUMORIBUS CYSTICIS
SINGULARIBUS.

Præside

LAURENT. HEISTER.

Resp.

BENED. ANDREA FRIESSE

BRANDENBURGICO-ONOLDINUS.

Helmstad. 22 Decemb. 1744.

Landesbibliothek Oldenburg

IN proverbio eſt : *ex Africa ſemper aliquid novi.* Sicuti vero hoc quam veriſſimum eſt, ut ex hac regione adhuc hodie quam ſæpiſſime omnis generis nova ſive antea nobis haud viſa & incognita, cumprimis animalia & vegetabilia antea nobis ignota atque in Europa haud obſervata, ita & *in medicina ſemper adhuc aliquid novi*, ſemperque novi morbi medicis & chirurgis curandi ſeſe offerunt, qui antea viſi aut deſcripti non fuerunt. Teſtantur hac de re non ſolum quamplurimi libri medici, & cumprimis obſervationum variarum ſcriptores, ac nominatim, *Hildanus*, Marc. Aur. *Severinus* lib. de abſcondita Abſceſſuum Natura, *Sculteti*, *Meckrenius*, *Ronhuyſius*, Acta Eruditorum Anglicana, Gallica, Italica, Haffnienſia, Naturæ curioſorum Germaniæ, Lipſienſia aliaque. Teſtantur idem Car. *Piſo* & Arnoldus *Bootius* : qui, quamvis ambo *de affectibus prætervisis & omiſſis* jam diu integros libros ſcripſerint, & multos antea haud deſcriptos morbos notaverint, ſemper tamen adhuc novi in conſpectum prodeunt. Si vero ſpeciatim conſideramus *tumores* corporis humani, tantam eorum deprehendimus diverſitatem, ut hucuſque, licet quamplurima eorum genera ſint deſcripta [*a*] *nondum tamen omnes notatos & deſcriptos eſſe inde manifeſtum eſt*, quia quotidie fere adhuc novæ ſpecies interne & externe in corpore humano obſervantur, eæque ſæpe adeo peculiares, mirabiles ac ſtupendæ, ut vel maxime veterani medici & chirurgi eos nunquam viderint, nec quales ſint initio dicere potuerint. Teſtes hujus rei eſſe poſſunt noviſſima acta Naturæ curioſorum & chirurgorum Pariſienſium, quorum hi admodum notabilem quendam novum tumorem deſcripſerunt Tom. I. pag. 27; aliumque p. 347. ac præterea ille caſus, quem ſub *Præſidio* Exc. D. D. *Crellii* amicus & commilito quondam noſter D. D. *Kauffmannus*, medicus nunc Lubecenſis, ante biennium demum hic publica in diſſertatione inaugurali deſcripſit, aliique plurimi.

De *vulgatioribus* igitur *tumoribus*, utpotè ſunt vel *inflammatorii*, vel œdematoſi, vel ſcirrhoſi, & inde provenientes *cancroſi*, nunc non dicam; verum cum genus tumorum ſit, quos *cyſticos* ſive *tunicatos*, quia peculiaribus tunicis materiam vitioſam continent, appellant, & in ſtupendam ſæpe molem increſcunt, quorum triplicem ſpeciem conſtituerunt, & nominatim quidem, 1. *Atheroma*, quando materiam continent pulti ſimilem, 2. *Meliceris*, quando melli analogam, & *ſteatoma*, quando con-

[*a*] Videri hac de re poteſt Philipp. *Ingraſſias* de tumoribus, *Fabricius* ab *Aquapendente*, *Fallopius* & *Schelhammerus* de tumoribus, Marc. Aur. *Severinus* de abſcondita abſceſſuum natura, *Meekren*, *Roonhuyſius*, *Petrus Adrianſonius* in ſuis obſervationibus, *Sculteti* editioni Leidenſi annexis, *Ruyſchius* in obſerv. & Epiſtolis, aliique.

Landesbibliothek Oldenburg

contenta materia cum lardo, ſebo aut pinguedine convenit [*b*], atque ſic veteres & hodierni medici ac chirurgi plerique totum genus tumorum cyſticorum ſe exhauſiſſe crediderunt, altumque de aliis ſervarunt ſilentium; tamen non ſolum Ill. D. *Præſes*, verum etiam ipſe cum ipſo aliiſque meis commilitonibus alias adhuc horum ſpecies notavimus.

Et quidem ſpeciatim anno 1741. ad Cel. *Præſidem* æger ſpectabilis conditionis ex Weſtphalia huc venit, ut ab ipſo curetur, qui *ingenti* quodam ac *mirando tumore in collo*, cujus ideam in adjecta tabula ænea fig. 1. & 2. aliqua ratione exhibere volui, laborabat, qui tantam ægro ſpirandi difficultatem concitaverat, ut eo ſe ſingulis fere momentis ſuffocatum iri haud ſine ratione exſtimaverit. Hunc tumorem *ex tunicatorum genere*, ab aliis haud deſcriptum ob rationes infra indicandas, eſſe judico. Sed curriculo ſtudiorum meorum in arte medica intra triennium hic in alma Academia Julia abſoluto, itinereque poſtea ſuperiori autumno, anno ſcilicet 1743. in Hollandiam facto, per autumnum illum, hyemen & ver hujus anni, Lugduni Batavorum celeberr. medicinæ Profeſſores audivi, eorumque ſcholas, pro ſtudio medico uberius perficiendo, haud negligenter frequentavi, atque inde tandem Maio menſe hic redux ſtudia mea repetere, & gradum doctoris ab illuſtri, quod hic floret, collegio medico petere mecum conſtitui. Cum vero pro hoc ſcopo thema quoddam inaugurale publice ex cathedra mihi ventilandum ſit, ille caſus de ſtupendo illo tumore, à me olim hic viſo, quem *Dn. Præſes* prædicto anno manu chirurgica, me aliiſque quam plurimis ſtudioſis medicinæ tunc præſentibus, & juvantibus, omnium cum admiratione quam feliciſſime curavit, præ ceteris mihi placuit; ad quem igitur nunc deſcribendum, & quomodo valde intricata ejus curatio à Cel. *Dn. Præſide* facta ſit, enarrandum; me abſque ulteriori præfamine, miſſiſque inanibus & inutilibus ſpeculationibus, jam conferam. Faxit Deus; ut hoc fiat feliciter & in aliorum ejuſmodi malis conflictorum ſalutem.

I. Vir 50. circiter annos natus, ex Conſiliariis Regis Boruſſiæ in Weſtphalia prope Bielfeldiam degens cui nomen *Tiemannus* eſt, ceterum ſanus & robuſtus, temperamenti ſanguineo-cholerici, ab aliquot annis levem in latere colli ſiniſtro, haud procul à larynge & œſophago perceperat tumorem parvum, qui ſenſim ſenſimque ad eam excrevit magnitudinem, ut caput ægri fere ſuperaret. vid. fig. 1. litt. a. b. c. Percepit inde tandem, præter moleſtiam, deformitatem & pondus, non ſolum *deglutiendi*, verum & *reſpirandi inſignem difficultatem*, quæ duo ſymptomata inde videntur orta, quod à tumore illo pedetentim larynx atque aſpera arteria, & cum his ſimul œſophagus ad dextrum latus ita fuerint dimota ac propulſa, ut larynx fere ſub angulo maxillæ poſteriori & ſub aure

[*b*] De his ſpeciatim & uberius evolvi poteſt *Severini* liber doctiſſimus, modo jam laudatus.

aure dextra ſitus eſſet, ſicuti hic larynx aliquo modo in fig. 2. litt. f. indicatus eſt, ibidemque digitis clare ſentire ac percipi potuerint: quo factum eſt, ut aſpera arteria & œſophagus non amplius recta per collum deſcenderint, verum ut fig. 5. oſtendere volui, ab initio faucium A. ad latus primo dextrum per angulos B. & C. deinde rurſus ad mediam & infimam colli partem E. inflexa fuerint: cum vero in latere C. D. tumor ille ingens œſophagum & aſperam arteriam valde urgeret ac premeret, mirum non eſt, *reſpirationem* inde ob aſperæ arteriæ & laryngis compreſſionem, præſertim quando dextro lateri forte incumbere, aut in illud ſe flectere vellet, tantopere fuiſſe impeditam, ut inde ſæpe in ſuffocationis periculum incideret: quod tanto factum eſt majus, quod tumor ille ſenſim magis increverat.

II. Verum ex eadem cauſſa *deglutitio* tandem ſemper magis atque magis eſt impedita, & quidem, cum quid ſive cibi ſive potionis deglutire voluiſſet, ſemper pars quædam alimentorum aſſumendorum, ob viam per œſophagum ad thoracem ac ventriculum valde compreſſam, atque ab angulis fig. 5. A. B. C. impeditam ac difficilem redditam, in laryngem & aſperam arteriam inciderit: quo, ut facile judicare licet, ingens ſemper exorta erat tuſſis, ac ſpirandi difficultas, ut moriendum ſibi inde eſſe ſæpe & ipſe & affines crediderint.

III. Quæſiverat in miſerrimo illo ſtatu conſilium apud multos & medicos & chirurgos in vicinia ejus; verum nullum inveniebat, qui, qualis tumor hic eſſet, dicere potuiſſet, aut qui curationem ejus ſuſcipere auſus fuiſſet, ſed triſti fato afflictum omnes dimiſerant. Tandem vero fama Ill. D. *Præſidis* in rebus chirurgicis excitatus, ſuaſu amicorum debilis & ob longi itineris in hoc ſtatu anxiæ reſpirationis quaſi ſemimortuus Helmſtadium, anni prædicti initio menſis Julii veniebat, ejuſque conſilium atque auxilium anxie implorabat.

IV. Quoniam vero *in collo quamplurimæ ſpecies tumorum oriri ſolent*, iique interdum ſint *cyſtici* omnis generis, ut vel atheromata vel melicerides, vel ſteatomata, quandoque *ſarcomata*, ſæpius *ſcrophulæ* aut glandulæ induratæ, haud raro *ſtrumæ* aut *bronchocelæ*, interdum *aneuryſmata* & quæ ſunt alia tumorum colli genera; Ill. Dn. *Præſes* non ſolum ſerio perpendit, viſuque & tactu prudenter exploravit, *quodnam genus tumoris* ingens ac horrendus hic tumor eſſet, antequam de curatione aliquid certi decerneret, præſertim dum hic tumor adeo vicinus erat *aſperæ arteriæ*, *œſophago*, *arteriis carotidibus cumprimis*, & *venis jugularibus internis*, quarum partium læſiones per ſcalpellum periculi aleæque pleniſſimæ ſunt; id quod arduum profecto eſt, in tanta peſſimorum illorum tumorum collum infeſtantium copia, ubi interna nos latent, atque non niſi externam faciem videre poſſumus, rite dijudicare.

V. Interea tamen quamvis tumor hic durus eſſet, tamen duriſſimam non habebat indolem, neque ex *ſcirrhorum*, neque *ſarcomatum*, neque

ſteatomatum genere ipſum eſſe præ omnibus cognoſcebat, qui integram reſectionem, quæ hic ob modo dictas partes (§. IV.) impoſſibilis erat, requirunt; & cum nullum arteriæ pulſum in ipſo ſentiret, malum quoque aneuryſma non eſſe judicabat, atque *ob gravitatem*, quam habebat, tumorem non ventoſum, ſed alia re graviori, quam aere aut flatibus repletum illum eſſe colligebat.

VI. Itaque per hæcce ſigna *ex tunicatorum* ſive *cyſticorum genere ipſum eſſe* concludebat, & quidem ex illorum, qui materiam aliquam fluidiorem continere ſolent. Quæ vero & qualis illa ſit materia intus contenta, certo prædicere nec voluit nec potuit; quia illa valde variare ſolet, & plerumque non prius, quam tumore aperto, quia introſpicere non poſſumus, certe ſciri poteſt.

VII. Interea tamen ex harum rerum curata & ſeria deliberatione, quamvis curationes tumorum colli chirurgicæ, ob vicinarum partium (§. IV.) ad vitam valde neceſſariarum læſionem omnes fere, præſertim ſi paulo majores ſunt, periculo haud careant, hunc tamen tumorem ita eſſe conſtitutum, ut ſpem curationis haberet, partim ex natura tumorum cyſticorum, partim ex horum medendi, quem animo ſibi conceperat, modo, partim & quam maxime ex pluribus, quos ex hoc tumorum genere hac in parte jam antea curaverat, concluſit, ſe etiam hunc tumorem, Deo benedicente, tollere atque curare, ægrumque maxime anxium, & ob amplam familiam multaque negotia, quibus implicitus erat, de vita ſollicitiſſimum, ab hoc ingenti, graviſſimo atque moleſtiſſimo malo liberare poſſe. Quapropter præmiſſa ægri præparatione per idoneum purgans atque convenientem victus rationem, negotium hoc me aliiſque multis medicinæ ac chirurgiæ ſtudioſis, die ſeptimo Julii anni 1741. ita *exorſus eſt*.

VIII. Quoniam nimirum æger ob perpeſſas à tumore moleſtias, anxietates & vigilias multas jam debilis erat, atque *ex ſectione & dolores & magna ſanguinis jactura* metuenda fuerant, quæ ægrum non ſolum valde terruiſſent, verum etiam adhuc longe magis, quam jam erat, debilitaſſent, tumorem hunc *medicamento rodente*, ne utili & neceſſario ſanguine adhuc magis privaretur, aperiendum eſſe convenientius atque commodius judicavit: licet varii recentiores fere promiſcue inſignem eorum uſum temere rejiciant, atque ſcalpellum iis præferunt; adeoque ſequenti ratione *curationem hanc* inchoavit.

IX. Primum ægro in lecto decumbenti *emplaſtrum* quoddam oblongum, quod diachylum vulgo appellatur, tres pollices longum, *elliptico foramine*, quod duos pollices in longitudine & dimidium pollicem in latitudine habebat, præditum, medio tumori, vid. fig. 1. d. e. ſecundum longitudinem impoſuit, huicque deinde adhuc alterum ejuſdem magnitudinis & ſimili foramine inſtructum, ſuperimpoſuit, ne remedium rodens imponendum facile à loco hoc aperturæ deſtinato recedere aut defluere queat.

queat. Huic emplaſtrorum foramini lapidis cauſtici ſui aliquot fruſtula ita impoſuit, ut totum hunc tractum in figura noſtra 1. d. e. erodere rite potuerit. Huic lapidi pulvillos ex linamentis paratos, atque poſtea his emplaſtrum integrum, ſine foramine, præcedentibus paullo majus, apte ſuperimpoſuit, ut & hæc & ſimul medicamentum rodens tanto melius in loco deſtinato continerentur. His deinde ſplenium ſuper impoſuit, & faſcia ductibus annularibus circa collum hæc omnia, ne dilabi inde facile poſſint, firmavit, ægroque ſummam commendavit quietem, ne motu corporis medicamentum illud loco moveretur, ſed in deſignato ſpatio deſideratum effectum præſtaret.

X. Quietem igitur ſtrenuam, ut juſſus erat, illo die ſervavit, licet dolores urentes inde haud leves ſentiret; quos vero ex vitæ conſervandæ atque ſanitatis recuperandæ deſiderio viriliter ac fortiter ſuſtinuit.

XI. Poſtquam vero per horas ſex vel ſeptem hos ita ſuſtinuerat, & Dn. *Præſes* tunc, quod ſatis cutem & tunicam tumoris ſubjacentem remedium urens eroſerit, judicaverat, ad ægrum hunc una cum ſtudioſis ſuis iterum acceſſit, ea intentione, ut horrendum illum tumorem nunc aperiret, & quid in eo ſit, videret ſive cognoſceret, atque ſecundum hanc cognitionem uberius, quid faciendum & quid factu opus ſit, dijudicaret ac faceret.

XII. *Remotis itaque faſcia*, ſplenio & ſupremo emplaſtro locum deſtinatum ex nigredine magna, quæ aderat, rite eroſum eſſe cognoſcebat; attamen licet cutis ſatis eſſet exeſa, platyſma myoides & tunica tumoris propria nondum ita exeſa ac perforata deprehendebat: nam nihil adhuc materiæ contentæ effluebat. Interea tamen, quando has partes ſpecillo tangebat, nullo amplius ſenſu gaudebant, neque dolore inde curandus afficiebatur; hinc eas a rodente ſatis deſtructas &, ut dicere ſolent, omnino *mortificatas* eſſe intelligebat.

XIII. Quare ſcalpello ſecundum longitudinem primo in medio inter litt. d. ad e. fig. 1. tunicam eroſam ſine omni ægri dolore aut ſanguinis profuſione incidebat, ea opinione, ut materiam quandam melli, pulti aut lacti coagulato ſimilem in eo ſit inventurus. Sed nulli ejuſmodi ſe manifeſtabat; verum cum admiratione omnium præſentium liquor ex atro fuſcus, ſanguine corrupto aut coffeæ craſſiori fere ſimilis, trium circiter librarum copia effluebat, ſine omni ægri incommodo aut malo accidente. Unde vero hic liquor ortus & hunc colorem ac naturam acceperit, aliis perveſtigandum atque dijudicandum relinquam.

XIV. Pro menſura autem vel proportione, qua humor ille vitioſus, qui ſine fœtore erat, profluebat, *tumor minuebatur*, atque *larynx etiam & œſophagus* in naturalem ſitum ac poſituram redibat, æger mox libere reſpirabat, atque cum potiunculæ cardiacæ hauſtulus ei tunc exhiberetur, libere ac ſine tuſſi eam deglutiebat, remotoque ſic illa ſarcina trium quaſi librarum a collo, quam tam diu maximis cum incommodis geſtaverat, quaſi in integrum ſe reſtitutum ex animo gaudebat, præſertim cum ſine

unicæ guttulæ ſanguinis jactura & ſine omni dolore, niſi, quem a rodente antea perceperat, ab hoc onere liberatum ſe videret.

XV. Ill. Dn. *Præſes* poſtea, expreſſis leniter reliquiis illis, quæ adhuc in fundo hujus tumoris hærebant, *vulnus* d. e. *forfice ſurſum & deorſum*, quantum ſatis erat, ampliabat, totum tumoris cavum linamentis carptis leniter convolutis eiſque ſiccis, replebat, vulneri, remotis illis emplaſtris perforatis, novum & integrum ſuperimponebat, ſuper hoc rurſus ſplenium ſiccum, atque hæc omnia faſcia ductibus annularibus firmabat, quam non niſi quarto demum die ſolvebat.

XVI. Paullo poſt primam deligationem, poſtquam Ill. Dn. *Præſes* iam abierat, ægrumque hilarem reliquerat, hic *horrore vehementi*, & paullo poſt *calore p. n.*, verbo, *febri vulneraria* corripiebatur: partim, ut puto, ex metu mortis, quam ex hac curatione & ſectione metuebat, partim ex ſubitanea illa mutatione, quam ex ablato illo onere moleſto percipiebat, partim ex inſperata illa, quam effluere videbat, tam copioſa materia ex fuſca nigricante, quam ſanguinem forte eſſe putaverat: cui vero non venæ ſectionem, ut Galli mox in ejuſmodi febribus promiſcue adhibere ſolent, oppoſuit Ill. Dn. *Præſes*, ſed potius pulveres & mixturas temperantes, nitroſas, ſæpius datas, una cum potu aquoſo: quibus effectum erat, ut altero mox die tota hæc febris, terroris in ægro pleniſſima, rurſus profligata fuerit, atque curandus ſe bene rurſus habuerit.

XVII. Quarto die, cum faſcia ſolveretur, & ſplenium una cum emplaſtro removeretur, nulla linamenta ex tumoris cavo exempta fuerunt, niſi quæ ſponte ſoluta erant, & facillimo negotio inde recedebant; in quorum tamen locum nova linamenta carpta, unguento vulgatiſſimo digeſtivo ex ſola terebinthina e vitello ovi parato, obducta imponebantur, emplaſtro ſupra nominato atque ſplenio mundo obtegebantur, ac faſcia, ut antea, deligabantur: atque hic deligandi modus ſingulis diebus non niſi ſemel iterabatur, donec omnia linamenta carpta ſenſim ſponte excideren, id quod octo circiter dierum ſpatio contingebat, quo tempore vulnus optime ſuppurabat.

XVIII. Interea tamen, quia variis in cavi hujus magni locis craſſæ, flavæ atque impuræ conſpiciebantur tunicæ, quæ humorem illum fuſcum antea continuerant, hinc inde parum mercurii præcipitati rubri, cum æquali aluminis uſti parte illis ſubinde inter deligandum inſpergebat, vulnus totum linamentis carptis ac raſis, unguento illo digerente imbutis replebat, atque extus ſplenium craſſum aqua calcis vivæ, cum quarta ſpiritus vini camphorati parte mixta, calide in ſingula deligatione ſuperimponebat: quo factum eſt, ut quotidie cutis illa, quæ a tanta humoris p. n. copia tantopere diſtenta & relaxata erat, ſenſim iterum ad naturalem fere ſtatum rediret, ita ut poſt XV. dierum ſpatium *colli craſſitudo & figura parum a naturali ſtatu amplius differrent*, ulcere interea intus bene ſuppurante ſeque quam optime purgante.

XIX.

XIX. Tunc vero temporis res quædam *novam bonæ curationis difficultatem movebat*, cui nova auxilia excogitanda atque opponenda erant: nimirum quod pus ſive materia ſponte ſua in angulum illius cavi, quod in interiori & inferiori parte juxta aſperam arteriam erat, conflueret, ſed exitum ibidem liberum invenire non poſſet. Hoc obſtaculum ut removeret *Præſes*, inciſionem novam ſive alteram in parte hac maxime declivi, ſive angulo hoc, vid. fig. 1. & 3. litt. K. inſtituendam neceſſariam eſſe judicavit. Sed cum ille locus eſſet ſupra arteriam aſperam, & carnes ibi dimidium pollicem quaſi craſſæ, metuendum erat, ne, ſi carnes has ſine peculiari adminiculo & artificio incidere & in cavum uſque ulceris diſcindere vellet, aſperam arteriam, glandulam thyroideam, aut laringem ſimul & cum periculo læderet.

XX. Itaque excogitavit *laminam*, eamque *argenteam*, (quæ forte & *plumbea* eſſe potuiſſet) ſulcis variis inſtructam, ne ſcalpellum a via aberraret, quam fig. 6. indicare volui, qua digitum indicem Studioſi cujuſdam munivit, quem digitum hic cum hac lamina munitum, per vulnus primum fig. 3. litt. 1. uſque ad laryngem, & finem hujus cavi, qui locus in fig. 1. & 3. litt. K. notatus eſt, immitteret, eoque carnes, quæ extus erant, antrorſum ſive extrorſum premeret, ita ut externe ad litt. K. fig. 1. tangi ac percipi potuerit, Huic loco cel. Dn. *Præſes* digitum ſuum indicem manus ſiniſtræ imponebat, eoque locum, ubi nova apertura optime facienda ſit, explorabat, ac deinceps dextra ope ſcalpelli cutem & carnes, inter laminam illam ac digitum Studioſi interjectam, ut rima in fig. 3. ad litt. K. indicebat, donec hæ partes uſque ad laminam argenteam omnino diſſectæ erant: quo facto Studioſus ille digitum ſuum rurſus extrahebat. Dum vero hæc apertura tunc adhuc nimis parva erat, ad pollicis quaſi tranſverſi tantum longitudinem, Ill. Dn. *Præſes* indicem ſuum manus ſiniſtræ per hocce novum foramen in cavum immiſit, atque hujus ductu ad partem infimam cavi illud ſcalpello ad radicem uſque colli directe ampliabat, ita, ut duorum pollicum magnitudinem acquireret, & quicquid materiæ intus confluerent, omne per hanc novam viam commode effluere, ſicque ulcus hoc optime ſemper ab omni pure purgari poſſet. Hoc itaque facto per utrumque vulnus fig. 3. litt. I. & K. unguentum digeſtivum cum linamentis carptis in ulcus immitebatur, & ſic utrumque pro meliore aut perfecta ejus purgatione apertum ſervabatur.

XXI. Poſtquam per octiduum circiter vulnera hac ratione deligabantur, intermixto tamen ſubinde mercurio præcipitato & alumine uſto, cavitaſque hac ratione ſemper magis magiſque & mundabatur & minuebatur, atque potiſſimum a parte ſuperiori, nimirum a maxilla inferiori, ſenſim coire atque glutinari incipiebat: ſæpe deprehendebat cel. Dn. *Præſes* in deligationibus, quod præter pus, quod per vulnus novum ſive inferius ſingula expurgabatur vice, *particulas quaſdam ſolidas, fuſcas,*

unguis circiter in digitis magnitudine, & lineam præter propter craſſas, *corioque fuſco ſemiputrido*, *aut boleti fuſci fruſtulis ſimiles*, ſimul excerni. Quod poſtquam aliquoties accidiſſet, curatius in vulnere inquiſivit, undenam forte hæc fruſtula provenirent, ut illo loco etiam ab his purgato, tanto melior ac certior glutinatio ſperari atque obtineri poſſit.

XXII. Cum itaque ope inſtrumentorum, ſpecillorum nimirum & ſpathularum, cavum intus undique probe perluſtraret, deprehendit tandem circa laryngem & glandulæ thyroideæ partem ſiniſtram, inter duo iſta vulnera I, K, fig. 3. adeſſe aliquam *excreſcentiam*, fungo quodammodo ſimilem, ejuſdem cum fruſtulis hiſce (§. XXI.) coloris & ſubſtantiæ, cujus radix erat, ut dixi, in laryngis parte ſiniſtra, vel in glandula thyroidea ejuſdem lateris, (nam radix hæc videri non poterat, ſed ſpecillis tantummodo tangi) atque ſuperficies fungi non æqualis aut unita erat, ut in fungis vegetabilibus; verum *multis quaſi tuberculis*, *unguium digitorum* circiter magnitudine exaſperata, quemadmodum ſuperficiem hanc fig. 7. aliquomodo indicare volui, tuberculis quibuſdam majoribus, quibuſdam minoribus.

XXIII. Magna cura & ſollicitudo Dn. *Præſidem* tunc premebat, quomodo hunc fungum (ſive fungoſam excreſcentiam) tuto tolleret; cum non ſine cauſa metueret, niſi hic tolleretur, etiam perfectam curationem obtineri vix poſſe, atque ſic malum in fiſtuloſum ulcus, hic loci in collo moleſtiſſimum, abiturum eſſe; quia ex hoc & circa hunc fontes quaſi & ſcaturigines haud ſine ratione provenire ſuſpicabatur, quæ quamdiu non ſint ablatæ, ulcus glutinari perfecte non poſſe.

XXIV. Videbatur quidem *radicem hujus fungi forfice reſecari*, atque ſic eum vel integrum, per aperturam ulceris maximam i. fig. 3. vel ſaltem in fruſtula diſſectum aut fruſtula diſcerptum ejici poſſe. Verum quia radix oculis, quanta & qualis eſſet, non patebat, quia a fungo ipſo, quaſi a ſcuto tecta & occulta hærebat, atque ſuſpicandum erat, eam forte habere magna vaſa ſanguifera, ex arteriis carotidibus prodeuntia, ex quarum reſectione periculoſus ſanguinis fluxus ſequi poſſet, qui per fortem vulneris compreſſionem ſive ligaturam, quam collum & aſperia arteria non patiuntur, vix cohibendus eſſet, opus hoc pro curando periculi pleniſſimum, qui jam ceteroquin ſe rurſus ſatis bene habebat, ſuſcipere noluit.

XXV. Interea tamen, quia omnem meditationem & operam impendere voluit, vt hunc fungum tuto & jucunde tolleret, invenit, quod ſi æger permitteret, ut *vulnus inferius* K. juxta quod fungi radix maxime ſita erat, *ſurſum ad pollicis latitudinem dilataret*, filo poſtea radicem hujus cingi, atque ſic per ligaturam ejus, per utrumque vulnus fili extremo prodeunte, ſine ſanguinis profluvii metu tuto tolli poſſe: atque hanc ſuam meditationem ægro, ad eum tanto citius & perfectius curandum, bono animo manifeſtavit. Verum hic ob metum partim doloris, quem a ſectione

Landesbibliothek Oldenburg

tione nova vel ligatura hujus excrescentiæ fungosæ metuebat, partim periculi, quod pertimescebat, in has actiones chirurgicas consentire noluit, adeoque Dn. *Præses* eas intermittere coactus est.

XXVI. Nam æger re serio perpensa dixerat, se malle potius fistulam in collo, si forte aliter perfecte sanari non posset, tanquam malum longe levius, per totam vitam perpetuo gestare, quia collum jam naturalem haberet, (sicuti etiam revera tunc habebat) figuram, atque sic & *respiratio & deglutitio bene succederent*, quæ antea vehementer læsæ erant, Deoque gratias agere, quod a duobus illis gravissimis atque periculosissimis malis ipsum liberaverit, quo familiæ & officio suo diutius præesse valeat, spemque sibi simul adhuc esse, ut forte alia ratione aliisve modis, sub benedictione divina, a Dn. *Præside* vitium hoc tolli, atque ulcus hoc adhuc glutinari possit, ipsumque simul valde rogavit, ut de aliis remediis, quam sectione cogitaret, cum ulcus interea optime se purgaret, atque ad glutinationem properaret. Itaque Ill. D. *Præses* sequentem modum, quo res etiam feliciter succesit, invenit.

XXVII. Nimirum necessarium esse judicavit, *ne ulcera hæc clauderentur, nisi corpus illud præter naturam fungosum, prius sit ablatum, ac simul omnes prius illi fontes*, e quibus noxia illa materia sive liquor fuscus, qui tam horrendum tumorem excitaverat ac foverat, *clauderentur*. Nam si hoc negligeretur, & ulcera extus tantum glutinarentur, fore, ut ex illis fontibus, & potissimum forte ex fungoso illo corpore in cavo ulceris novus ejusmodi liquor colligeretur, pristinumque malum recrudesceret.

XXVIII. Itaque *setaceo* sive *linteolo* ad modum setacei per utrumque os ulceris hujus traducto, sicuti figura nostra 4. litt. n, o, conspicitur, hoc effici posse judicavit, atque illud etiam ita transmisit, & quotidie in ulceris deligatione linteolum hoc unguento digestivo & subinde pauxillo mercurii præcipitati huic admixto, hinc inde traxit atque retraxit, ut sic setaceo illo quotidie aliquid *de fungoso illo corpore* abraderetur sive tolleretur, & quicquid præterea materiæ purulentæ aut vitiatæ intus esset, per os inferius hujus ulceris fig. 3. k. educeretur atque evacuaretur, hacque ratione indies fungus ille imminutus, & cavum ulceris in universum non solum semper magis mundatum est, verum etiam valde decrevit, ac speciatim parietes ejus superiores ab aure sinistra & tota inferiore parte maxillæ inferioris, sensim versus mediam colli partem, & denique inferiorem conferbuerunt, materiaque purulenta, quæ primis temporibus largissima semper copia profluerat, sensim sensimque minui cœpit, ita ut spes inde quam amplissima affulserit, fungum illum sic successu temporis penitus tolli, atque scaturigines liquoris illius vitiati tandem hac ratione tolli, ulcusque perfecte sanari posse, sicut id etiam tandem factum est.

XXIX. Antequam vero finem hujus curationis referam, sciendum erit, ægrum hunc, postquam per septem hebdomadum spatium Helmstadii com-

me-

moratus, & longe maxima pars illius ulceris, ut modo dixi, glutinata jam erat, meſſiſque tempus erat, quo ejus præſentia, ob quam plurima negotia domi tunc ipſi peragenda, ſumme neceſſaria erat, in conſilium ivit cum Dn. *Præſide*, an non domi ſuæ curatio ejus continuari & abſolvi tandem omnino poſſit, ſi ipſi prudentem & in rebus chirurgicis exercitatum alumnum ſive Studioſum, itineris non modo comitem daret, ſed qui ipſum & in itinere & poſtea domi quotidie deligaret, atque ſic curationem ſecundum Dn. *Præſidis* inſtructionem continuaret. Annuit, eique pro hoc ſcopo dedit veteranum unum ex commilitonibus quondam meis, cui nomen eſt *Wagnerus*, jam inter copias Sereniſſimi Ducis Brunſvicenſis legionis cujuſdam chirurgus primarius, quem uberius inſtruxit, quomodo ſetaceum hoc ſit gubernandum, atque quotidie hinc inde agitandum, illudque balſamo apto vulnerario inungendum, nec prius inde removendum, quam omnia prius, præſertim in parte ulceris ſuperiori & circa fungum illum depurata ac glutinata ſint.

XXX. Profecti itaque ſunt bonis avibus Helmſtadio die XXII. menſis Auguſti illius anni in Weſtphaliam & domum curandi, atque *Wagnerus* hic rite obſervando omnia, quæ a Dn. *Præſide* ipſi demandata erant, Dei gratia obtinuit, ut D. *Tiemannus* noſter a ſtupendo illo tumore feliciter non ſolum fuerit liberatus, verum etiam totum ulcus ejus perfecte curatum, ſicut hic non modo per litteras Dn. *Præſidem* ſæpius hucuſque certiorem fecit, verum cum Dn. *Præſes* ſuperiori anno ad alium ægrum in Weſtphalia viſendum Octobri menſe fuiſſet vocatus, & Bielfeldiam tranſiret, virum hunc *ibidem perfecte ſalvum, vegetum & incolumen* vidit, & quidem ita, ut vix conſpici potuerit, ipſum unquam aliquo vitio in collo levi, multo minus adeo magno afflictum fuiſſe, nullumque prorſus incommodum inde in collo aut alia parte ſui corporis ſe percipere affirmavit.

XXXI. Sed ne *unicum tantum exemplum* tumoris ejuſmodi cyſtici aquoſi ſive *hydromatis* ſcire aut proferre poſſe videar, aliud hic ex communicatione Dn. *Præſidis*, cujus curationi etiam *Wagnerus* ille §. XXIX. cum multis aliis ſtudioſis tum Helmſtadii præſentibus interfuit, referam, ubi in homine uno tumores ejuſmodi tunicatos, qui aquoſum liquorem continebant, duos vidit, eoſque etiam ſcalpello curavit. Erat nimirum anno 1738. *Studioſus Medicinæ*, qui primo in ſiniſtro latere colli ſub aure ſiniſtra, & ſupra claviculam prope articulum humeri, tumorem in collo habebat majoris ovi gallinacei magnitudine; *alterum* in dorſo infra oſſis ſcapulæ angulum inferiorem, haud adeo procul a ſpina dorſi, ſuper muſculo dorſi longiſſimo, præcedenti adhuc multo majorem & *pugnum æquantem*, qui tantopere in dorſo prominebat, ut gibberem mentiretur ac repræſentaret, qui conſilium tunc a Cel. D. *Præſide* petebat.

XXXII. Hic hos tumores mobiles deprehendebat & ſatis duros, attamen non adeo duros, ut ſcirrhi aut ſteotomota eſſe ſolent, verum ut me-

melicerides & atheromata, quæ materiam non adeo craſſam aut duram, ſed pultaceam aut juſculo ſimilem continent, atque ſic vel ex *atheromatum* vel *meliceridum* genere eos eſſe ex tactu judicavit, quia autores, qui de tumoribus cyſticis ſcripſerunt, vix aliorum tumorum cyſticorum, quam quos ſupra & modo nominavi, mentionem fecerunt. Cum itaque æger hic a Cel. Dn. *Præſide* ab his moleſtis ipſumque tam ab anteriori quam poſteriori parte deformantibus tumoribus liberari voluerit, atque remedia ab ipſo ex variorum Medicinæ Profeſſorum ac Medicorum conſilio jam antea multa ad ipſos diſſolvendos fruſtra adhibita fuiſſent, Ill. D. *Præſes* nullum melius remedium ſupereſſe dixit, quam ut ſcalpello exſcinderentur.

XXXIII. Itaque cum conſilium ægro haud diſpliceret, eo prius præparato, atque curationi deſtinato die nimirum vigeſimo quarto Januarii adverſa luce in ſedili poſito, & ab adſtantibus aliis ſtudioſis firmato, primo in anteriori tumore cutem & tunicam adipoſam ſecundum longitudinem longo vulnere incidit, uſque ad tunicam, quæ humorem vitioſum comprehendebat. Poſtea hanc tunicam undique a partibus muſculoſis, quibus adhærebat, ſcalpello & digitis ſeparavit, eumque ſic totum abſtulit. Quo poſtea inciſo, liquor intus continebatur inſtar fortis lixivii, ſubfuſcus, tamen pellucidus.

XXXIV. Vulnere hoc deligato, & ut in præcedenti caſu tractato, die quinto Februarii ejuſdem anni poſtea *ad alterum*, *eumque longe majorem* tumorem, in dorſo hærentem ſe contulit, eumque eadem fere ratione extirpavit, in quo ſimilis prorſus, ut in priore §. XXXIII. liquor continebatur. Qui vero, cum a muſculo longiſſimo dorſi ſepararetur, arteriæ aliquot in cyſtidem ſive tunicam hujus ingredientes ibidem reſectæ, ingentem ſanguinis copiam magno impetu fundebant, [*a*] ita ut multo labore, magna copia linamentorum carptorum liquore ſtyptico imbutorum atque ſpleniorum craſſorum, una cum firmiſſima per faſciam prælongam deligatione hoc ſanguinis profluvium tandem cohiberi potuerit.

XXXV. Prima deligatio etiam propterea quarto demum die ſolvebatur, & nihil linamentorum, poſtquam faſcia & ſplenia inde remota erant, a vulnere auferebatur, niſi quod ſponte inde decidebat. Poſtea nova linamenta unguento digeſtivo imbuta vulneri, ubi nudum erat, imponebantur, atque ſic poſtea alternis diebus actum eſt, donec omnia linamenta, in prima deligatione impoſita, ſponte deciderint. Quo facto vulnus totum unguento digeſtivo, nunc quotidie nunc alternis diebus, prout plus minuſve puris dabat, deligatum eſt, aſpergendo ſubinde, ubi forte membranulæ quædam a folliculo relictæ aut alia impura loca conſpiciebantur, mercurio præcipitato rubro cum alumine uſto, quibus vulnera hæc egregie purgabantur. Sed cum etiam in dorſi vulnere, mox infra ſcapulam *coſta quædam nuda* ſe manifeſtabat, huic pulvillus ex linamentis carptis, eſſentia ariſtolochiæ calida imbutus, in quavis deligatione impoſitus eſt, ita hæc coſta carne tandem rurſus obtecta eſt, atque ſic horum ope utrumque hoc vulnus intra duorum menſium ſpatium

[*a*] Vaſa hic ſatis inſignia *Euſtachius* Tab. XXIV. bene delineavit.

glutinabatur, nisi quod circa finem curationis ad cicatricem inducendam nihil nisi linamenta arida cum emplastro vulneri adhibita fuerint, quibus perfecte æger hoc modo curatus est, atque ut Doctor Medicinæ adhuc nunc valet, nihilque mali in his locis amplius sensit.

XXXVI. Denique etiam Ill. D. *Præses* casum mihi retulit, ubi anno 1735. *tumorem cysticum* nucis juglandis magnitudine in parte exteriori carpi virginis cujusdam præsentibus medicinæ studiosis *excidit*, cujus non solum *tunica sive folliculus prorsus fuit pellucidus*, verum & contentum *liquidum adeo pellucidum* erat, ut album ovorum vel humor vitreus in oculo, quorum etiam consistentiam fere habuit, vulnusque ut præcedentium curatum est. Itaque quatuor *ejusmodi tumorum cysticorum exempla* hic proposui, ex quibus apparet, non solum *quod alii adhuc dentur tumores cystici*, quam tres illi, qui vulgo à scriptoribus recenseri solent; verum etiam qua ratione à Cl. D. *Præside* curati fuerint. Nihil nunc supereſt, quam ut Tabulæ nostræ æneæ explicationem hic adhuc subnectam atque sic dissertationi huic finem imponam.

TABULÆ ÆNEÆ. EXPLICATIO

Fig. 1. litt. a. b. c. denotat tumorem illum colli ingentem, à sinistro latere spectatum. d. e. locum, ubi primo ope rodentis medicamenti & postea scalpello apertus, atque humor p. n. emissus est.

Fig. 2. idem tumor à dextro latere visus, f. g. h. ubi ad litt. f. conspicitur larynx, qui à tumore illo multum versus aurem dextram propulsus erat.

Fig. 3. Ostendit faciem colli facta jam materiæ contentæ evacuatione, qua ratione se post XV. dies exhibuerit, & litt. i. *primam tumoris aperturam*, litt. k. vero aperturam alteram, quæ post aliquot dies in loco magis declivi pro meliori materiæ evacuatione peculiari artificio facta est, ne larynx aut alia pars interior à scalpello læderetur.

Fig. 4. *Linteolum* sive *setaceum* n. o. per utrumque vulnus l. m. ductum, & quomodo collum sensim ad naturalem figuram redierit.

Fig. 5. Indicare volui *viam curvam*, in quam aspera arteria & œsophagus à tumore in hoc ægro redacta erant.

A. Fauces in ore. B. quomodo larynx ad dextrum latus in angulum fuerat repulsus. C. alter angulus, ubi aspera arteria & gula in viam naturalem redibant. C. D. locus ubi tumor has partes premebat, & ad dextrum latus urgebat. E. pars asperæ arteriæ ad sterni partem supremam, ubi in situ rursus est naturali.

Fig. 6. Denotat *laminam illam argenteam sulcatam*, qua D. Præses usus est in faciendo vulnere inferiori fig. 3. k.

Fig. 7. Fungi faciem anteriorem tuberculis sive monticulis inæqualem, qui intra magnum illum tumorem,

JOAN.

CLII.

JOAN. HENSELER

HISTORIA

BRACHII PRÆTUMIDI.

Altorf. 5. Mart. 1743.

Landesbibliothek Oldenburg

PROOEMIUM.

EX innumeris gravibusque morbis, quibus humana progenies affligi solet, alia pathemata frequentius, alia vero rarius, accidere solent. In illis sicuti ob experimenta crebrius capienda facilior æque prognosis ac curatio; ita in his, qui rarius observantur, casibus, sæpe plus solertiæ atque judicii requiritur, antequam naturam & therapiam insoliti morbi perspicere, & ratione assequi valeamus. Etsi vero etiam in enodandis ejusmodi affectionibus oppido raris, omnino prævaleat Hippocratis effatum ἡ κρίσις χαλεπή! attamen non omnis aditus ad ista naturæ abdita præclusus est iis, qui majori sedulitate penetralia ejus rimantur. Quædam enim morborum inter se est affinitas, & symptomata, quibus singuli distinguuntur, in quibusdam morbis, aliquo modo ita inter se conveniunt, ut non levem analogiam, tam quoad causas, quam quoad effectus, eventum & curationem exhibeant; utpote ex quibus phænomenis, quasi manuducimur, ad viam inveniendam, quo demum loco morbus antea incognitus commode collocandus, & cui infirmitatum familiæ is accensendus sit. Hoc ipso vero etiam methodum in medendo aliquam ingredi possumus, ea cauti prudentia, quam in aliis, iisque intricatis, & complicatis morbis, & tuto, & jucunde, & feliciter, nos aliosque usos esse novimus. Hæc vero eam ob causam præmittenda censui, quod specimini loco inauguralis, non trivialem quendam, sed rarius obvium, casum Medico-Chirurgicum elaborandum mihi præfixi. Cum enim in patria mea ante hos decem annos, adhuc apud parentem meum, Chirurgum apud Ulmenses haud incelebrem, (quem Deus salvum & sospitem, mihique in diuturnum solatium, diu adhuc servet!) juvenis adhuc degerem, litterisque operam navarem; accidit sæpius, ut miseram istam feminam, de qua in præsenti sermonem facere constitui, sæpius invisere, & non sine admiratione brachium ejus prætumidum intueri potuerim. Optarem quidem, ut isto tempore rem omnem, tanta cum attentione & scientia, quanta ad enodandum ejusmodi casum rariorem requiritur, investigare, vel plane sectionem ejus, post obitum feminæ instituere potuissem; ita enim longe minori opera, Medicam istius tumoris considerationem suscipere, varioque dubitationum scopulos evitare valuissem. Quia vero isto tempore nil minus cogitaveram, quam ut casum istum altius intimiusque repetendum, rimandumque aliquando mihi propositurus sim; eundem sollicite animo revolvere usque omiseram, donec alia vice, cum in Saxoniæ Metropoli, Dresda, ante tres annos commorarer, ejusmodi casus, a priori parum alienus, mihi obversaretur; ita, ut femina quædam, tam in brachio, quam in pede altero, tumorem ejusmodi chronicum passa, vita defungeretur, & postea cultro Anatomico dissecaretur; ubi non solum naturam & interiorem istius tumoris constitutionem præternaturalem per sectionem inspicere, sed etiam priorem

historiam, in patria olim observatam, denuo in mentem revocare, mihi licuit. Quapropter etiam nunc eandem historiam, non minus raram, quam notatu dignam, sub examinis Medico Chirurgici incudem revocare mihi proposui. Faxit itaque DEUS, ut omnia cedant in Sui Nominis Gloriam, inque proximi languentis commodum & utilitatem.

HISTORIA MORBI.

MUlier quædam plebeia, habitus plethorico-cacochymici, annorum LXIII. jam a teneris duriori victu vitæque genere, usa, atque in lavandis linteaminibus, ædibusque verrendis panem quærens, in juventute ob mensium irregularium vitia, sæpius fluore albo laboraverat, præterea quoque plus vice simplici, Erysipelate tam capitis, quam ejusdem, de quo sermo nunc nobis est, sinistri nempe brachii, misere vexata fuerat. Cum vero matrimonium iniisset, pristinum adsuetumque antea vitæ genus neutiquam mutavit, sed fortunæ haud meliori adstricta, in primo puerperio, nodos in mammis valde duros, experta fuit, qui tamen brevi temporis spatio rursus discussi fuere. Ast cum annorum ætatis suæ XLVI. mensium fluxus naturalis plenarie emansisset, accidit, ut denuo tubercula quædam in mammis perciperet, quæ tamen nunquam legitimam benignamque supurationem subjere, sed serum saltem fœtidum plorando quasi transsudandoque excrevere. Ingruente vero profectiori ætate, tubercula hæc subaresçere, & ad instar verrucarum indurari, visa sunt. Haud multo post tumor brachii sequebatur, quem ægra pro Erysipelate, sibi alias consueto, habuit; inprimis quoniam post aliquot dies levis inflammatio prægressa rursus evanuit. Idem malum per aliquot annos sæpius revertens experta est, donec tandem tumor in hanc, quam icone expressi, formam, magnitudinemque tantam, quæ in ambitu unam & quartam ulnæ Ulmensis partem æquaverat, successive accrevit. In hoc vero brachii tumore, nulla quidem foramina conspicua suborta sunt; serum tamen ex illo haud aliter, quam olim e mammis, largiori tamen copia effluxit. Cum autem mulier ista, malum inveteraſcere sentiret, ob curtam autem supellectilem, Medici operam, quam inique formidaverat, tempestive requirere neglexisset, ad chirurgum quendam confugit, qui, etsi morbum eo jam devenisse perspexerit, ut omnem ferme medelam respuere videretur, nihilominus tamen, ne miseram omni ope destitutam relinqueret, decoctum quoddam crebro potandum ipsi propinavit; quo adhibito, ægrotanti alvus leniter aliquoties laxata fuit, imo fluxus seri e brachio sæpius intermisit, mox autem, & quidem semper largior concitatiorque reversus, adeo, ut tandem uno die ad mensuram unam & supra, hujus seri, præter illud, quod in linteis

teis remanserat, excipi in vase potuisset. Accedit & hoc, quod, quoties serum more solito non effluxerat; toties infimus venter, cum pede hujus lateris intumuerint. Serum vero ipsum e brachio manans, adeo acre fœtidumque extiterat, ut, nisi illud contrectans chirurgus statim post fasciarum applicationem a manibus suis ablueret, illico maculæ virides exinde ipsi subortæ sint. Omnem quoque meretur attentionem, quod, subsistente per aliquot dies per cutim seri effluxu, brachioque inde exsiccato, cuticula quidem sua sponte statim renasci cœperit: at vero sitis cum calore quodam febrili illam vexarit. Præter hæc dolorem nunquam, nisi aliquot horis ante novam quamque seri eruptionem, persensit, neque etiam brachium unquam, sero licet largiter effluxo, detumuit. His cum per duos ferme annos conflictata esset passionibus, tandem febre lenta hecticaque consumta, ante hos decem annos diem obiit supremum, &, quod quidem doleo, citra præmissam brachii prætumidi sectionem, sepulta fuit.

---

§. I.

Multa quidem, eaque gravissima, notatu etiam omnino digna, hæc morbi historia in se continet, quæ considerationem Medicam exactam merentur. Ast, cum non integrum de illa tractatum, sed specimen saltem inaugurale edere, in animum induxi meum; hinc, ne limites dissertationis transcendam, præcipua tantum hujus casus momenta hic ad examen revocanda censui. Tenuitatis autem meæ probe gnarus, benevolum lectorem decenter rogatum velim, si quid forsan non accurate satis propositum invenerit, id mihi condonare, & specimen hocce studiorum meorum æqui bonique consulere velit.

§. II.

Ordo & necessitas requirunt, ut primum inquiram, ad qualem morborum classem referenda sit ista mulieris, qua cum misere conflictata est, affectio, præsertim illa brachii? Nemo non statim mihi assensum præbebit, istam inter tumores præternaturales, eosque respective chronicos, pertinere. Nam non ea solum, quam præfixi, (& ab amico αὐτόπτη accepi, quamque cum archetypo convenire, ipsemet olim aliquoties his meis oculis vidi,) imago, satis testatur, prætumidum adfuisse & manum & brachium, sed etiam communis & recepta apud chirurgos & medicos definitio tumorum isti malo competit. Etsi enim hic litem dirimere nolim, an absessuum vox cum tumoribus pari passu ambulet? Attamen generalius nomen tumoris huc magis quadrare mihi videtur.

Ita

Ita enim *Schelhammerus* in libr. cui titul. ὀγκολογία parva, seu de c. h. tumoribus. Sect. I. §. VIII. p. 6. tumorem recte definit, quod sit *morbus in conformatione, quo totum corpus, aut aliqua ejus pars, aut pars partis, a contento subtus humore, vel solido, vel spiritu, in majorem, quam pro naturali habitu, molem attollitur*. Hæc itaque, cum etiam in brachio mulieris nostræ conveniant, utique illam tumore brachii & manus prægrandi laborasse, nemo negabit.

§. III.

Sicuti vero tumorum variæ reperiuntur species; ita non minus necessarium erit, hoc loco disquirere, ad qualem tumor noster præ aliis referri mereatur? Nolo hoc loco prolixam omnium tumorum recensionem afferre, sed sollicitus tantum esse cupio, cuinam illorum speciei propius accedat noster? Etsi autem is non ex omni parte cum vulgari œdemate convenire videatur; nihilominus tamen haud dubito, œdematosis, iisque chronicis atque rarioribus quibusdam, tumoribus eundem accensere.

§. IV.

Equidem in denominandis hujusmodi tumoribus paucos præeuntes habeo. Quotquot enim evolvere auctores, & casus cum nostro convenientes reperire, licuit; vix tamen unus vel alter auctorum, cognomine proprio istos tumores insignire, sed alio magisque generaliori, eoque rem sæpius minus tangente, titulo compellare soliti sunt. Ita *Hildanus* Cent. IX. obs. chir. 69. vir celeberrimus, & in definiendis morbis alioquin satis accurate procedens, ubi historiam brachii prætumidi, cum nostra ferme parem, descripsit, tumorem istum nominavit brachium *monstrosum*; nec minus in *Act. med. Berol.* Dec. II. Vol. IV. p. 65. invenitur ejusmodi tumoris historia, de prætumido pede viri cujusdam, quem *insolitum*, nec ad œdemata referendum, *pedis tumorem* nominat Auctor. Alii alio nomine usi sunt in describendis hujusmodi tumoribus. Non jam inquiram, quo jure horrendo *monstri* titulo possit notari tumor præternaturalis, e morbo prægresso oriundus, quo membrum, antea legitime conformatum, successu autem temporis, & cum ætate demum provectiori, per morbum magis magisque deformatum est; cum notum sit, monstra proprie non per morbum fieri, sed nasci solere; adeoque non nisi improprie & analogice tantum monstrosis quasi, deformibusque per morbum, membris, adjudicare posse: id tamen exinde discimus, viris etiam exquisitæ doctis non leve, sed omnino difficile, dubium, & perarduum opus, extitisse, hujuscemodi tumores decenti, congruo, & adæquato cognomine compellandi; mihique hoc magis condonandum esse,

si

si forte non omnium assensum promeruero, sed paullo apertius ea, quæ hac in re judicaverim, hic enunciare non dubitaverim.

V.

Ut vero æque dubitandi, ac decidendi, rationes simul afferam; equidem dissimulare nequeo, tumorem nostrum sequentes ob causas non omnibus œdematis vulgaris gaudere criteriis. Nam haud certo reminiscor, utrum foveæ a digito impellente isti tumori potuerint imprimi? Neque in eo naturam œdematis hydropicorum explevit, quod non altius proserpendo auctus, nunquam ultra per humerum ad pectus usque & collum adscenderit, sed solum brachium: a medio humeri osse ad digitos usque extremos tantum occupaverit, neque adhibitis licet externis remediis, discussionem aut resorptionem aliquam admiserit, neque mole sua imminutus, subsederit, etiamsi magna seri copia sæpius ex illo effluxerit. Præterea nullæ maculæ rubræ gangrænodeæ, (quales alioquin pedes hydropicorum œdomatosos, serum tandem plorantes, una cum febre conjuncta, mortisque sæpe prænuncia, occupare solent,) brachium inflammarunt, vel gangrænoso-sphacelosum reddidere, sed potius repentinam spontaneamque cuticulæ regenerationem permisere. Hæc enim singula videntur obstare, quo minus tumor noster ad œdomatosos vulgares, præsertim hydropicorum illos, statim referri mereatur.

§. VI.

Quamvis autem hæc antecedentia argumenta dubiam reddere videantur rationem œdematosi cognominis, tumori nostro tribuendi; plura tamen sunt, quæ affirmativam tuentur sententiam. Nam sicuti non semper hydropem comitem habent omnis generis œdemata, ideoque nec adscendunt quælibet amplius ad loca usque remotiora, nec una semper facie incedunt, sed ob varietatem tam causarum antecedentium, quam humorum intus contentorum in varias species abeunt, dum alii tumores œdematosi liquidiorem, alii vero spissiorem, tenacioremque humorem, qui neque resolvi aut discuti, neque repelli facile, neque in gangrænosam putrilaginem mutari sua sponte valet, in se continent: ita certum est, in tumore nostro non solum generalia œdematis criteria reperiri, sed eundem quoque ad aliquam œdematum speciem referri posse. Oedema enim in genere definiunt, quod sit *tumor phlegmaticus, frigidus, respective mollis, pallidus, plurimum indolens, sero vappido in interstitiis membranarum fibrarumque stagnante, plurimum extravasato, repletus, foveasque ab impressione digiti aliquandiu relinquens.* Hoc magis itaque tumorem nostrum œdematosis rarioribus, particularibus, chronicisque, accensendum judicavi, quo magis is sero copioso refertus, prætumidus, pallidus, nec

(quod ex analogia alius casus, cum nostro convenientis, infraque recensendi, patebit,) steatomatico, carnoso, fungoso, vel alio duriori concremento, repletus, sed subalbus, plurimum indolens, nonnihil pellucidus, & à tali causa ortus fuit, quam etiam aliis in locis œdemata chronica produxisse, plures historiæ medicæ confirmant. Præterea quoque in eo cum œdematosis convenit tumor noster, quia ut illi repulsi e loco suo, per metastasin alias partes occupant; ita quoque, brachii nostri fluxu seroso cohibito vel represso, statim abdomen & pes alter intumescere cœperunt.

§. VII.

Neque vero consensu & suffragiis aliorum clarissimorum virorum hac in re destituor. Ita auctoritate illustris *Schroeckii* suffultus, in sententia mea confirmatus sum, ubi in casum quendam, cum nostro quoad præcipua convenientem, in *Ephemer. N. C.* Dec. III. A. II. obs. 226. p. 353. recensuit, eundemque tumorem *œdematosum*, ob duritiem vero insignem conjunctam, *scirrhosum* insimul, adeoque complicatum, cognominare haud dubitavit. Quodsi tamen quis sententiam celeberrimi *Heisteri*, in Inst. Chir. P. II. L. IV. c. 17. p. 316. qua œdema explicatius tumorem phlegmaticum appellari posse judicat, etiam in hoc nostro tumore definiendo sequi velit, isti haud refragabor; & per me licet, si quis alius *Saportæ* Lib. III. Cap. XII. p. 293. de tumoribus præter naturam, differentiam inter œdema, & tumorem aquosum intercedentem, quam ille in mollitie aquosorum majori posuit, huc etiam referendam censeat.

§. VIII.

Verum enim vero tam causa, quam duratio tumoris nostri, aliaque cum illo conjuncta symptomata novam suppeditant rationem, illum à vulgari œdemate discernendi, proprioque cognomine insigniendi. Dum enim ex erysipelacea, & cacochymico-scorbutica humorum dyscrasia, subortus, & diu durans, brachiumque solum occupans, & rebellis, nec discutiendus tumor fuit, nec, effluxo licet sero copioso, unquam subsedit; hinc non dubito, illum, ad differentiam reliquarum œdematis specierum, cognominare *tumorem brachii œdematosum, chronicum, particularem, fixum, rebellem, ex erysipelate male curato natum, eumque hoc rariorem*, quo pauciores casus ejusmodi tumorum prægrandium observari solent.

§. IX.

Præmissis itaque his tumoris denominandi rationibus, ad causas ejus indagandas progredior. Primum autem ad proximam, ut vocant, causam investigandam ordo me revocat. Hanc in humore phlegmatico, subsistente,

Landesbibliothek Oldenburg

te, & plurimum extravasato, atque corrupto, cutim membranasque magnam ob copiam distendente, præcipue quærendam esse censeo. Quam diu enim circulus sanguinis per omnes corporis partes æqualis & conveniens continuatur, & humores tanta copia & velocitate refluunt, quanta advehuntur, nec crasin suam molemque permutant, tamdiu nullus tumor spontaneus suboritur. Ubi vero aut in solidis, aut in fluidis, aut in utrisque corporis nostri partibus vitium quoddam latet, ita, ut humores ex aliquo loco non sat expedite refluant, vel subsistant, extra vasa effundantur, atque aut vappescant, aut acrimoniam concipiant; fieri non potest, quin cumulentur & partes distendant, præsertim si hæ ipsæ solidæ partes naturali tono aut structura successive priventur, & circumagendis continendisque humoribus haud amplius sufficiant. Quapropter haud dubito, quin stagnans, congestus, & partim extravasatus atque corruptus, viscosus, serosusque humor, in parte hac, atonia & structuræ organicæ vitio laborante, ceu causa præcipua & formalis hujus tumoris accusandus sit.

§. X.

Unde vero hæc mala ortum suum traxerint, ex antecedentibus causis nunc repetendum erit. Ex his vero supra jam nominavimus duas; nempe partim erysipelas male tractatum, partim dyscrasiam humorum, nec non vitiosi seri abundantiam, utpote quam non solum seri copiosi effluxus e brachio, sed etiam tubercula mammarum serum plorantia, item fluor albus, quo olim mensium loco vexata erat, abunde testantur. Quod enim erysipelas, sive illud refrigerantibus & incrassantibus, sive aliis inconcinnis remediis, quibus placida & naturalis discussio & resolutio sanguinis congesti atque stagnantis impeditur, imprudenter tractatum, hujuscemodi tumores œdematosos sæpe sæpius post se traxerit, auctorum fide dignissimorum multiplici experientia constat. Ut autem ex multis istis, aliquot tantum adducam exempla, ita *Gohlius*, in *Act. Med. Berol.* Dec. II. Vol. IX. p. 65. diserte affirmat: virum quendam insolito pedis sinistro tumore affectum esse, ex erysipelate humidis epithematibus tractato. *Zacutus Lusitanus* Lib. III. obs. 42. p. 652. seqq. ex erysipelate nimis infrigidato atque adstricto, œdematoso-scirrhosum tumorem pedis annotavit, ejusque originem ex prava medendi methodo variis rationibus, & suffragiis *Galeni*, *Planeri* & *Valleriolæ* deduxit. Ita tumoris & exulcerationis historiam, ex adplicato super erysipelaceam manum albumine ovi, cum albumine conquassati, recenset illustris *Frid. Hoffmannus*, in S. M. R. T. IV. P. I. Obs. III. p. 316. & celeberrimus *Junckerus*, in conspect. chirurg. Tab. V. p. 63. speciatim de camphora, in tumoribus erysipelaceis & phlegmonodeis justo largius adhibita, rationem adfert, ob quam tumor ejusmodi œdematosus exinde subsequatur. Dum enim

tenuior magisque florida & actuosa sanguinis portio, à qua reliqua seri congesti, stagnantis, & spissioris copia successive resolvi & attenuari debuerat, ob usum camphoræ excessivum & præmaturum, aliquando citius justo discutitur atque repellitur, fieri non potest, quin serum spissum tenaciorque lympha congesta relinquatur, & ita firmius quasi impacta, tumorem ejusmodi phlegmaticum chronicumque efficere valeat. Quod etiam incrassantia & refrigerantia intempestive adhibita humorem stagnantem erysipelaceum aliquando in frigidioribus subjectis magis confirment, vix ulteriori probatione indiget.

§. XI.

Quamvis autem ex recensione morbi supra allegata aperte non constet, feminam nostram ex erysipelate male curato talem brachii tumorem immediate accepisse; hoc magis tamen probabile est, ejus originem vel mediate saltem exinde deduci posse, quia femina non solum erysipelas sæpius in brachio isto experta est, sed etiam à frequenti ejus in eodem brachio recursu, tantam sibi in illo loco particularem contraxit atoniam, ut humor impurus, congestus, seroso-sanguineus facile discuti, & decenter resolvi amplius haud potuerit. Quamvis etiam non cognitum sit, quali inconcinno remedio nominatim usa sit ægra. Attamen sicuti vulgus varias artes sæpissime incongruas noxiasque novit, quibus malo huic obvenire cupiant, externis saltem refrigerantibusque topicis; ita vel maxime opus lotricium, quod misera exercere tenebatur, non minimum sine dubio contulit, ad atoniam brachii augendam, tumoremque phlegmaticum confirmandum.

§. XII.

Conspirant huc reliqua phænomena & causæ antecedentes remotiores. Cum enim non solum duro vitæ generi a juventute jam ad senium usque adstricta fuerit, ex nata inde humorum dyscrasia, mensium anomaliam passa sit, sed etiam ob refrigerationes lotricibus familiares, easque cum fervore calidioris aquæ crebro & vicissim permutandas, nec non ob vaporum e linteaminibus sordidis impurorum absorptionem, non modo temperiem humorum notabiliter pervertere, & perspirationem necessariam turbare coacta fuerit, sed etiam brachii affecti atoniam insigniter auxerit; hinc mirum non est, quin ex prava humorum totius corporis dispositione, ad morbos serosos, impurique & acrioris seri genesin disposita, sed etiam ad frequentem erysipelatis in brachio recursum pronior facta fuerit. Quod enim lotricium opus sanitati non parum obstet, & morbos seroso-scorbuticos sæpius proferat, id non solum quotidiana experientia probat, sed etiam Doctissimus *Ramazinus* in libr. cui titul. *Untersuchung von denen Kranckeiten der Künstler und Handwercker.* Cap. XXV. p. m. 257. id di-

diserte confirmat: dicens, *lotrices, quia semper humidis locis vitam agunt, manus item pedesque madidos habent, morbidæ inde fiunt, & si ad senium usque huic labori incumbunt, hydropicæ fiunt, plerumque etiam vitio mensium laborant, & inde in varios eosque chronicos morbos incidunt &c.* hanc sententiam quoque supra laudatus *Juuckerus* in Consp. Med. Theor. Pract. Tab. LXXXVI. p. 691. his verbis confirmat: *tumoribus œdematosis obnoxius est uterque sexus, quando diu & profunde crura aquæ frigidæ immergit, præcipue femininus, sub fluxu mensium in lavandis linteaminibus occupatus.*

§. XIII.

Frequens etiam seri ex nodis mammarum extillatio spontanea. nec non tumor pedis & abdominis subinde accedens, dyscrasiam humorum serosam, quam natura ad istas partes, præsertim ad aperta loca deponere consueverat, satis prodidere præsentem. Nec mirum, exitu seri per brachium mammasque intercluso, impurum humorem alio loco, præsertim ad abdomen decubuisse, usque dum præeuntibus doloribus congestoriis exitum sibi per brachium denuo reparaverit. Ea enim exsuperantis impuri seri & excretionum illius consuetarum est indoles, ut quasi perpetuam sui excretionem exposcat, &, nisi sub forma excrementi naturalis satis excoqui, & per vias naturales excerni queat, aliam sibi novamque viam paret, quæ si denuo præcludatur, alias partes infestare, nec facile acquiescere prius soleat, quam aut pristinus exitus denuo recludatur, aut artificiali fonticulo inusto nova exeundi porta monstretur. Quid ergo mirum, siccato brachii tumidi pororum sudamine, dolores, pruritumque accessisse, usque dum stagnans acreque serum largiter transsudare rursus cœperit.

§. XIV.

Si internam brachii prætumidi conditionem respicimus, dubium non est, illud multo sero stagnante & extravasato, viscoso tamen & vappido, repletum turgidumque fuisse. Pallor enim ejus, & larga humoris transsudatio, aliaque indicant, non sanguinis, sed seri redundantiam ibidem substitisse. Quamvis enim ob Anatomicam inspectionem post mortem intermissam, nil certi pronunciari posse videar, attamen non dubito, quin eadem in conspectum veniissent, qualia alio tempore & loco vidi in pari tumore. *Dresdæ* nimirum femina plebeia XLV. annos nata, per aliquot annos ejusmodi tumorem phlegmaticum tam in brachio, quam in pede passa erat; ubi notatu dignum, quod, sicuti in reliquis historiis cum nostra convenientibus observatum fuit, ita & in hac femina, tumor brachii non ultra medium humerum, scilicet non supra finem musculi deltoidis inferiorem adscenderit. Dissecta cute, quæ ob insignem tumoris magnitudinem valde distenta fuerat, magnus statim ab incisione

hiatus apparuit, ex quo ferum copiosum fœtidumque effluxit, & substantia quædam viscoso-caseosa membranulis subinde interstincta, copiosam reliquam cavitatem explevit, ossibus haud inde arrosis, musculis vero ab ista serositatis colluvie quodammodo corruptis. Idem quod in brachio, etiam inventum est in pede; ex qua tumorum analogia non vane conjicio, pedibus ejusmodi prætumidis eandem sortem, quam brachiis hujusmodi tumentibus contingere, & utraque membra tumore simili phlegmatico chronicoque affecta, inter se plurimum comparari posse. Id quod etiam in amputato & dissecto postea pede œdematoso chronico adnotavit D. D. *Jægerschmidtius*, in Eph. N. C. D. III. A. II. obs. 155. p. 245. qui neque carnem neque sanguinem, sed speciem gelatinæ pedum vitulinorum similem, in isto invenit; certo indicio, structuram organicam maxime læsam atque perversam esse, omnemque ideo sanationis spem respuere. Quare vero intolerabilis ferme fœtor, qualis in vita annotatus vix est, post mortem demum accesserit, mirum non est, cum à morte sæpius citius putrilaginem concipiant partes antea jam semimortuæ, & diuturna humoris stagnantis maceratione notabiliter corruptæ. Siquidem in femina nostra serum transudans ab aëre accedente acorem & fœtorem graviorem concepit, & in majorem fermentationem adactus est, ita, ut manus eorum, qui isto squalore conspurcatæ fuerant, nisi cito abluerentur, colore viridi tinctæ sint. Si enim intra cutim adhuc detentus humor tantam acrimoniam, quantam extra illam concepisset, non solum majorem dolorem, sed etiam repentinam carnium colliquationem, ossiumque demum arrosionem sine dubio intulisset.

§. XV.

Antequam ad hujusmodi tumorum curationem me accingam, ut de prognosi quædam præmittam, necesse duxi. Placet itaque hac in re sæpius laudati *Schelhammeri* l. c. §. 51. p. 64. sententia, quando de tumore œdematoso inquit: *qui sponte, nulla ex manifesta causa, apparet, diuturnus esse & magis rebellis assolet. In senioribus sæpe incurabilis est, deficiente natura: in florente ætate vero obsecundat. Si simplex est, recedit, resorbent enim serum venæ, & aliorsum abducunt: si vero depravatum illud sit, & crudum ex indigesto chylo, sæpe diu affligit, & difficulter cessat, & in scirrhum quandoque degenerat, perraro enim suppuratur &c.* Nec difficile est, invenire rationem, ob quam hujusmodi tumores chronici, nisi ab initio & tempestive medela iis afferatur, omnem ferme curationem respuant. Non solum enim humoris stagnantis copia & spissitudo vix amplius resolvenda, aut in puris laudabilis naturam maturanda, omnem ejus spontaneam correctionem aut excretionem respuit, sed etiam per diuturnitatem mali, tanta solidis partibus affricatur atonia, tamque pertinax membranarum fibrarumque à vigore naturali dejectio,

jectio, ut amplius ad removendum iniquum hospitem haud sufficiant, ut potius succi illuc delati decumbant, & in parem impuritatem seroso-viscosam commutentur atque vappescant; ne dicam, ad partem ejusmodi debilem, organicaque sua structura notabiliter privatam, quicquid in corpore alieni humoris colligitur, congeri atque deponi solere. Ex quo factum arbitror, ut femina nostra, quoties fluxus sudorque defuerat, brachiumque aridum inde factum, toties congestorii quidam & febriles motus denuo brachium deprehenderint, donec accedens pruritus efflu-xum revocaverit.

§. XVI.

Ut vero, quid de nostro tumore futurum præsagiendum fuerit, speciatim nunc subjungam; haud vereor asserere: malum hoc, postquam non ab initio, nec tempestive sanatum est, in hac vetula cacochymica habituale jam factum, ob organicæ conformationis nimiam læsionem, non solum difficile, sed etiam plane curatu impossibile fuisse; si quidem perfectam & naturalem brachii restitutionem requisiveris, etsi palliativam concesserim sanationem. Qualis etiam eventus fuerit metuendus, ipsa historia supra recensita monstrat, illum fatalem extitisse, postquam nempe corruptio brachii particularis reliquos etiam humores corporis ita corruperit, ut hectica exinde orta, vitæ finem fecerit. Plura methodus medendi dabit.

§. XVII.

Præmissis hucusque præcipuis ad morbum nostrum spectantibus momentis, unum adhuc, cujus causa antecedentia investigavimus, tractandum superest, methodus nempe medendi. Equidem omnis tumor præternaturalis, cujus perfecta curatio requiritur, sui remotionem, qua fieri potest commoda ratione, exposcit, & quidem is, qui ab humore intus collecto protuberat, eam curationem requirere videtur, ut non solum humor alienus corrigatur, atque vel discussione, vel resorptione, vel excretione, vel denique suppuratione, si fieri potest, evacuetur, sed etiam parti læsæ & debilitatæ tonus, vigor, & naturalis conformatio restituantur. Jam quæstio incidit, utrum brachio huic tumenti eadem, an alia, vel qualis? An vero nulla plane medela afferri potuisset? Ex prognosi quidem statim patet, e fonte pharmaceutico perfectam curationem fieri haud potuisse. Cum enim is humor in brachio hujus feminæ vappescens, tenax atque corruptus in corpore tum senili, & cacochymicis succis referto, præcipue autem in membro per diuturnitatem morbi, adeo longe a statu & tono fibrarum naturali recedente atque corrupto, nullam discussionem & coctionem, nullamque legitimam suppurationem amplius admisisset, in aperto est, perfectam brachii in integrum

Landesbibliothek Oldenburg

grum reſtitutionem in malo hoc jam inveterato ſperandam e pharmacis haud fuiſſe. Quamvis etiam cuticula ſæpe & ſua ſponte regenerata, ſpem ſanationis aliquam afferre videatur, attamen carnes cuti ſubſtratas, membranaſque muſculis intertextas adeo mutatas fuiſſe, ut reſtitutionem integram organicamque amplius ulla arte prorſus acquirere haud forte potuerint, ex analogia eorum, quæ §. XIV. in diſſectis ejuſmodi tumoribus inventa ſunt, non vane conjicere licet. Neque ex omnibus, quotquot evolvere licuit, hiſtoriis ejuſmodi brachiorum pedumque tumore pari phlegmatico inveteratoque affectorum, quendam penitus fuiſſe curatum memini. Sic etiam *D. D. Nebelius* in Act. Phyſ. Med. Vol. I. of 16. p. 57. ejuſmodi fere caſum recenſet, qui omnia medicamenta adhibita reſpuebat, & ſi aliquando etiam malum decreſcere videbatur, mox tamen in pejus converſum, donec mors finem vitæ fecit. Idem etiam ex caſu *Schræckii* ſupra laudati, videre licet; imo *Gohlius*, in Act. med. Berol. l. c. etſi ab uſu frontis Freyenwaldenſis tumorem pedis nonnihil imminutum eſſe refert, eundem tamen non prorſus ab illo ſanatum eſſe fatetur. Licet etiam *Lotichius* in obſ. & conſ. med. L. II. C. II. obſ. III. p. 499. in caſu quodam brachii prætumidi remedia ſuaſerit varia, ſpemque fecerit juvenculam iſtam fœcundamque, adhuc ægrotantem, ab eorum uſu reſtitui poſſe, quia malum nondum adeo inveteratum fuerat, haud tamen affirmare potuit is Auctor, ſanatam exinde eſſe mulierem. Ex quibus itaque nullum ſanati perfecti tumoris ejuſmodi exemplum mihi conſtat.

§. XVIII.

Quamvis autem e fonte pharmaceutico & diætetico, perfecta hujuſmodi tumorum rebellium curatio obtineri haud poſſe videatur; attamen chirurgia remedium amputationis, ceu extremum & ultimum, ſuppeditare videtur. Cum enim membrum affectum reſtitui haud amplius poſſit, & ab ejus corruptione ſucceſſive adaucta, grave vitæ ſanitatiſque periculum ſit metuendum; conſilium *poëtæ* huc referri poſſet, quando is ſuadet; *enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.* Habet etiam *D. D. Jægerſchmidtius* in Eph. N. C. Dec. III. A. II. obſ. 155. p. 245. caſum quendam pedis ejuſmodi chronico-phlegmatico tumore per plures annos affecti, & in tantam aucti molem, ut LX. libras pependerit, & ob moleſtiam in incedendo virum, ceteroquin vegetum, impulerit, ut pedis iſtius infra genu amputationem optaverit, eandemque ab expedita chirurgi manu paſſus ſit. Verum etſi operatio feliciter inſtituta fuerit, nihilominus tamen paullo poſt vita exceſſiſſe virum, inſimul monuit Auctor; ex quo forſan idem judicium ferendum de amputatione hujuſmodi membrorum œdematoſorum, quod de cancri mammarum majoris & antiqui per reſectionem curatione, *Hippocrates* Aphoriſm. L. VI. Aph. 38.

38. ſtatuit, dicens: *Quibus occulti cancri fiunt, eos non curare melius eſt. Curati citius intereunt. Non curati vero longius tempus perdurant.*

§. XIX.

Quæritur itaque, annon amputatio etiam in vetula hac tuto inſtitui potuiſſet? Equidem locus amputationis commodus aderat, & infra humerum adhuc in carne ſana ſectio fieri potuiſſet, ideo præmiſſa humorum interna præparatione, operatio hæc, licet alias periculoſa, hic tamen tuto inſtitui potuiſſe videtur. Et quamquam recentiores chirurgi in recenſendis tumoribus, amputationem indicantibus, mentionem œdematoſorum non faciant; nihilominus tamen cum medicorum Cicerone, *Celſo*, dicere poſſumus; *ſatius eſſe, anceps remedium adhibere, quam nullum.* Neque vero negaverim, id remedii genus tunc applicari tuto potuiſſe, ſi a præmiſſis internis remediis dyſcraſia humorum emendata, meliorque valetudinis ſtatus affulſiſſet, vigorque corporis rediiſſet. Varia tamen ſunt, quæ difficilem non ſolum, ſed & noxiam, fore amputationem in noſtra præſagiunt. Nimirum ætas ſenilis, ſtatus corporis ſcorbutico-cacochymicus, virium defectus, hecticaque febricula, & vitæ genus minus ſalubre, aliaque obſtitiſſe exiſtimo, quo minus amputatio locum commodum habuiſſet. Præterea tanta ſæpe eſt in ejuſmodi chronicis, & cum excretione ſeroſa conjunctis, tumoribus naturæ pertinacia, ut niſi has excretiones præternaturales, conſuetas tamen, & quaſi neceſſariis & naturalibus vicarias analogaſque, conſervet, habeatque continuas & apertas; reliqua viſcera evidens inde damnum percipiant, (uti id luculentiſſime demonſtravit celeberrimus *D. D. Weiſſius*, Profeſſor in hac alma chirurgiæ ac anat. publicus, Præceptor meus nunquam non devenerandus, cui plurimam ſtudiorum partem meorum in acceptis referendam gratus debeo, ita ut mortis cauſa non raro inde derivanda ſit, prouti ex ulceribus crurum antiquis, fonticuliſque ſubito conſolidatis, nec non e reſecto mammarum cancro diuturno, ſatis patet. Neque meliorem eventum in noſtra ab amputatione brachii ſperandum fuiſſe, vel inde patet, quoniam illa quoties effluxus ſeri per brachium ceſſavit, toties non ſolum pedum & abdominis tumorem, ſed & febriles inſultus paſſa eſt, donec effluxus conſuetus redierit. Ex quibus ſatis patet, valde ancipitem, minuſque tutam, fuiſſe hanc operationem; ad quam perſuadere invitam, aut compellere renuentem ægrotantem, medici non eſt.

§. XX.

Quoniam itaque in morbo hoc rebelli & inveterato, perfectam & plenariam curationem nullam obtineri potuiſſe vidimus; & tamen medici eſt, quemlibet ægrotum, quouſque fieri poteſt, in vita ſervare, eum-

que a gravioribus morbis & symptomatibus praeservare; hinc etiam in nostra aegrotante potissimum palliativa saltem curatio quendam habuisset locum. Ita affluxus uberior a brachio divertendus, corruptio ejus putredinosa avertenda, virium vero & temperiei humorum restauratio promovenda fuisset: cavendo insimul a prava diaeta, repellentibus, refrigerantibusque, a quibus humor oedematosus ad interna repulsus, pessima symptomata afferre potuisset. Recte enim saepius jam laudatus *Junckerus* in Consp. med. theor. pract. tab. LXXXVI. cautel. 15. p. 697. *ubi oedema*, inquit, *quod ab externis causis ortum sumsit, jam inveteratum est, & partis adfectae debilitas, in aetate praesertim adultiore, concurrit, ibi praestat, manum detrahere, quam vel in cassum laborare, vel fortioribus motibus repulsoriis damna illa, asthmata nempe, hydropem, acutos inflammatorios, suffocativos, spasticos, ileodes, aliosque anomalos adfectus, circa abdomen inferre.*

§. XXI.

Quemadmodum vero ex antecedentibus satis liquet, in malo hujusmodi radicato nullam, nisi palliativam & imperfectam, obtinere curationem; ita haec serio nos admonent, ne ad extremum usque statum medicinam afferendam differamus, sed ut tempestive huic malo, recenti adhuc, convenientibus occurramus remediis. Quibus vero id fieri possit, nunc dispiciendum. Optimum quidem praesidium in praeservatione est positum, qua in sanandis tumoribus erysipelaceis, aliisque, omnem adhibeamus curam, ne ullo modo in hujusmodi tumores phlegmaticos degenerent. Quodsi tamen aliorum culpa id acciderit, ut phlegmaticus tumor subnatus sit, sine mora serum vappidum viscosumque resolvendum, attenuandum, & partim ad perspirationem, partim vero ad resorptionem idoneum erit reddendum; deinde, ut parti debilitatae nervinis ac roborantibus tonus naturalis restituatur, prospiciendum. Denique ut totius corporis status ab impuris succis liberetur, ne novam materiam morbificam denuo suggerat, providendum erit.

§. XXII.

Ad primam indicationem requiruntur discutientia, resolventia, attenuantia, antiscorbutica tam interna quam externa, ubi insimul partim laxantibus primae viae repurgandae, partim diureticis serum copiosius evacuandum, & a brachio revellendum, denique diaphoresi aucta cutis quoque largior excretio promovenda erit. Hunc in finem ea, quae *D. D. Nebelius* l. c. (v. §. XVII.) praescripserat, nec non quae *Lotichius* & *Schraeckius* l. c. (v. §. XVII. & VII.) commendarunt, utique collineant; nec dubito, quin, si tempestive adhibeantur, eximium praestitura sint usum.

Ita

Ita nempe præter interna infusa, vina medicata, ex antiscorbuticis, laxantibus, aperitivis, &c. paranda, etiam externe fotus, vel cum aqua calcis vivæ, (quæ ex consilio *Sculteti* in Armamentario Chirurgico obs. LXXII. p. 115. cum spongiis novis intinctis frequenter calideque applicanda,) vel etiam e rad. bryon. irid. Florent. enul. vincetox. summit. hyssop. origan. serpill. fl. chamomill. R. bacc. laur. junip. &c. cum vino vel cerevisia coquendis, adhiberi merentur. Nec, pro re nata, scarificationes & fonticulos, conjunctis discutientibus & nervinis applicandos, dissuaserim; siquidem ab his partim serum evacuatur, partim ob dolorem a fonticulo & inustione natum, novus sanguinis affluxus, novaque fibrillarum oscillatio, humorem contentum mirifice alterans, denuo resuscitatur, & ita humor ad excretionem disponitur.

§. XXIII.

Alterum curationis momentum, quod in restaurando partis tono, totiusque corporis reparatione positum est, requirit partim interna visceralia, stomachica, & tonica, partim externe linimenta quædam ☵ osa & nervina, qualia e ☵ formicar. lumbric. serpill. ♃ nucist. express. bals. parari possunt, nec non sacculi sicci & empl. nervina huc referenda; præter hæc a frigore, vel nimia humiditate, membrum erit defendendum. Utrisque etiam indicationibus aliquando satisfacient thermæ vel acidulæ minerales, ☉ino cathartico & ♂iali principio refertæ, observatis insimul diætæ legibus. Tandem de salivatione ☿iali quid sperandum sit, ut subjungam; haud dubito, illam, si lymphæ pertinacior spissitudo eandem expoſcat, & mitiora remedia non sufficiant, in aliquibus locum haberi posse.

§. XXIV.

Ita quidem tempestivam curandi rationem, licet quoad potiora tantum perlustravimus, restat tamen, ut coronidis loco theoremata quædam practica e casu nostro deducenda, sub finem adnectam. Nimirum ex antecedentibus docemur: I.) Vitæ genus durum, præsertim lotricium, variis, imprimis autem serosis, pathematibus valde obnoxium esse; deinde II.) eos, qui erysipelate sæpius tentantur, hoc suppresso, vel male tractato, in alios, gravesque facile incidere morbos; præsertim vero III.) œdematosos a male discusso erysipelate tumores nasci; quæ IV.) tempestivam curationem requirunt; quia V.) per moram & negligentiam evadunt incurabiles chronicique. Porro perspicimus, VI.) alias serosas excretiones, quales hoc loco e mammis stillare consueverant, ad hos tumores confluere, & ita novum decubitum ad partem debilem recipere; VII. hacque excretione consueta ab externis cohibita, phlegma im-

purum alio loco decumbere; VIII.) tumores particulares & chronicos non facile ultra sphæram & altius ascendere; IX.) humorem vappidum viscosum non semper statim ossa arrodere; & licet X.) cutis interdum facile renasci soleat, nihilominus carnes substratas notabiliter alteratas corruptasque subesse posse. Plura quidem consectaria exinde deducere possem, verum in his subsisto.

FINIS.

CLIII.

HISTORIA PEDIS TUMIDI.

Præside

ALEXANDRO CAMERARIO,

Respond.

PHIL. CHR. LAITENBERGER

KIRCHO-TECCENSIS.

Tubing. 15 Januar. 1720.

Landesbibliothek Oldenburg

Σ. Θ.

Oedipus tibi ſiſtitur, B. L. non *Tragicus Senecæ*, nec *Beccheri Chymicus*, ſed attenditur modo nominis ratio, viſa conveniſſe nuper cuidam noſtratium. Fuerat olim Thebanus iſte *tumore nactus nomen ac vitio pedum*, qui poſtmodum *ſphinga cæcis verba nectentem modis non fugit*, ſed *nodoſa ſortis verba*, *& implexos dolos*, *ac triſte carmen alitis ſolvit feræ*. Tantum nos non promittimus; ſi quis ſibi videatur eſſe *Oedipus*, *non Davus*, ipſi quidem naturæ commendamus ænigmata: Thema ſaltem medicum habemus pedis tumidi, hoc inſignire libuit græco illo nomine. Quod enim in publico quondam ſolebat ad ſe convertere oculos noſtros phænomenon pedis extraordinarium, illud, poſtquam oculis fuit ſubtractum, in memoriam & ſub examen revocare, ut diſſertationis materiam præbeat, & maneat in hiſtoria medica, operæ pretium videbatur fore non nullius. Sc. ambulavit diu inter nos Vir ordinis ſenatorii, qui dici meruiſſet Oedipus, ob pedem craſſum tumidumque valde, multo majorem altero, cujus magnitudo & figura manſerat naturalis. Qualis ergo fuerit illius moles, deſcribendum erit ante omnia, ſequentur inde circumſtantiæ cæteræ.

Pes dexter ſolus, libero ſemper ſiniſtro, à genu ad metatarſum, nec altius per femur, nec inferius per extremos digitos, ubi utrinque nullus fuit unquam receſſus à ſtatu naturali, tractus itaque tibiæ, laborabat tumore inſignis craſſitiei, æqualis, quaſi cylindricæ, ad tactum duriuſculo, ut ſub malleolis tamen digitorum impreſſioni ceſſerit, & veſtigium aliquale ſervaverit; cætera ſanus, indolens, mobilis, ſolo pondere moleſtus, abſque inſolito caloris vel frigoris ſenſu. Sic per urbem, per campum, licuit ambulare, ſatis commode, moleſtia per longam conſuetudinem tolerabili; cum & vir ipſe valetudine gauderet ſatis integra, & pertingeret ad ſenectutem mediam. Circumtulit autem pedem ita tumidum ad viginti quatuor annos, quaſi ſemper in eodem; talis & tanta fuit tumoris conſtantia.

Principium ducitur ab *Eryſipelate*, & *Febre Petechiali*. Ab illo quidem, quippe cui in hoc pede per annum antequam hac corriperetur fuerit obnoxius, & quod poſtea tumori ſupervenerit aliquoties: ſc. rubor, ardor, cum tenſione, ad ſplendorem, ut minaretur perruptionem, quod tamen nunquam factum in hoc pede, bene vero in altero, non tumido, qui poſterior in ordine ab eryſipelate exulcerato late ſuper tibiam mediam anticam maduit, & ſanatus quidem, ſervavit tamen rationem calendarii, puncturis dolorum ad mutationes tempeſtatum.

Febrem

Febrem autem istam sustinuit anno 1695. à fine aprilis in principium maii, & superavit quidem, ut tamen abinde observatum fuerit illud pedis augmentum. Liceat hic immiscere exemplum, quod doceat *fatalia malignitatis*, quorum quidem tanta est copia & varietas. Sc. lues illa urbi per aliquot annos gravis, ab hyeme in ver plerumque gravior, visa vel tandem remisisse & terminum suum attigisse, ex improviso ignota de causa semel quasi adhuc caput extulit, & corripuit *puerperam*, quales personæ alias malignis temporibus solent periclitari: hanc abreptam accesserat, tanquam in iisdem ædibus habitantem; *vidua*, sed & ipsa brevi hinc infecta decesserat; *nosier* ergo hujus gener in ordine sequebatur tertius, graviter tum quoque dejectus, evasit tamen. At *uxor* matri & marito fideliter assistens permansit libera. *Chirurgus* quoque jam dicendi mali curam gerens nihil contagii reportavit.

Scil. in summo morbi acuti, non a decubitu chronico, versus declinationem, animadversus fuit in sinistra natium *sphacelus*, quem & alexipharmacorum epithematibus, & carnis emortuæ exsectione, tractare necessum habuit, bono tamen cum successu, ut mundato ulcere felix obtineri potuerit sanatio, & hoc loco manserit constans.

Quanquam ergo sit in desideratis attentio t. t. ad principii circumstantias, ab isto tamen gravi morbo *tumoris* ducebatur *epocha*: cujus jam per tot lustra gestati sequitur aliquale modo *decrementum*, sed suspectum, tandem enim, qui sub vitæ genere satis quieto opis medicæ diu non fuerat indigus, consulere cœpit post æquinoctium vernum anni 1718. cum incerta vel ignota de causa pes mollior, minor, ita per dies videretur detumescere non plene quidem, non parum tamen, ut spina tibiæ videri potuerit & tangi, restante sacco maxime circa malleolos, ubi digitorum imprimi solebant vestigia; idque absque symptomate aut dolore quodam pedis ipsius: atat quantum decessit *inferis*, tantum videbatur cedere in præjudicium *superis*. Etenim capitis quidam stupor, pectoris oppressio ad respirandi difficultatem, cum virium decremento, invalescebant adeo, ut valediceret, tempus migrandi adesse totus reputans. Ex statu tamen hoc ancipiti liberari, & à gravioribus tunc præservari potuit, ut sub finem aprilis, favente dierum temperie, prodierit in publicum; non tamen sine notabili iterum pedis sui tumidi incremento. Hinc transacta bene satis æstate, sub finem augusti, ab uvis præcocibus, maturis tamen, aliud querelarum genus, scil. de urinæ difficultate, cum muco, ad mictum cruentum, absque dolore lumborum, quod quidem aliquandiu varie molestum videbatur & ipsum remittere, cum brevi ad pectus iterum converso morbo, graviter spirans, tremulus, acute intra quatriduum confectus, diem tandem obiit supremum inter 17 & 18 Novembris 1718. annorum 69. 5. mensium.

Non prætermittenda videbatur tunc occasio, inquirendi, quid monstri hactenus aluerit hic œdipus. Quæ itaque in *sectione* notavi, sunt se-

sequentia : color pedis tunc pallide albus, non fœdus, cum olim fuerit livescens, s. ex rubro cœruleſcens. Cuticula squamularum instar tenuium secedens, quod à longo tempore ipsi dicebatur fuisse familiare. Tumor à metatarso ad, non in nec supra, genu æqualis, circum rotundus, major tamen in postico, nullis prominentibus aut tangendis nodis vel globulis; mollior jam ad tactum ac laxior, quin imo minor, cum olim fuerit satis durus, multo major. Incisa per longum cute mox *stillicidium* largum aquæ primo cruentæ, dein claræ, viscidulæ, in cochleari super candelam bullientis & spumescentis, sub hac autem spuma simile quid grumo lactis, post refrigerationem turbidulæ, non sine pinguedine innatante. Sub cute pes circumcirca involutus *pinguedine*, vera, firma, duriuscula, copiosa inprimis ad utrumque malleolum, ad posticum, & ad partem magis internam, ultra transversum adhuc pollicem crassa. Substantia hujus duplex, *flava*, vesiculosa, pinguis, & *alba*, membranosa, densa, tenax, fortis; cui intertextæ prioris particulæ. In & sub spisso hoc integumento nihil comparuit p. n. Non glandulæ conglobatæ, non venæ varicosæ &c. Sed illo detracto videbantur musculi omnes in salvo, at macilenti, (ut ipse per senectutem & ultimum morbum sensim magis factus exsuccus,) non intermixta ipsis tali pinguedine; & separata inde cutis fuit non crassa, sed tenuis, flaccida, jam rugosa.

Tantum suppetit de nostro. Liceat hinc excurrere aliquantum ad conquirendos casus plus minus consimiles: ubi quidem inprimis egregiam in omni casu per praxin obvio præstare solet operam promtuarium historiæ medicæ, *Miscellanea Naturæ Curiosorum* intelligo, in quibus sparsim occurrunt, quibuscum conferri poterit noster. Figuræ Christianorum S. Thomæ Dec. II. Ann. III. obs. 13. & 14. sistunt tumores, sed inæquales, strumosos, nostro non similes, qui proin transeant.

Ann. 3. ad obs. 69. *Wedelius* in figura femur sinistrum exhibet, sed nimis quam multo tumidius, ac fuit tibia nostri thematis: *modus* a. *materiæ* convenit in tantum; tali tantoque tumore pueri duorum cum dimidio annorum inciso apparuit caro per totum mucilaginosa, compacta tamen, instar lardi antiqui, pinguedinem mentiens, interspersa glandulis, semina cucumeris quam accurate repræsentans; sanguis fere nullus, seri modicum, pus nullum, nisi circa inguen, & circa os femoris, quod etiam cariei senserat primordia.

Dec. 3. 2. o. 155. Rusticus pedem dextrum usque ad genu ingenti affectum tumore, cum ob molem tolerare amplius nequiret, amputari voluit, sed præterlapsis inde aliquot diebus fato functus: dicitur autem pes ille ponderasse *sexaginta libras*, cumque incideretur, *gelatinæ pedis vitulini* speciem retulisse, neque carne, neque sanguine in eo repertis.

Dec. 3. 2. o. 226. ab Ill. Præs. *Schroekio* recensetur obortus post mammæ tumorem disparentem, & abscessum sub axilla curatum, *tumor cubiti œdematosus*, *scirrhosus manus*, omnia per latus sinistrum, ex digito-

rum interſtitiis multum ſeri ſtillans, abſque exulceratione, inflammationi tamen obnoxius, non æque dolore ac pondere moleſtus, nec internis, moderata ſalivatione, ſolvendus, nec externe diſcutiendus aut ſuppurandus, tandem & acutę ſub difficili reſpiratione, non ſine ſuſpicione ſublatentium polyporum, terminatus: itaque ſtagnationi lymphæ, ab ipſius vaſorum compreſſione vel obſtructione, exhalantibus tenuioribus ad viſcidiorum coitionem potius ac acidi coagulationem, abſentibus ſcil. dolore & excoriatione, adſcriptus.

Dec. 3. ann. 2. Obſ. 1. Stupendus brachii dextri puellæ tumor deſcribitur, ſequitur reſolutio caſus anno 4. in app. D. *Gabrielli*, Senenſis, (de quo cum laude Giorn. d'Ital. t. 6. p. 118.) dicitur *natta aqueo-adipoſa*, *hydro ſteatodes*, figura ibi monſtroſa à metacarpo ad medium humerum, digitis in ſalvo, moles ſtupenda, plus ſeſquicentum librarum, quo devenit ſpatio 7. annorum, cujus ſubjectum membrana modo adipoſa, (muſculis ſubjectis naturaliter ſe habentibus.) cauſa lympha, limpida, inſipida, cum aliquali ſalſedine, inſtar albuminis ovi coquendo concreſcens, vah tot librarum, in hydatidibus & ſacculis, qua effuſa comparuit interna ſubſtantiæ uberis vaccæ non lactantis conſimilis. Atat non poſſunt omnia ſiſti in compendio, præſtat remittere L. ad ipſam hiſtoriam prolixiorem, non tamen quam par eſt, & materiæ gravitas requirebat.

Novellæ d. reb. literar. Octobr. 1718. nr. 85. referunt, in *Giorn. d. Ital.* t. 29. recenſeri à *Valliſniero* plane ſimilem tumorem enormem brachii, qui non *hydrops tympaniticus particularis ſpurius* ſit, ſed *polypoſus*, comparatus cum illo Miſc. Nat. Cur. Expectandum, dum ad nos pervenerit liber.

Occulti, ſuſpecti fuerunt etiam *tumores pedum monſtroſi*, quos in iiſdem Miſc. Dec. 3. ann. ult. Obſ. 125. *Nebelius* exhibuit; una cum literis *L. B. à Brunn*, & curatione paradoxa per turpethum diuretica; quæ ſingula attente legi merentur, intra anguſtias pagellarum referri non poſſunt.

Nefas præterire, quæ ſuppetunt ex Miſcell. de tumoribus dexteritate chirurgica *ſutorii* vi ſingularis corroſivi ſublatis, quanquam ſede & forma ſint diſſimiles, huc tamen omnino ſpectant ex conditione materiæ. Dicitur n. e. g. ann. cit. ult. Obſ. 209. in cervice *ſteatoma adipoſum*, vaccinæ mammæ perſimile, attactu durum, albicans; ex innumeris ſparſis hinc inde & confuſis chordis quaſi præditum, cum tuberculis inſtar glandularum, imo lamellis oſſeis interceptis &c. Vel ſolus figuræ conſpectus docet pretium curationis.

Et Dec. 2. ann. 8. o. 227. quis non horreat *ſinciput monſtroſum?* At & hujus ſubſtantia interna potiori ex parte inſtar *lardi*, lardo aprugno plane ſimilis, fuiſſe dicitur; ubi nota iterum ſubjecti cranii conditionem. Non minus Dec. 3. 7. o. 221. felix curatio chirurgica tumoris vægran-

grandis in loco periculoso, sub axilla dextra, radice sua ad brachii crassitiem fixi.

Sed quid si *intra articulos* infectos lateat radix *?* quale pariter exemplum suppetit in toties laud. Misc. Nat. Cur. Dec. 3. ann. ult. o. 193. scil. *Sarcoma cancrosum*, ex cavitate genu pedis sinistri ab externa parte propullulans.

Omni jure huc etiam spectat ex Cent. V. obs. 27. *Morgagni excrescentia membranæ adiposæ*, ab homoplata dextra feliciter resecta, pondere librarum quasi novem deprehensa, & in hunc fere modum ab ipso descripta : „ *Cute crassefacta cum subnexis vasis sanguiferis detracta, undique in conspectum venerunt membranacei sacculi, digiti pollicis crassitudine, nonnihil inflexi, sed tamen secundum tumoris longitudinem positi, cylindri figuram magnam partem referentes, & ab inclusa pinguedine ex albo flaventes, quorum parietes vascula sanguifera perreptabant. Eos sacculos proclive erat, resolutis digito membranaceis vinculis, sejungere, itemque singulos in plures alios diducere, hos autem denique in minimos, intra quos exiguæ, & innumeræ vesiculæ adipe distentæ, adhibito præsertim microscopio, facile apparebant. Hæc erat omnis tumoris structura. Cujus cum partem supposito igne liquari jussissem, perpaucis membranis colando abjectis, ejusdem rationis adipem habuimus, cujus ex saniissimi hominis membrana adiposa habere solemus* ".

Qui sub finem additur tumor de nate viri excisus, figura & magnitudine pueri caput æquans, ejusdem structuræ, petiolo cum adiposa membrana cohærens &c. etiam in *Hist. Acad. Sci. Gall.* ann. 1704. nactus est parallelum, vetulæ macilentæ, cui ad femur exortus tumor mera pinguedine constare deprehensus ; imo per patriam habuit sibi similem non unum. Qualis & *Ven. Parenti* quondam oblatus, ex mera pinguedine constans, cum glandulis paucis, at majusculis conglobatis discretis, ut verbis l. c. utar, cum supposito igne liquaretur, perpaucis membranis colando abjectis, singularem axungiam humanam præbuit, qualem alias ex cadavere violenta morte peremti sibi parare solent anatomici : quin & portio cutis, qua tegebatur prius, detracta præparando in corium elaborata fuit, & asservata forma mitellæ, viro superstite sano & libero.

Possent etiam hic excerpta dari observationum duarum *Pechlini*, sed præstat remittere ad legendum integras : prior est nr. 48. l. 2. sub titulo *pinguedinis anomalæ*; verum ibi omnis pinguedo in abdominis molem conjurasse videbatur, inæquale, ad genua prolapsam &c. Altera nro. ultima, l. 3. *steatoma glandulosum* exhibet, à dextro latere sub costis dextre exemtum, 4. librarum pondere, deprehensum pingue, membraneum, glandulosum &c.

Plures *alterius generis* tumores artuum non conquiram: Citari tamen meretur *manus picta* in ædibus *Lithotomi*, monstrosæ magnitudinis & figuræ

guræ a ſpina ventoſa, ut videtur, tam carioſe exeſa in profundas cavernas, quam in cartilaginoſam ſubſtantiam extenſa & indurata. Alienis autem non immorando diutius, revertemur vel tandem ad Oedipum quondam noſtrum.

Alterius ergo *pedis*, ſc. dextri, ejuſque ſolum *medii*, *tumor* æqualis, *conſtans*, abſolvit hiſtoriam noſtram. Hæc ſunt phænomena præcipua, tria, quæ ſubjectum & morbum concernunt, quibus ſi accedat *materia*, completur numerus eorum, quorum ratio quæritur. Pro cujus inquiſitione liceat excurrere ad Autorum placita, tam de cauſa *obeſitatis nimiæ*, quam *intumeſcentiæ partium* in genere; ſi quidem forte illa huc applicari poſſit per determinationem latius diffuſi ad certam partem, hæc autem præbere analogiam ad noſtrum caſum.

Ætiologia tumorum vulgo præſupponit *humorem* quemcunque, vel ſenſim in parte *collectum*, vel confertim eo *influentem*; illud vitio vel *partis*, vel *alimenti*; hoc aut per *attractionem*, dolore, calore, aut per *pulſionem*, ſc. juxta tab. 7. *Mœbii*: ubi tamen reſpiciendum quoque monetur ad *partem mandantem & recipientem*. *Wedelius* in pathol. dogm. rationem inſuper habet *Archei*, utpote qui omnium, quæ in corpore fiunt faber audit, aut negotium quodcunque ſ. recte ſ. ſecus procurat, adminiſtrat.

Hæc igitur in omni tali caſu erunt, quæ in diſputationem venient: *Utrum* ad caſum conveniat languens a morbo natura, vappeſcens maſſa ſanguinea, tardioris circuli, partium atonia, vi cujus hic vel ibi materia peccans ſenſim hæreat, ægrius promoveatur?

Vel, ſuperior morbo natura, confertim objectum moleſtum expellens ab interioribus, ſuperioribus, nobilioribus, ad exteriora, inferiora, ignobiliora?

Diverſi utrinque adhuc ſuppetunt modi, & in *impedimento reditus*, & in *expulſu heterogenei*, quos non niſi ex circumſtantiis determinare licebit. Nec enim culpam modo quærendam *infra in parte*, ſed & *altius ſitam* eſſe poſſe & ſolere, docent tot exempla. Ab imo quidem ventre *gravidarum* pedes œdematoſi; a medio ventre *aſthmaticorum*, *Patini* c. g. aneuriſmali polypo confecti; pedes tandem œdematoſo tumore inflati, non levi quidem (ſed vana, & falſa,) plurium conjectura & ſpe, aquarum in ſpiritalibus partibus exundantium illam fore ſalutarem metaſtaſin. Ex app. M. N. C. 3, 1. Et *a febribus* pedum tumores utrum arguant, viſcerum infarctum, teſtimonio hypochondriorum forte tumidorum, durorum, vel exhauſtas naturæ vires, conſiderandum.

Quod autem *expulſionem criticam* vel quaſi talem, ſ. imperfectam, concernit, conformis quidem habebitur ipſa & explicabitur *aphoriſmis* 31. ſqq. 44. 74. ſ. 4. ubi *apoſtaſeon & phymatum* fit mentio, tanquam febricitantibus ſupervenientium; verum rationem prioris ita declaravit *Stahlius* ſing. progr. ut adjungi mereantur *apoſtematibus* etiam *apoſtaſes* in tab. 16. *Mœbii*. Cumque in citatis aphor. determinentur hæ ſpecialiter ad

arti

articulos, quid vetat, etiam pedes, artus, ſecundum id quod eſt præter & extra articulationem, intelligere: quamquam circa malleolos tumores ſoleant eſſe majores.

Sc. vel ex poſt facto, ab eventu, bene diſpar talium a morbo prægreſſo vel acuto vel chronico tumorum obſervatur conditio, prout vel *alterius* eſt vel *utriuſque*, pedis vel *totius* vel *tibiæ* ſolum, cum *motu* tumoris vel *ſurſum* vel *deorſum*, ad *incrementum*, quod communiter metui ſolet, hydropicum, vel *decrementum*, remiſſionem, evaneſcentiam, ut neſcias, utrum tranſpiraverit an retroceſſerit continens tumoris cauſa, materia.

Eſt inſuper circumſtantia notabilis illorum, quibus a ſuperata febre acuta convaleſcere incipientibus pedes intumeſcunt, vel unus modo pes intumeſcit, non ſimpliciter, nec tacite, ſed poſt prægreſſos dolores *non* externos *eryſipelaceos*, *ſed* internos *ſpaſmodicos*; ubi conſequenter ad has ſtricturas ille humorum receſſus ſe habere videtur.

Laud. *Stahl.* in cit. progr. & diſp. ſing. d. raris morbis, a curatione ſuſpecta, *abiſu* in ſpecie *volatilium*, tale quid annotavit. Nobis tamen nota ſunt exempla, id ipſum in gradu non levi perpeſſorum, qui morbum tantum non in ſolidum naturæ commiſerant & ſuperaverant. Idem quoque pecul. diſp. *œdemata podagricorum*, quam differant a principio *hydropis*, ex profeſſo diſquiſivit. Equidem arthriticorum ſpaſmus, dolor, phlogoſis, apoſtaſis non ſuppurabilis, (ſ. rheumatiſmus audiat ſ. arthritis vaga,) œdema etiam ordine ita ſe excipiunt, ut poſteriora deducenda videantur a prioribus.

Determinans autem *ad alterutrum* modo *pedem ratio* dabitur vel ab *extra*, vel ab *intra*. Exemplum illius aut occaſio erit e. g. a diſtorſione, *ſubluxatione* malleolorum, unde meminimus longam ita tumidi pedis inferi moleſtiam, ſuſpectam quidem feliciter tamen evictam, ut nihil ultra poſt ſe traxerit.

Tumor permanens ab *eryſipelate*, à *ſcabie*, male curatis, quæri poteſt in indice *Junkeri* prax. Stahl. Applicari etiam poteſt quartus *Boerhavi* modus, ſ. finis abeuntis inflammationis in ſcirrhum §. 392. non reſtringendum forte ad ſolas glandulas. Idem tamen §. 371. & 374. inflammationem, cruoris arterioſi in minimis canalibus ſtagnantis attritum a motu reliqui cruoris moti, pro ſubjecto totum fere corpus habere dicit, nullibi tamen frequentius & tenacius quam in adipe obſervari ſubjungit. Exemplum autem *apoſtaſis in ſcirrhum* abeuntis legi meretur in M. N. C. 3. ult. O. 121. Memini me vidiſſe manum ancillæ dextram ad cubitum uſque, ſalvo humero, conſtanter ita tumidam & mole gravem, ut operas tamen præſtaret domeſticas & ruſticas etiam duras. Dicebatur autem enormis ille tumor principium habuiſſe a frequentibus in brachium anticum eryſipelatibus, ut ipſa graviſſime decubuerit, digitum medium aliquando veſicæ gangrænoſæ occupaverint, abſceſſus in

vola manus apertus multum puris fuderit, &c. Certe riget inde adhuc digitus ille, ad usum ineptus, turgent reliqui, utut nihil ulceris supersit, nisi ad juncturam carpi subinde rhadages, dum puella de cætero sano.

Utrum *suppedanea* acria, *vesicatoria* forte per morbum posita, determinent magis naturam huc quam illuc, poterit etiam in considerationem venire?

Repeti & haberi iterum ratio poterit *viscerum superiorum*, quorum respectus ad œdemata in Misc. Nat Cur. cent. ult. p. 322. fuit propositus. Scil. veterum pars mandans, item *illud* κατ' ἔξιν, *s. hepar. s. lien*, non nihil hic valebunt.

Per analogiam huc revocari possent rationes *Kozaki*, ad observationem, *cur ulcera, eruptiones sanguinis, &c. frequentiores fiant ex venis poplitis, suræ, quam parvi pedis, vel femoris?* Prætendit enim concedi futuræ alias causæ morbificæ exitum in extremitatibus, ubi sensim in ungues & callos absumatur pondus humorum; emunctorium autem superioribus patere per hæmorrhoides, &c. Sic quod in medio inter ista duo hæret, determinatur ad tibiam.

Transeundo ad *lardum* nostri *œdipi*, quæstionibus quidem hac vice nec videtur locus, nec opus, quia versamur in practicis, quibus fere perinde est, quodcunque placeat ex dicendis; Utrum intermedia requiratur *glandula*, quæ materiam pinguedinis a sanguine ex arteriola secernat in vesiculas? Vel *arteriarum pori* num sufficiant pro transmittendis non nisi pinguibus particulis, globulis, aquæ per microscopium in natare visis? Utrum peculiares per corpus vadant *adiposi ductus?* &c. Hæc talia modo anatomiæ oculatiori & physiologiæ relinquimus.

Modus autem *materiæ pinguis* per tumorum talium historias observatur fere *triplex*: primus constituit *Steatoma*, tumorem dictum cum folliculo, quo sebacea concludatur materia; Alter format fundatque protuberantias istas grandes, quasi *excrescentias*, multarum librarum molem, meræ intus pinguedinis, intercepta tamen glandula conglobata hic & ibi, sessiles vel pendulas massas, quin globos; tertius partem ut *spissum involucrum*, instar spleniorum subjectos musculos, circumcirca ambit & involvit.

Dispositio partis s. aptitudo ad augmentum tale ac tantum fundatur in *subjecto specialiori*, scil. in *Membrana Adiposa*, quæ est inter integumenta corporis humani universalia fere totius, circa suram certe præsto est, constans vesiculis mollibus, laxis, ut plures usque lobuli, sacculi, fieri, augeri & ampliari possint, insinuante se per interstitia & urgente dicta huic loco congrua materia. Hæc ipsa utique in se bona est, oleosa, pinguis, chyli & sanguinis portio, aquæ satis intime non commisceri solita, sed ad secessum prona.

Hujus concretioni affignatum fuit quondam *frigus*, sensu scil. medico, minor

minor calor: & obesus alias corporis habitus non æque est, ubi prævalet caloris impetus, quam ubi lympha temperatur; quid quod in alterum extremum seri crudi & laxi observatur degenerare. Utrum *acidum* accedat, quod *Dolæus* voluit in encycl. chir. pro concretione, si blandum dicatur, facile concedi poterit; eo magis, cum sulphuris principio acidum detur a chymicis.

Fuit autem hoc specimen nutritionis & augmentationis singulare, ergo a *corpore organico* abesse nequit ipsius *Actus*, structuræ hujus & conformationis in se artificiosæ, excessu hic saltem peccantis, *directoris* s. Archæus ille Wedelii, s. natura Hippocratis, s. anima Aristotelis.

Quanquam enim passim per corpus, ubi semel paratus est quocunque casu *locus minoris resistentiæ*, solet eo vergere & pergere motus spirituum & sanguinis protrusorius, prolongatorius, juxta conditionem partis: Videtur tamen principium illud agens etiam, *quasi re bene gesta* fovere & continuare institutum suum s. rectum s. erroneum.

Posset advocari adhuc ex aph. Hipp. quidam, sc. nr. 45. s. 4: *Quibus phymata aut dolores in articulis oboriuntur post febres, hi copiosiore cibo utuntur.* Scil. superato morbo natura ut vires recuperet, sic & carnem & pinguedinem, quarum plenitudine consistit corporis habitus melior, appetitui indulget. Sic prior tumor erysipelaceus, scabiosus, &c. erit juxta *Vett.* per facultatem expultricem, alter per retentricem & coctricem explicandus.

Inde *constantia tumoris*, influxu & refluxu superstite & in salvo. Si lympha in hydrope saccato durat per annos incorrupta, si & alia p. n. extravasata diu præservantur, quia non conceditur aëri externo appulsus: Quanto magis membrana adiposa manere potuit in suo statu augmenti per tot lustra, salva qualitate & structura interna. Fuit enim augmentum illud in quantitate sola, ita, ut etiam distinctæ manserint vesiculæ pinguedinis aut lobuli, textura candicante fibrosa comprehensi. Naturalis adeo status duravit per tot lustra, non fuit facta confusio in massam informem. Non injusta autem hic fuit comparatio illorum, qui modum substantiæ tumorum istiusmodi similem dixerunt *uberi vaccino*; interiora n. hujus exhibent etiam distincte texturam talem fibrosam solidiorem vel tenaciorem, & interceptas massulas flavescentes.

Epicyclum quendam in tumoribus loc. laud. adduxit *Wedelius.* Hunc in nostro casu probat pedis decrementum. Commune cum tumoribus phænomenon. Utut non plene detumuerit, notabilem tamen suæ molis passus est diminutionem. Etenim & ipsa pinguedo mansit plus minus mollis, & aderat ipsi lympha fluxilis resorberi apta. *Tabes* autem in primo sui gradu pinguedinis infert consumtionem, s. concipiatur illa transpirare, s. revocari in sanguinem. Etenim hic videtur esse respectus provisionis in futurum, thesaurus in casum necessitatis, de quo videsis *Stahl.* in physiol. Et animalia quædam per hyemen pigra dormire

re dicuntur sustentata suo pingui, (sed & tandem imminuto,) vel tanquam alimento, vel acrium humorum lenimento. Sed *doctrina de resorptione* considerationem meretur ampliorem.

Quod de occlusis emissariis fonticulicorum, ulcerum antiquorum, &c. observat *Lancisius* d. mort. subit. c. 19. hæc *tam signum quam causam solere esse metuendæ mortis inopinatæ, quatenus nimirum vel sensim modo deficiant, ob universam fluidorum solidorumque machinam de suo robore remittentem, & secretionum munera languide exercentem, vel etiam deleteria mixtura sua partibus nobilioribus in quas decumbunt, ocyssimum exitium portendant*; Idem valet & applicari etiam potest ad subsidentiam partium tandiu plenarum, tumidarum. Uti quidem nostro tale quid fatale olim fore & instantis mortis prodromum, jam diu est quod prædixerat amicus.

Istis, ita quidem se habentibus, in posterum *quid consilii*, si quando casus iterum obvenerit similis? Præsuppositio, per cautam *diagnosin* constare de hac tumoris specie, de hoc materiæ pinguis modo, tam per remotionem signorum œdemati propriorum, quam per observatam præsentiam phænomenorum recensitorum, tunc quidem *Therapia* in casu ceu nostro, quo radicatus & inveteratus offertur affectus, deliberandum proponit: *Utrum* tolerandus sit tumor molestus quidem, cætera tamen benignus, & patienter ferendum, quod videtur mutari non posse? *An* vero possibile vel consultum sit, eidem resistere? Exacerbare quidem s. dormientem canem quasi excitare, minus tutum videtur.

Operatio chirurgica, qualis per exæresin prominentium tumorum singulari dexteritate & felicitate peracta loc. cit. legitur, locum in casu nostro non habuisset.

Quia tamen *erysipelati* obnoxius erat œdipus, hujus ergo tam præservatio quam curatio talibus proponenda, commendanda. Præstat vitando errores diætæ non dare occasionem, turbatum corpus, afflictum pedem tradere quieti, calori, &c. quam talem apostasin vel repellere vel figere. Si quid tamen desideretur ad extra, præsto sunt tot epithemata sicca, modeste resolventia, vel & spiritus bene fugaces, tenues, penetrandi vi insignes, & prostant passim, ut recenseri ne quidem videatur opus.

Quia porro tamen vel tandem decrementum aliquale notatum fuit, quotiescunque tale quid observabitur, ne in præjudicium capitis, pectoris, &c. vergat, tempestive *revocanda* ad sedem quasi pristinam natura, vel *divertenda* erit: Quin etiam *præservative* per annos tolerantiæ, vere & autumno, *affluxus* partem usque in majus augmentum deductus *præoccupandus*; & *refluxus*, quem importat citatus epicyclus, ad alvi & urinæ vias *determinandus*, habito semper respectu virium & viscerum: Etenim horum conditio superstes si fuerit laudabilis, præcipuum spei vel pro-

prognoſeos bonæ fundat principium; Secus dubiæ, ſi deficiat, langueat.

Utrum *balneandus* talis œdipus? Videtur obſtare metus relaxationis uſque majoris, ad augmentum ulterius. Videntur ſuadere paroxyſmi eryſipelacei, toties ſuperati, aquam ſiccandi virtute alcalina præditam.

Utrum in œdipi ſummo, ſub genu, ponendus *fonticulus*? Clauſos quidem tumores glandulosſo-pingues ſervari velim: quoniam tamen obeſi alias ulcuſcula talia artificialia facile ferunt, forſan & hoc emunctorium poterit concedi.

Denique in Miſc. N. C. 3. 4. app. quæ ad monſtroſum exceſſum pervenerat *Natta* declaratur incurabilis, & teſtimoniis aliorum fruſtra in curandis ſimilibus occupatorum confirmatur. Nec hoc ſatis, etiam *nocentia* referuntur, interque ea in ſpecie *vapor aceti.*

Quodſi tamen tumor talis non in facto eſſe, ſed *in fieri* adhuc veniat curandus, utrum in tali caſu tutum adhibere *repellentia*? Pro reſponſione remitto de talibus ſolicitum ad diſp. B. Dn. D. *Gerlachi*, ſub præſidio *B. Avi* habitam, ubi hoc thema ex profeſſo ſic tractatum inveniet, ut non adeo difficilis futura ſit applicatio ad diverſas cauſas & caſus.

Et quid videtur de illo *Wedelii*, quo paragraphum de tumoribus ab aberratione archei deducendis claudit? *Tanti eſt hæc ipſa cauſa, ut in hac ſola ſæpe nervus totius curationis, in corrigendo puta errore hoc locali conſiſtat.* Non difficilis ero in concedendo. Cauſam autem communem faciant cum medicis philoſophi, quos vexat difficilis de ideis doctrina.

Cæterum quæ inſuper huc referri poſſent, remittendo ad ſua loca tranſmittam. Curatio œdematis podagrici haberi poteſt ex laud. diſp. *Stahlii*, ubi inter alia laudes *pilul. balſamicarum*: Curatio pedum tumidorum poſt purpuram albam, ſ. febrem miliarem male curatam, per purgantia, diuretica, antiſcorbutica, traditur ab *Hamiltono.* Si quis conſilia ad obeſitatem nimiam velit conferre, evolvat *Dolæi* Op. laud.

De *Salivatione* in tali caſu procuranda tantum nobis conſtat: Fato non ita pridem triſti extincta fœmina circumtulit pariter brachium anticum conſtanter ita tumidum, cujus quidem molis principium imputabat *ſcabiei* ab unguento *ficcatæ*, anno ætatis undecimo, cui cum poſt aliquot annos a febre acuta morbilloſa accederent menſium defectus & languor, cum gravibus querelis præcordialibus, fruſtra variis tentatis, tandem, præmiſſis vomitibus & venæ ſectionibus ad deliquia uſque, curam chirurgi ſuſtinuit ſalivatoriam. Et ſub dura tali tractatione cum toto corpore ſatis extenuato diminutus in tantum fuit ille brachii tumor. Verum enim vero habitu corporis poſtea bene iterum nutrito, rediit etiam brachium ad priſtinam craſſitiem, reſtituto quidem vel tandem fluxu menſium, & ipſa melius valente; ſed obnoxia per idem brachium *eryſipelati*, propter quod balneavit in vicinia, idque bene tuliſſe videba-

tur. Atat inter querelas alterius generis & hæc tumidi brachii moleſtia fuit toleranda ad uſque vitæ finem. *Tantum Occaſione Oedipi!*

QUod ſupereſt chartæ, ne maneat vacuum, habeat pro *Appendice* vel Corollariis particulam ex *Hiſtoria Patriæ Naturali*. Etenim *Kirchemium*, alma *Reſpondentis* Mater & Nutrix, ad rivos per ſylvas verſus alpes, in fodimis maxime lapidis ſciſſilis, a pluſquam ſeculo, a temporibus *Bauhini*, & in minerali regno animalis reliquiarum, tantam copiam, mirum adeo varii generis concurſum, ſubminiſtrat, ut tam ratione materiæ quam figuræ vel primo aſpectu non poſſit non eſſe admirationi.

I.

Inter talia nobis nova, digna quæ publico innoteſcant, & in diſputationem vocentur, quid ſint, & unde veniant, (loco n. quo leguntur & eruuntur, facta non videntur.) ſunt *Aſteriæ*: non æque illi, quaſi trochiſci, aut breves *columnulæ*, ſed potius *longi* admodum, *entrochi* (neſcio quibus alibi nominibus inſigniti) pluſquam ſpithamæi, quin cubitales, non modo *ſimplices*, multi, *paralleli*, ſed etiam *ramoſi*, à trunco craſſiore in longitudinem gracilem ita protenſi, ut diſtincte tamen ſuos ſervent *articulos*; integri, fracti, ferruminati &c. Vulgo conſtant materia *Selenitica*, ſed miramur jam quoque *pyriticam*, quaſi æneam, non per armaturam modo ſuperficialem, ſed intime, ſolide. Quid aliud eſt in rerum natura? Quidve in figuris *Geſneri*, *Rumphii*? quod huc quadret: Ac *ſtellæ marinæ* rarioris, majoris, rami aut brachia. Unde? niſi a *mari*. Quo fato? Niſi per *diluvium* &c.

II.

Effodiuntur opes illæ curioſorum ex *lapide ſciſſili*, cujus ſtrue intercipiuntur, non quidem in maſſa continua, ſed inter *ſtrata*, per ſecula reconditæ, nuper detectæ. Prætenditur autem notabile phænomenon obſervari jam diu ſatis conſtanter in ſitu & reſpectu ad mundi plagas. *Laminæ* illæ ſciſſiles, planæ, varie craſſæ, (quarum gratia foſſores in profundum penetrant, ut tegulas pro ædibus eruant, cæterarum nobis curioſarum rerum plerumque incurii.) longæ, latæ, multæ ſunt & ſibi contiguæ, per rimas, fiſſuras, anguſta interſtitia: *Ächten* vocant. Hæc tendentia in plano horizontali obſervat *Lineam Meridianam*, & vel ipſis foſſoribus ſplendente ſole naturale quoddam præſtat *ſciatericum*. Rationem hujus directionis deſideramus ab ingenioſis, qui nos doceant: *Utrum*, & cur, limus olim ſubſidens ſiccando ita fuerit fiſſus? *Vel* ſoli-

solidius jam saxum forsan terræ motu juxta hanc lineam olim fractum? Aut, num quid magnetici sit in ipsa materia? Non possumus non commendare vicinis hujus rei examen ulterius accuratum ad solem & magnetem: Et simul omnem modum ordinis & situs alienorum, figuratorum, stratis ibi interceptorum.

III.

Inter *acidulas* Patriæ multas nobis non constat de ulla, quæ *cum gallis atramentum* præbeat, hinc *martis* particeps sit, præter illam, quæ *Hattenhovæ*, ejusdem regionis pago, propinqua est; ulteriori proin examine digna. Sic autem confirmantur, quæ extant in *descr. font. bollens.* p. 16.

SOLI DEO GLORIA.



DISPU-

Landesbibliothek Oldenburg

CLIV.

DISPUTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
VENÆ SECTIONE.

Præside

ALBERTO DE HALLER,

Respond. Auctore

J. JULIO WALBAUM

GUELPHERBITANUS.

Gotting. 30. Sept. 1749.

Landesbibliothek Oldenburg

SECTIO I.

De venæ ſectione veterum.

POſt lapſum primi parentis homines morbis obnoxii omni ſtudio laborarunt, ut malis iſtis mederi poſſent. Medelam ergo, adhibita manuum opera in malis, externa vi illatis, quæſiverunt in herbis, quarum ad vires intenti, quidquid memorabile obſervaſſent, cum aliis communicaverunt [*a*]. Sic quilibet paterfamilias ſuæ ipſius familiæ aliorumque fuit medicus: uſque dum, literis inventis, deorum commentitiorum ſacerdotes, quæcunque de morbis eorumque medelis notatu digna aut ipſi vidiſſent, aut aliorum traditione accepiſſent, ſcriptis mandarent.

§. II.

Principes hac in arte procul dubio exſtiterunt Aſſyrii vel potius Chaldæi, poſt eos Aegyptii, ex quibus Hermes ejuſque diſcipulus Aeſculapius præ ceteris eminuerunt. Græci deinde, ut in reliquis fere omnibus ſcientiis Aegyptios habuerunt magiſtros, ſic & in medicina. Inter iſtos Chiron in primis & Apollo famam re medica ſibi comparaverunt, itemque filius Apollinis Aeſculapius cum illo Aegyptiaco non confundendus, quem tamen, uti patrem, fictitium eſſe, *Daniel le Clerc* contendit. Quod ad ejus filios Podalirium & Machaonem attinet; Græcos re vera medicos fuiſſe, quos poëtæ veteres Aeſculapii filios nominaſſent ad eorum gloriam augendam, idem credit [*b*]. Podalirium hunc, qui in bello Trajano cum fratre ſuo vulnera ſanavit [*c*], jam venæ ſectionem, de qua potiſſimum hic agere ſtatutum eſt, adminiſtraſſe, legimus apud *Stephanum* (*d*) geographum.

§. III.

Quamquam is vero omnium primus eſt, de quo certo ſcimus, eum venam

(*a*) Lege quadam apud Babylonios primis temporibus ſancitum erat, ne quis ægros, quos lectis in forum exportaverant, præteriret, antequam morbo conſiderato, eis conſilium dediſſet. Herodotus libr. I.

(*b*) Hiſt. de la Medecine L. I. Cap. VII. & XIX.

(*c*) Celſus in præfatione L. I.

(*d*) Lib. de urbibus ſub titulo *Syrna* „ φασὶ δὲ ὅλως ἀθυμοῦντος τῷ Δαμαιθῷ τὸν Ποδαλείριον, ἀφ' ἑκατέρου τῶν βραχιόνων αἷμα ἀφέλοντα, σῶσαι τὴν παῖδα. *Sic vero, aiunt, id feciſſe, cum animum deſponderet Damaethus; Podalirius ab utroque puellæ brachio ſanguinem extraxit, quo puellam ſanitati reſtituit.*

venam secuisse; hoc tamen remedii genus multo ante jam apud Aegyptios in usu fuisse, conjectura assequi potest ex verbis *Plinii* majoris [*e*], qui hippopotamum [*f*], quem Nilus habet, hujus operationis quasi magistrum extitisse (i. e. occasionem inventioni dedisse), scribit. Et licet *Daniel le Clerc* hanc *Plinii* relationem de hippopotamo [*g*], ut & illam de ibide [*h*] inter fabulas referat, quo tamen fundamento nixus, id fecerit, plane sum ignarus; *Prosper* certe *Alpinus* veterem famam confirmare videtur, cum refert [*i*], urbis Damiatæ in Aegypto inferiori incolas, vel regionis circa eam, ubi hodienum hæc animalia observantur, sæpe in Nili ripis colluviem sanguinis recentissimi, in terram sparsi observasse. Habemus ejusmodi exemplum in nonnullis equis, utpote qui, nimis vehementi cursu exagitati, venam quandam sibimet ipsis mordendo aperiunt [*k*].

§. IV.

Tametsi *Daniel le Clerc*, cum hæc negat, nobis refragari videtur, nihilo tamen secius primæ nostræ sententiæ alia quidem ratione accedit, dum Aegyptiorum Aesculapium secundum, cujus *Cicero* [*l*] mentionem injecit, pro auctore venæ sectionis habet [*m*].

§. V.

Causas si dispiciamus, cur antiqui miserint sanguinem, magnum earum catalogum invenimus apud *Galenum* aliosque auctores. Plerique ex iis secuti sunt morborum indicationes tam prophylacticas [*n*], quam therapeuticas, quarum princeps fuit plethora ad vasa, itemque ad vires [*o*]: illam ex distensione vasorum, hanc vero ex gravitate corporis dignoverunt. Speciatim magnitudo morbi aut præsens, aut imminens, licet

(*e*) Hist. mundi L. VIII. C. XXVI.

(*f*) Effigiem hujus animalis exhibet Io. Ludolf. in Hist. Aethiopica: Prosp. Alpinus, Hist. Aegypt. natural. Plura de eo collegit Excell. Car. Aug. a Bergen in Diss. de dentibus hippopotami Frf. ad V. 1747. 4.

(*g*) L. I. C. XIIX. lib cit

(*h*) Galenus huic contrarium affirmat hisce verbis: *Ego frequenter canem sibimet studiose vomitum provocantem, avem quoque Aegyptiam clysteres imitatam vidi* T. V. p. 1065. Sic citare lubet compendii caussa Galenum ex editione Frobenii Basil 1549.

(*i*) Hist. Aegypt. natural T. I. pag. 247.

(*k*) Sic narrant medici equarii de equis Hungaricis Tartaricisque, id quod Io. Bapt. Montanus etiam in sua universa Medicina pag. 918. annotavit.

(*l*) De natura deorum L. III.

(*m*) L. I. C. XIIX. l. c.

(*n*) Galenus. T. V. pag. 1100.

(*o*) Hanc Galenus plethoram κατὰ τὸ ἔγχυμα etiam appellat T. V. p. 1105. & p. 1108.

Landesbibliothek Oldenburg

licet plenitudinis ſignis careat (*p*), nec non phlegmone (*q*), & peracuti dolores (*r*) ipſis ſanguinis evacuationem indicabant.

§. VI.

Præterea probe ante conſideraverunt, quam ſeſe ad ſanguinis miſſionem accingerent, totius corporis habitum externum atque internum, utrum ſit corpus valens, aut obeſum, an tenue aut infirmum: ſigillatim vero ætatem, virium robur, plenitudinis quantitatem & qualitatem, excreta & retenta, tempus, regionem, conſuetudinem vitamque anteactam (*s*), quæ omnia partim coindicant, partim vero contraindicant ſanguinis detractionem.

§. VII.

Obeſis & infirmis parum aut nihil ſanguinis per venæ ſectionem, ſed potius per ſcarificationem evacuabant (*t*): robuſtis contra, & qui ſtrictioris corporis habitu ſunt, eo plus cruoris, vena ſecta, detrahebant.

§. VIII.

Aetatem diſtinxerunt in puerilem, quæ infra primos quatuordecim annos eſt, in vegetam ſ. florentem, ac denique in ſenilem. In prima ætate *Hippocrates*, *Galenus* (*u*) & reliqui Græci fere omnes, quidque eos

(*p*) Oribaſius L. I. C. VII. Collect. Galenus T. V. p. 1111.

(*q*) Galenus T. V. pag. 1110. Quid vero phlegmone ſit, vide ſis apud eundem T. VI. p. 1108.

(*r*) Cæl. Aurelianus L. I. C. XIV. XV. acut morb. & L. II. C. XIX.

(*s*) Galenus T. V p. 1108.

(*t*) *Intereſt*, inquit Celſus L. II. C. X. *inter valens corpus & obeſum; inter tenue & infirmum. Tenuioribus magis ſanguis, plenioribus magis caro abundat. Facilius itaque illi detractionem ejusmodi* (i. e. per venam ſectam) *juſtinent: celeriusque ea, qui nimium eſt pinguis, affligitur.* Galenus T. V. p. 1115. *Deinde conſiderandum, quæ ſit hominis naturalis temperies. Nam quibus ampla vena ſunt, quique modice graciles ſunt, nec candidi, nec tenera carne præditi copioſius evacuabis, contrarios autem parcius.* Conf. etiam T. VI. p. 278. & p. 381. His propterea ſuadet ſcarificationem crurum Tom. V. p. 113. & Celſus L. II. C. XI. In eo illum ſecuti ſunt Ægyptii recentiores, ut Proſp. Alpinus L. II. C. VI. de Medic Ægypt. refert. Conf. not (47).

(*u*) Horatius Augenius L. II. C. VII. de S. M. quidem probare ſtudet, Galenum non omnino ſanguinis miſſionem in pueris prohibuiſſe, ſed ſolummodo tam largam evacuationem, qualis in matura ætate ſuſcipiatur. Utrum vero hæc veritati reſpondeant, ulteriori inquiſitioni relinquimus. Nobis in præſentia ſufficiant hæc verba Galeni: *Nec pueris venam tundes, usque ad XIV. ætatis annum.* Tom. V. p. 115. Tom. VI. p. 278. & 694. Tantum adjiciamus, quod Hor. Augenius ipſe ſanguinis evacuationem, phlebotomo in pueris factam, abjiciat, ac loco ejus ſuadeat ſanguiſugas L. I. C. VII. l. c.

Landesbibliothek Oldenburg

eos secuti sunt, sanguinis evacuationem plane interdicunt, exceptis quibusdam Arabibus, ut *Avenzoar*, *Avicenna*, *Haly Abbas*, quorum primus filio suo trienni jam venam secuit. Hos forsan imitati sunt Aegyptii tempore *Prosp. Alpini*, qui refert, eos non secus in pueris hanc evacuationem, ac in aliarum ætatum hominibus frequentasse, sed magis scarificatione, quam venæ sectione (*x*). Senibus in universum quidem eam quoque non admittunt, necessitate tamen summa urgente, & septuagenariis fortibus sanguinem evacuarunt (*y*). *Celsus* vero hanc distinctionem susque deque habere videtur, cum dicit: *At firmus puer & robustus senex & gravida mulier valens tuto sit curantur* (*z*).

§. IX.

Omnium maxime vires, quales sint, accurata mentis trutina examinarunt; ubi enim fractæ essent, nullam omnino sanguinis missionem concesserunt (*a*). Robur virium ex vehementi & magno pulsu cum æqualitate cognoscere *Galenus* (*b*); e contrario autem debilitatem ex pulsu inæquali in vehementia & magnitudine, vel etiam obscuro *Paulus Aegineta* (*c*) nos edocet. Hic loci quoque mentio injicienda est hominum mollium, qui sensibilitate oris stomachi aut debilitate ipsius ventriculi laborant, quibus *Avicenna* pepercit (*d*).

§. X.

Plenitudinis quantitatem ex iis, quæ supra §. V. de plethora allata sunt, pensitabant: qualitatem vero partim ex coloribus ac specie, dum corpus a calore frigoreque modice affectum est, partim ex iis, quæ hu-

(*x*) Lib. II. C. V. Medic. Ægypt. Quid? quod illi infantibus, annum nondum natis, sanguinem, cruribus vel auribus scarificatis, detraxerunt. ibidem Cap. VII.

(*y*) Galenus T. V. 1116. Oribasius L. I. C. IX. Botallus ex recentioribus ita judicat; *Senex morbosus aut mali habitus, non ejus, qui ex sola virium senescentium resolutione advenit, qui nulla arte evitari aut corrigi potest, sed ejus, qui ad aliquod vitium sequitur recte sanguinis missione adjuvatur, & hac frequenti potius & moderata, quam rara & abundanti* Lib. de curat. per S. M. §. III. in Operib. ex ed. Io. van. Horne.

(*z*) Lib. II. C. X.

(*a*) Celsus l. c. *Interest enim, non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint. Cæl. Aurelianus L. I. C. XII.* morb. ac. *Phlebotomia*, inquit, *a jugulatione non differt, cum, vexatis viribus, adhibetur.* Paul. Ægineta L. VI. C. XLI.

(*b*) T V. pag. 1116.

(*c*) l. cit.

(*d*) L. I. pag. 220. *Tibi etiam cave, ne subtilitatem sensus oris stomachi habentem, aut ipsius debilitatem, phlebotomes*, Videatur Actuarii L. III. C. II.

Landesbibliothek Oldenburg

humorem naturæ conjuncta sunt, dijudicabant (*e*). Quando igitur crudi succi, in humoribus exsuperantes, aderant, magna circumspectione vacuabant (*f*), cumque malignitas humorum major esset virium robore, nihil plane ejusmodi suscipiebant. Huc quoque refert *Cælius Aurelianus* arthriticos, œdematosos (*g*): *Albucasis* vero hydropicos (*h*): sed de arthriticis *Galenus* aliter sentit, dum iis venæ sectionem in veris principio suadet (*i*).

§. XI.

Excretionibus consuetis præmature aut plane suppressis, nimiumve profusis (*k*), S. M. ad tempus differebatur, præsertim alvo vehementer laxa (*l*). Sin autem alvi durities vel obstructio adfuerit, indicationibus & sanguinis mittendi, & alvi laxandæ simul urgentibus, alii & quidem antiquiores post (*m*), alii ante (*n*) sanguinem detractum vel clysterem emollientem, vel laxans quoddam præscripserunt. His enim erat opinio, venas, sanguinis evacuatione, alvo obstructa, exinanitas, attrahere ex intestinis aliquid ejusmodi impuritatis, quo tota sanguinis massa corrumperetur. Verum id vanum esse, fusius demonstravit Botallus (*o*). Nihilo tamen secius idem ille auctor in iis, quibus potius humorum colluvies, quæ in ventriculo & intestinis latet, caussa

(*e*) Galenus T V. p. 1108.
(*f*) Galenus ibidem pag. 1113.
(*g*) L. II. C. XIX. morb. chron.
(*h*) L. II. C. XCV.
(*i*) T. V. p. 1109.
(*k*) Actuarius L. III. C. II. Galenus T. V. pag. 1113.
(*l*) Hipp. edit. Linden. de victu acut. §. LXV. *Si sanguinem detrahere conducit, solidam alvum facere oportet, atque sic detrahere.* Hisce Galenus in comm. adjecit: *Fluente alvo sanguinem non detrahes, nam si post detractionem perseverat fluor, virtutem prosternit.* At si Leonh. Bottalum de hoc argumento & Prosp. Alpinum consulas, contrariam sententiam invenies. Primus enim sanguinem in alvi fluore, concito a calida temperie, mittendum ex brachiis esse contendit Lib. de curat per S. M. Cap. IV. §. III. Alter & *in dysenteria, viribus, ætate & aliis consentientibus, circa initia revulsionis gratia præsertim, ubi magna adsit humorum copia aut sanguinis impetus valde urgeat, vel maxima inflammatio, aut dolor vehemens observetur, vel jecur male affectum sit, a quo acres succi ad intestina confluant*, apprime utilem sanguinis evacuationem esse existimat. L. II. C. VII. Medic. Ægypt.
(*m*) Hippocrates l. c. §. LII. *Detrahere vero sanguinem juxta corporis habitum & tempus & ætatem & colorem plus & confidenter: & si acutus fuerit dolor, usque ad animi deliquium: postea vero infusum per clysterem adhibere.* Galen. T. VI. p. 697. Celsus L. IV. C. XI. Vesalius L. V. C. VI. suorum operum.
(*n*) Inter veteres Heraclides hoc præcipit, teste Cælio Aureliano, qui vero addit, phlebotomiam iis, qui solutione alvi affecti essent, nocere, ut Gladius L. I. C. XVII. m. ac. Idem quod Heraclides, fecit Albucasis L. II. C. XCV. nec non Paul Ægineta L. IV. C. XL. aliique multi recentiores.
(*o*) Lib. de cur. per. S. M.

Landesbibliothek Oldenburg

sa mali ostenditur, quam ea quæ in venis est, purgationem antetferendam esse concedit. Media inter hæc via incedere videtur *Horatius Augenius*, ut ex his verbis apparet: *Si corpus sanum sit, & alvum habeat maxime adstrictam, antequam ad phlebotamiam accedamus, est illi diligenter alvus emollienda, neque ad remedium accedendum est, nisi prius intestina a fæcibus sint repurgata.* Verum paulo post: *Satius erit* (in morbo acutissimo) *generosum prius adhibere medicamentum, quo febris extinguatur, aut saltem mitificetur, quam emollire fæces, quæ res post venæ sectionem fieri posset magna commoditate* (*p*). Quid denique de venæ sectione, erumpentibus in principio morbi acuti mensibus, habendum, Ballonius nos docet: *Scire*, ait, *oportet, quod, si febris non frangitur, erumpentibus mensibus, non est differenda phlebotomia, sed statim, ea facta, danda sunt apozemata, cientia menses* (*q*).

§. XII.

Memorari hic licet fœminarum, utero gerentium, quas, sanguine phlebotomia evacuato, abortire, idque eo facilius, quo embryo grandior sit, *Hippocrates* (*r*) aliique crediderunt. *Celsus* (*s*) vero aliam inivit rationem curandi, & mulieres gravidas valentes, necessitate urgente, tuto venæ sectione curavit. Id *Petrus Forestus* variis exemplis denuo confirmat (*t*).

§. XIII.

De tempore eligendo multas habuerunt cautiones, quas omnes sigillatim exponere, limites, quibus circumscripti sumus, non permittunt. Præcipuæ earum sunt, ne sanguis æstate fervida (*u*), summaque hyeme

(*p*) L. VIII. C. XXII. de S. M.

(*q*) Oper. T. I. p. 45. edit. Venet. 1734. 4to.

(*r*) Aphorism. XXX. L. V. Albucasis L. II. C. XCV. *Neque phlebotometur mulier prægnans, nisi mense quarto usque ad septimum.* Hæc quidem eo tempore vera fuisse videntur, quando considerabamus quantitatem cruoris, quam detraxerunt, præsertim venæ sectione in pede instituta. Verum hoc effatum nostris sanguinis vacuationibus, quæ multo minores aut pauciores sunt, plane non convenit. Confer. Petr. Foresti Obs. & Cur. Febr. L. II. Obs. XXIIX. Hor. Augenius L. VI. C. XVI. de S. Mne. Hodie mulierculæ, ad alterum extremum delapsæ, adsciverunt malam consuetudinem in principio & fine graviditatis, nullo morbo neque ulla quidem plethora urgente, sanguinem sine ratione mittendi: quem errorem supra laudatus Foresti. Obs. XIX. merito perstringit.

(*s*) L. II. C. X. *Interest enim*, inquit, *non quæ ætas sit, neque quid intus corpore geratur, sed quæ vires sint.* Nota (23)

(*t*) L. cit. Confer. Iod. Lommii lib. de febribus cont. C. II.

(*u*) Galenus T. VI. p. 278.

Landesbibliothek Oldenburg

me (*x*), vel paulo post cibum (*y*) captum, vel in febris accessione (*z*) detrahatur. Solito enim more id negotium προφυλάξεως causa mense imprimis Februario, Aprili, Septembri & Decembri moliebantur (*a*); morbi verum magnitudine urgente, nullam temporis & anni, & diei rationem habebant (*b*), quamvis intervallum, quod est inter calendas Augusti & III nonas Septembris *Soranus* excipiat (*c*). Cum vero ejusmodi nihil urgeret, semper expectaverunt concoctionem. Inde *Galenus: Præstat mane venam incidere haud protinus ex somno excitis, verum circiter horam unam jam vigilantibus.* In morbis acutis *Celsus* (*d*), &

(*x*) Galenus T. V. p. 1108. Hyems in Græcia incepit mense Januario. Hippocr. de tuenda sanitate ad Antiochum §. VIII. Conferatur etiam L. I. Epidemicor. (Liceat mihi libros suppositicios Hippocratis sub ejus nomine citare. Mihi sufficit, eos valde antiquos esse.)

(*y*) Celsus L. II. C. X. Cum ob imminens periculum concoctio exspectari non possit, ventriculum prius vacuandum esse, dato vomitorio ex hydrelaeo aut tepidæ aquæ libra semis, docet Hor. Augenius L. VIII. C. XXV. de S. M.

(*z*) Celsus l. cit. *In ipso febris impetu sanguinem mittere, est hominem jugulare.* Id vero falsum esse, Leon. Botallus certo affirmat Lib. Cur. per S. M. C. XXII. §. IV. Et Celsus ipse hanc thesin limitat verbis subsequentibus: *Si non decedit, cum crescere desiit: si neque remissio speratur, tunc quoque quamvis prior, sola tamen occasio non est omittenda.* Quin Galenus in accessione febris, vehementia ejus urgente, sanguinem evacuavisse videtur. Dicit enim T. V. p. 1114. *Memini quibusdam sex detractas protinus cotylas, aut postridie, aut tertio quarove, quibusdam primo etiam die, cum febris principio noctis cœpisset, aut medio, ac, quæ pridie comederant, probe fuissent concocta.*

(*a*) Soranus Ephesius: *Mense Aprili vena mediana de brachio incidenda est propter thoracem & pulmonem. Mense Septembri vena lateralis ob pleuresin & hepatis infirmitatem. Novembri bonum est gersas & cucurbitulas, quas vulgo ventosas appellant, imponere, quoniam tamen omnes humores parati sunt. Decembri venam cephalicam incide propter vitia capitis, & oculorum infusionem. Februario venam de pollice, quia tum febricitat terra, & omnia, quæ in ea sunt.* In Isagoge C. XXIII. Hipp. de structura hominis §. IX. *Homini vena sectio peruti is est: & tempus quidem, quo ipsa utendum, a Februario incipit: & rursus a Septembri initium sumendo ad septimam ejusdem perduret.* De anni divisione antiquorum Græcorum vid. I. Heurnius in nota I. ad Aphorism. L. III. Hipp.

(*b*) Galenus T. V. p. 1115. Albucasis L. II. C. XCV. *Phlebotomia, quæ administratur in ægritudinibus, non habet horam determinatam: sed quando provocat convenientia & necessitas ad illum, in nocte aut die & in omni hora & in omni tempore.* In morbo epidemico acutissimo Hipp. etiam æstate venam sub lingua secuit, Epidem VI. Sect. VII. 44. Balth. Lud. Tralles indicatam phlebotomiam nullo anni tempore inconvenientius procrastinari contendit, quam quidem ipsis diebus canicularibus. Com. de vena jugul, frequentius secanda p. 16.

(*c*) l. cit. Galenus T. V. p. 1117. *Proinde minus detrahimus, quam plenitudo commovet, quod ad ætatem quidem attinet, in pueris: quod ad corporis habitum, in candidis, & quibus mollis teneraque est caro, quales Galli sunt, quod ad tempus, sub cane* (i. e diebus canicularibus.) Item T. IV. p. 695.

(*d*) Lib. II. C. X. Quapropter in pleuritide, si V. S. initio neglecta est, commendat cucurbitulas cum scarificatione L. IV. C. IX. Cæl. Aurelianus L. I. C. X. acut. m.

Landesbibliothek Oldenburg

& post eum multi alii ex recentioribus, ut *Jod. Lommius* (*e*), *Frid. Hoffmannus* (*f*), *Herm. Boerhave* (*g*), imo quidam adhuc nostro tempore vigentes secundum tertiumve solummodo, raro quartum in principio morbi diem huic negotio aptum, reliquos vero infaustos habuerunt. Verum *Galenus* (*h*), in hac arte probe exercitatus, dicit: *Quocunque* (morbi) *die mittendi sanguinis scopos* (i. e. morbus ingens, ætas vegeta, roburque virium) *in laborante inveneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiamsi vel vigesimus is ab initio extiterit.* Quid? quod *Avicenna* (*i*) post XL dies, viribus non fractis, eam commendat. Attamen præstat, si fieri potest, initio sanguinem detrahere (*k*).

§. XIV.

Mundi plagas s. regiones calidiores, & quidem temperie quadam commoderatas huic evacuationi tantummodo convenire tradunt (*l*). In regionibus vero, ubi æstus nimis (*m*), aut hyems sæviret (*n*), præsertim in hominibus naturali habitu frigidioribus, eam fugiendam esse putarunt ob nimiam totius corporis refrigerationem. Verum enim vero & hanc cautionem *Cælius Aurelianus* & ante eum *Soranus* flocci pependerunt (*o*).

§. XV.

Consuetudinem in victu, nec non in omnibus reliquis actionibus & passionibus corporis, quomodo æger ratione ejus se habeat, imo totam vitam ante actam ad examen revocabant, ut eo certius de adversa valetudine, & a priori judicare possent (*p*).

§. XVI.

Siderum constellationes, ac imprimis lunæ circuitum in zodiaco, ejusque phases in morbis dijudicandis nonnulli veterum frequenter speculati

(*e*) Lib. de febribus contin. curand. C. IV.
(*f*) Medic. ration. T. IV. Sect. II. C. I. §. VII.
(*g*) Aphorism. 743. & 890.
(*h*) Tom. V. p. 1112. Id etiam Botallus confirmat Libr. de cur. per S. M. C. XXII. §. IV.
(*i*) Lib. I. Fen. IV. Doct. V. Cap. XX.
(*k*) Vid. Corn. Alb. Klœkhofii Opusc. p. 117. & seqq. qui multorum & veterum & recentiorum doctrinam de eo collegit.
(*l*) Galenus Tom. VI. pag. 278.
(*m*) Actuarius L. III. C. II.
(*n*) Galenus T. V. p. 1108. & T. VI. p. 380.
(*o*) Cælius Aurelianus L. II. C. XXII. morbor. acut.
(*p*) Galenus l. c. & Iod. Lommius l. cit. C. III.

Landesbibliothek Oldenburg

lati sunt (*q*): Observaverant enim, hac vel illa constellatione meliuscule vel pejus fuisse ægroto: Inde fallacia caussæ inducti, constellationem illam convalescentiæ aut adversæ valetudinis causam habuerunt. Posteriori ævo hanc superstitionem anilem ad sanguinis missionem attulerunt: Etenim illis erat opinio, quasdam humani corporis partes signis certis zodiaci subjectas esse, eorumque ex imperio quasi unice pendere. Pro ratione ergo situs, & affectionis stellarum malum aut bonum venæ sectionis successum ominabantur. Signa ergo tauri, geminorum, leonis, virginis, capricorni isto negotio minus opportuna habebantur. Porro ex membro, in cujus signo appropriato luna eodem tempore erat, sanguinem detrahere renuebant (*r*). Quin eorum vanitas tandem eo pervenit, ut, singulis mensibus duos dies plane infaustos esse, sibi certo persuaderent (*s*). Huc pertinet tabula phlebotomiæ, a judæo quodam sexto seculo efficta, ex qua hodienum in fastis nostris dies, prout venæ sectioni opportunos, vel infelices auctor pronunciavit, atro albove calculo signantur (*t*).

§. XVII.

(*q*) Hipp. de significat. vitæ & mortis §. II *Cum quis inciderit in morbum, tum necessarium est videre, an luna e combustione exeat. Tum namque crescit infirmitas, donec venerit ad oppositionis gradum. Et cum erit in oppositione, videndum erit, an sit cum malo aliquo planetarum vel in malo adspectu, aut adspexerit dominum domus mortis. Nam ex iis poteris scire, utrum morietur, vel vivet, vel diuturnus erit morbus, vel non &c.* Item de insomniis §. IV. *Astrorum quidem exterior est in corpore circuitus, solis vero medius, lunæ autem cavitates. Quodcunque igitur horum astrorum exstingui aut læsi aut disparere aut sisti a circuitu suo videtur, juxta illam ipsam partem morbum redundare significat*, &c. Confer. & Iod. Lommius lib. de febr. continuis C. IV.

(*r*) Hen. Petæus in Enchiridio Chirurg. p. 87. edit. German. Norimb. 1625. 8vo. *Auch soll man die grosse Zeitveraenderung, Sonnenstillstand, Tag. und Nachtvergleichung, und Bruche des Monaths vermeiden: jungen, alten im alten Lichte lassen. Sonderlich soll man das Glied nicht berühren mit dem Lasseysen, in welches Zeichen der Mond gehet. Es haben aber die Alten dem Widder das Haupt, dem Stier den Hals, den Zwillingen die Schultern, Arm und Hande, dem Krebs die Rippen, Miltz und Lunge, dem Loewen Hertz, Leber, Seiten und Rucken, der Jungfrau Bauch und Eingeweide, der Wage den Nabel, Lenden und Untertheil des Bauchs, dem Scorpion die Nieren, Blasen und Scham, dem Schutzen die Hufft und Diech, dem Steinbock die Knie, dem Wassermann die Schienbein und Waden, und endlich den Fischen die Fusse zugeeignet und unterworfen.* Inde figura illa mirabilis, quam in nostris fastis ad finem intueri licet. Willisius istam superstitionem quoque in Anglia annotavit, quam non solum absurdam, sed & nocivam habet, cum multi plebeii a phlebotomia abstineant; si modo signum in mittendi sanguinis loco non sit, licet magnitudo & vehementia morbi eam continuo fieri postulet. Pharmac. ration. Parte II. Sect. III. C. I.

(*s*) Hor. Augenius l. c. L. VIII. C. XIX.

(*t*) Hanc tabulam exscriptam habet Io. Casp. Reiss in gründlich. Untersuchung des Aderlassens &c. p. 48. Ibidem quoque p. 36. refert sequentem ridiculam historiam: *Es ist in denen Barbier-und Baderinnungen einer gewissen Reichsstadt ein Gebot enthalten, dass von den Hern Medicis gewisse Zeichen und Tage haben ausgeweblet werden mussen, warum die Barbierer und Bader an ihrem Schild eine Aderlassbinde aushencken musten zum Zeichen, dass es erlaubt und gut sey Ader zu lassen, wie dan solches noch vor etli-*

Landesbibliothek Oldenburg

§. XVII.

Usu interdum venit, ut morbis quibusdam peracutis e. c. pleuritide vel angina urgentibus, venæ sectio instituenda esset in corporibus, quibus alias manus temperare assolerent: Scilicet in corporibus, quæ imbecillitate ventriculi a frigida temperie, ac sensibilitate oris stomachi laborant, quæ cholerica sunt & amaræ bilis fluxione ex jecinore infestantur, aut quæ in animi deliquium sunt proclives (*u*). Quapropter ejusmodi homines ad hanc operationem facilius ferendam ante præparaverunt. Imbecillis videlicet istis & delicatis hominibus dabant buccellam panis, cardiaco liquore imbutam (*x*). Redundantia vero bilis amaræ afflictis, aqua calida, syrupo acetoso commista, prius affatim epota, vomitum sibi ipsis ciere, *Hor. Augenius* præcipit, & tunc ejusmodi cardiacum sumere (*y*). Aliis aquam frigidam propinare solemne erat. Verum enim vero id institutum *Prosper Alpinus* inutile & periculosum arbitratus, ab hominibus ejuscemodi afflictis abstinere satius ducit, &, si quando cogamur, magno morbo urgente, evacuationem sanguinis in ejus-

che 20. Jahren einige der dasigen alten Barbierer und Bader gethan. Dieses müsste bey Mannsgedencken so strinte beobachtet werden, dass welcher Barbier oder Bader dawider handelte, und ausser solcher Zeit zur Ader liesse, derselbe mit einer gewissen Strafe angesehen wurde.

(*u*) Nota (27.) & Hor. Augenius L. VIII. C. XXIV. de S. M. *Tres igitur sunt circa ventriculum considerandæ dispositiones: una est eximia sensibilitas illius ostii: alia, quando amaræ biles fluxione ex jecinore aut venis infestatur: tertia, quando nimiam contraxit imbecillitatem. In his enim fere abstinendum est a venæ sectione, etiamsi adsint indicationes id remedium postulantes, nisi prius accommodata præcesserit præparatio. Ceterum ostium ventriculi exquisito sensu esse præditum cognoscemus, quod ex acrium & mordacium assumtione haud mediocriter ægrotus lædatur, ut aceto, pipere, sinapi atque aliis id genus &c. Qui vero ventriculum ipsum habent imbecillem, deprehenduntur iis signis: primum, quia languidam habent appetentiam, deinde quia doloribus stomachi succumbunt. Similiter, si cui amaræ bilis confluxio ventriculi ostio fecerit negotium, aut in eo abundaverit, ex assidua nausea, ex frequentiori biliis vomitu atque oris amaritudine promte dignoscuntur.*

(*x*) Avicenna L. I. Fen. IV. D. V. C. XX. & Albucasis Parte II. C. XCV. de vena cephalica: *Cui consuevit supervenire in phlebotomia syncopis, oportet, ut cibes eum ante phlebotomiam modico pane infuso in aqua granati* &c. Idem fere Prosper Alpinus de Aegyptiis recentioribus refert his verbis: *Quibus sanguinem mittere volunt, ne in syncopem incidant, aquam simplicem crudam, sacharo commixtam, cum modico succi limonum exhibent, quam ipsi per excellentiam sabet vocant, atque ipsam vel stillatitiam calaf, vel de nenuphare, vel de sonchо, vel de endivia cum aliquo syrupo refrigerante, veluti est violatus, nenupharinus, rosatus, de succo limonum vel de acetositate citri. Alii eandem cum vino granatorum atque sacharo; alii exhibent aquam infusionis florum calaf, vel berberum vel tamarindorum cum sacharo.*

(*y*) L. VIII. C. XXIII. & L. IX. C. XXV. de S. M. L. Botallus imbecillo ante sanguinem missum dat modice jusculum carnium, aut offulam in jure carnium, aut panem vino tinctum, morbo non repugnante, aut aquam Hippocraticam, aut sacharatam, aut sor-

Landesbibliothek Oldenburg

ejuſmodi corporibus inſtituere, mavult aliquid potus, quam cibariorum aſſumi (z).

§. XVIII.

Conſtitutione ægri corporis probe perſpecta, animum parumper attendamus ad ea, quæ proprie ad chirurgum pertinent. Ipſe qualis ſit, *Celſus* egregie deſcripſit: *Chirurgus*, inquit, *debet eſſe adoleſcens, aut certe adoleſcentiæ propior, manu ſtrenua, ſtabili, nec unquam intremiſcente, eaque non minus ſiniſtra, quam dextra promtus, acie oculorum acri, claraque, animo intrepidus, immiſericors ſic, ut ſanari velit eum, quem accepit, non, ut clamore ejus motus, vel magis, quam res deſiderat, properet, vel minus, quam neceſſe eſt, ſecet: ſed perinde faciet omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriretur* (a).

§. XIX.

Poſt illum contemplatione digna ſunt etiam inſtrumenta, quibus hanc operationem inſtituerunt. Primi venæ ſectores ſine dubio inſtrumenta maxime ſimplicia, qualis ſcalpellus rectus mucronatus eſt, in hoc opere adhibuerunt (b): *Hippocratem* autem ſcalpello incurvo aciei non valde anguſtæ, ut in ſcarificatione, ſic & in phlebotomia uſum fuiſſe, Clariſſimi *Platneri* eſt ſententia (c).

§. XX.

Auctores, qui poſt Hippocratem uſque ad Arabum tempora floruerunt, phlebotomi quidem variis in locis mentionem injiciunt, verum ejus figuram, uti rem ſuo tempore ſatis notam, ad amuſſim non deſcribunt. Quantum ex verbis *Pauli Æginetæ* conjicere licet; ſcalpellum & curvum &

bile ovum, aut quodvis aliud, quod ægro gratum ſit, morbumque non augeat. Lib. de cur. per S. M. C XXXIIX.

(z) Medic. Aegypt. L. II. C. VIII.

(a) In præfatione libri VII.

(b) Id quod hodienum reperimus apud gentes minus excultas, quæ ſimplicitatem amant. Sic Petr. Kolbe *in Beſchreibung des Vorgeburges der guten Hoffnung* &c. de Hottentottis refert, eos hanc operationem ſimplici loro & cultro excercere. Super hæc amicus quidam ex meis commilitonibus Petropolitanus mihi certo affirmavit, plebem agreſtem Finnicam ſibi invicem abſque chirurgi auxilio venam ope ſimplicis cultri acuti ſecare. Celſus ipſe quoque ejuſmodi cultro venam ſecuiſſe nobis videtur: nominat enim ſuum phlebotomum ſine ullo epitheto ſcalpellum: Si aliam formam habuiſſet; certe ejus mentionem feciſſet, uti L. VII. C. XIX.

(c) Diſſ. de ſcarificatione oculorum in opuſculis p. 39.

& rectum in usu fuisse credere fas est: præcipit enim ille venam frontis aut scalpelli venæ incisorii aut alterius acie secare (*d*).

§. XXI.

Inter Arabes *Avicenna* phlebotoma sua satis obscure descripsit. *Oportet*, inquit, *ut minutos habeat phlebotomos multos, quorum quidam sunt pilum habentes, & quidam pilo carentes* (*e*). Quidnam vero pilum significet, ex hac versione, textu authentico destituti, non possumus assequi. *Gentilis Fulginas*, in comment. ad ejus canonem, *pilum fuisse circumductam laminam aut circulum, qui liberiorem acuti ferri processum remoretur*, tradit, annotante *Marco Aurelio Severino* (*f*). Forma ejus non longe absimilis fuisse videtur phlebotomo *Jac. Carpi*, quod in sectione venarum jugularium commendat, utpote cui prope cuspidem fuit quoddam obstaculum, ut vocat, ne utrinque latera venæ perforentur (*g*). Omnium optime de hac operatione meritus est *Albucasis*, qui phlebotomorum ichnographias dedit (*h*). Unum ex illis plane singulare, quod *fossorium* appellat, antiquo nostrorum majorum *fliet* aliqua ex parte consimile est. Convenit etiam cum illo in methodo adhibendi: quippe acumen ejus super venam positum, percussione pectinis in eam adigitur. Idem fere fit in usu phlebotomi, cui *fliet* nomen est, ut unice loco pectinis digitus index adhibeatur, qui quasi talitro phlebotomum ferit. Quocirca cum *Jo. Andrea à Cruce* consentimus, qui *fliet* illud obsoletum à fossorio originem traxisse credit (*i*). Præter illud exhibet duo scalpella incurva, aliumque rectum. Primum est *phlebotomum cultellare* sive *Alneſſil* acie paululum lata, quo venas locis periculosis aut sub cute dura positas secuit: alterum *phlebotomum myrtinum* latiorem habet laminam, sed in angustius acumen abit; Tertium, quod *phlebotomum olivare* appellatur, habet rectam aciem secantem, ut & mucronem tenuissimum angustissimumque. Illo, scilicet phlebotomo myrtino, venas magnas conspicuas, & sanguinem crassum continentes punctim perforavit, simili que modo & hoc usurpavit in venis exilibus pertundendis. Posthac *Rogerius* (*k*) quoque & *Jo. Andreas à Crucæ* (*l*) scalpella incurva in hoc opere adhibuerunt.

§. XXII.

(*d*) L. VI. C. XL. de re medica.

(*e*) L. I Fen. IV. Doct. V. Cap. XX.

(*f*) L. II. de Efficaci Medic. p. 49. in edit. Francof. 1645. cui opera Fabricii Hildani præmissa sunt. Provocat ille etiam ad epistolam Bapt. Sylvatici de secanda vena, qua non sine magno incommodo caruimus.

(*g*) Isagoge p. 38. edit. Bonon. 1522. 4°.

(*h*) L. II. C. XCV. in edit. Basil. Henr. Petri 1561. fol.

(*i*) In Chirurgia universale L. V. Tr. II. C. XVI. ed. Venet. 1583. fol. apud Gordanum Ziletti.

(*k*) Chirurgus quidam antiquus Salernitanus seculo XII. florens, cujus libellus de modis mittendi sanguinis Albucasi supra citato annexus exstat.

(*l*) l. cit. & in initio L. VII. vid icones.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XXII.

Vegetius Renatus sanguinis missionem in equorum vena jugulari, ope sagittæ, ut vocat, cujusdam pertusa, instituit eodem fere modo, quo nostris etiam temporibus lanceola adhibetur (*m*). Exinde venæ sectio, quæ scalpello ancipiti sive lanceola in homine suscipitur, originem traxisse habetur. Etenim lanceola, cujus inventionem *Henr. Petræus* Italis, *Johannes* autem von *Horne* Gallis Hispanisve tribuit (*n*), instrumentum non valde antiquum est. Variam ejus, qua primis fuit temporibus, formam adumbratam intueri licet apud *Leonhardum Botallum* (*o*), *Vidum Vidium* (*p*), *Jo. Andream à Cruce* (*q*) & *Horatium Augenium*, cujus icon singularis laminam acinaci similem repræsentat (*r*).

§. XXIII.

Aliud præterea supereſt genus phlebotomi, cujus §. 21. jam mentionem fecimus, nostris antehac majoribus, Helvetiisque, aliquando Italis, & nuper quibusdam Anglis, *Horatio Augenio* atque *Jo. Freindio* testibus, usitatissimi, quod medici equarii & pastores adhuc, volumine tamen majori, in usu habent. Estque stilus ferreus trium circiter digitorum longitudine, qui in uno extremo fere ad angulum rectum prominentiam habet tenuem, politam sesqui lineæ mathematicæ in principio latitudine, quæ sensim angustior fit, & terminatur aut in aciem semicircularem, aut in latiorem mucronem, cujus longitudo est duarum plus minusve linearum. Figuram ejus vide sis apud *Botallum* loco, paulo ante citato, *Vidum Vidium* [*s*], *Hor. Augenium* [*t*], *Heisterum* [*u*], *Ludew. Cron*

(*m*) Mulo-Medicina, quæ in. M. Gesneri collectione auctorum de re rustica exstat, L. II. C. XL.

(*n*) Microtechne p. 206. Hic adjicere juvat, vocabulum ipsum *lanceolæ* barbarum esse. I. Freind id demum apud Julium Capitolinum, qui sec. IV. vixit, sed alio significatu invenit. Prima vestigia lanceolæ proprie dictæ exstant in Guilielmi Britannici histor. Philippi Augusti, qui auctor sec. XIII. floruit. Verba ejus ita se habent: *Lanceola dicitur subtile ferrum acutum, cum minutores aliqui pungendo venam aperiunt in minutione. Aliqui cum phlebotomo venam percutiunt, unde & phlebotomia dicitur minutio* vid. I. Freind Hist. Medicinæ de Albucase.

(*o*) Libello de modo incidendæ venæ, cum illo de curatione per S. M. conjuncto, ed Lugd. 1577 8. pag. 204. & 205.

(*p*) L. II. de Chirurgia C. VI.

(*q*) l. cit.

(*r*) L. IX. de S. M. C. XXI.

(*s*) L. cit.

(*t*) L. cit.

(*u*) Institutiones Chirurg. Tab. XI.

Landesbibliothek Oldenburg

Cron (*x*) &c. Hoc instrumento veteres usi sunt tam ad venam secandum, quam ad scarificandum. Denique notandum est, *J. Danielem Majorem* stilum ferreum ejus instrumenti mutasse in laminam elasticam, cum lamina alia metallica, ad angulum rectum incurva, ita conjunctam, ut tota machina non multun similitudine a veterum balista recederet: quare illi quoque balisterii nomen imposuit. Scopus auctoris in ea maxime fuit, ut citra chirurgi auxilium sibi quisque ipsi vel alteri facillimo negotio & minori periculo venam secare posset. An vero scopum suum experientia consecutus sit, vehementer dubito (*y*).

§. XXIV.

Jacobus Spon M. D. Athenis apportavit phlebotomum, quod Græci à similitudine *Balestram* vocant. Id maxime ex parte convenit cum arcubalista. Loco pili est lanceola, quæ ope arcus, ex barba ceti & chorda constructi, pro rata altitudine venæ immittitur (*z*). Hoc usurpant chirurgi in Monte Sancto s. Athos in Macedonia. In insula Scyro fuit quondam chirurgus gente Ruthenus, qui, non alio unquam instrumento semet ipsum venam secuisse, affirmavit. Id igitur phlebotomum ex Moscovia originem habere, *Jacobus Spon* conjicit.

§. XXV.

Phlebotomum, quod Americani in regione Panama, referente *Wafero*, in usu habente, etsi simplicius sit, in genere tamen cum priori congruit (*a*). Scilicet arcum parvum repræsentat, quo sagittam quandam hinc inde in carnem non nimis vero profunde jaculantur, & sic parvam sanguinis copiam detrahunt. Quo circa hunc modum ad scarificationem potius referremus.

§. XXVI.

(*x*) Candidatus Chirurgiæ. Lipsi. 1714. 8vo.

(*y*) Vid. Diss. ejus de catena aurea, respondente Io. Crusio, Koloniæ 1685. promulgata.

(*z*) Voyage d'Italie &c. Tome II. pag. 265. ubi hæc descriptio exstat: *C'est une maniere de petite arbalète, dont la flèche sert de lancette, laquelle étant dans un tuyau creux, est poussée par la corde qui passe au travers du manche. Ainsi elle ne peut pas aller plus avant, que ce qu'on a jugé qu'il lui falloit pour ouvrir la veine: car on la peut faire sortir, autant que l'on veut, en passant la corde de l'arc plus ou moins proche de la lame de cette lancette. Le manche a une coche pour l'arrêter avant que de la decocher. L'arc est de côte de baleine & le tuyau par ou sort la lancette est de cuivre & a deux avances au bout, qu'on appuye sur l'endroit que l'on veut piquer pour tenir la veine en raison, & pour la corde ce ne sont que deux petits boyaux comme les moindres cordes de violon. La pointe de la lancette est un peu arrondie de peur de blesser l'artere.* Iconem minutam vide sis in Stephani Blancardi Collectaneis Medico-physicis Amst. 1580. 8 editis: ut & in Ludewigii Cron. supra citato libro.

(*a*) Vid. Itinerarium ejus, itineri Dampieri circa mundum facto in fine annexum.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XXVI.

Simpliciorem ea, quam Turci haud procul Aleppo adhibent, methodum neſcio, quippe qui vena fruſtulo vitri acuminati diſſecta, ſanguinem audacter evacuant (*b*).

§. XXVII.

Animum nunc adjiciamus ad loca, in iiſque venas, ex quibus veteres ſanguinem miſerint. Equidem hac in re non dexteritatem modo, quam in iis ſecandis adhibuerunt, verum eorum quoque audaciam ſummam non ſatis poſſumus admirari: quid? quod, niſi fere eadem de Ægyptiis recentioribus *Proſper Alpinus* ſcripta reliquiſſet, multa, ab antiquis de hoc argumento tradita, in dubium vocaviſſemus. Longe igitur multumque hodiernis chirurgis in hac arte excelluerunt. Quis noſtrum ſcit in tam multis variiſque locis ſine vitio imitari veterum ſanguinis miſſionem? Illi enim magnum venarum numerum in univerſo corpore, præſertim vero in capite confidenter præciderunt. Scilicet in calvaria (*c*), in fronte (*d*), in magnis oculorum angulis (*e*), in extremitate naſi (*f*), in naribus

(*b*) Iac. Spon Voyage d'Italie T. II. pag. 259.

(*c*) Ibi venam ferire nos docet Hor. Augenius L. IX. C. IX. *Vena*, inquit, *ſuper calvariam ſita, ramus eſt venarum jugularium externarum, ſparſus ſupra pericranium. Radere caput oportet, ut fiat conſpicua, fricare diutius & frontem faſciola conſtringere: incidenda, quæ eſt juxta ſagittalem commiſſuram, atque ſimiliter illæ, quæ flexuoſæ ad utraque tempora excurrunt. Sed utplurimum non apparent, niſi pene ſuffocans adſtrictio adhibeatur.* Celſus quoque hanc S. M. habet. Lib. VII C. VII. in fine: nec non Avicenna L. I. Fen. IV. Doct. V. Cap. XX.

(*d*) Hipp. Epid. VI. nro. 48. & alibi: Paul. Aegineta L. VI. C. LX. qui prius, vena non conſpicua, fomentum adhibuit: Albucaſis, venam tranſverſim foſſorio aut ſcalpello latæ extremitatis. L. II. C. XCV.

(*e*) Galenus T. V. p. 1066. & 1177. & T. VIII. p. 210. Auctoris Anatomiæ vivor. C. XXIIX. ut & Avicennæ l. cit conſilium eſt, nimis alte ſcalpellum deprimere, ne, oſſe læſo, fiſtula oriatur. Addunt etiam, quod paucum tantummodo ſanguinis ibi detrahere poſſit. Verum id reprobat Proſper Alpinus L. II. C. X. Nihilo tamen ſecius phlebotomia ibi non ſatis tuta eſt, ob ramum naſalem arteriæ ophthalmicæ, qui venam angularem tranſit. Conf. Generoſiſſimi Præſidis Faſcil. III. Icon. anat. tabula arteriarum faciei.

(*f*) Galenus T. V. p. 513. & 515. Avicen. l. cit. p. 223. Rhaſis VII. ad Almazorem C. XXI. Botallus eam imitatus deſcribit ita: *Ex naſi ſummitate interdum ſanguinem miſimus non inutiliter, immiſſo ſcalpello inter utramque cartilaginem ad longitudinem grani peponis, unde ſanguis guttatim tantum manat* Lib. de cur. per S. M. C. XL. Vid. etiam l'Art de ſaigner, à Paris 1686. pag. 121.

Landesbibliothek Oldenburg

bus (*g*), in utrisque labris revolutis duas simul (*h*), inter mentum & labium inferius (*i*), inter labia & gingivas (*k*), sub lingua (*l*), in palato (*m*), in faucibus (*n*), in temporibus (*o*), in occipitio (*p*), retro aures (*q*), in auris exteriore concha (*r*), ac denique in auricu-

læ

g. Hæc potius scarificatio, quam venæ sectio nominari debet. Latera enim interiora narium aspero quodam instrumento, quale fuit κολεάδιον & στρύγξ Aretaei, aut penna denticulatim instar serræ exsecta, laceraverunt: Aretæus de cur. morb. chronic. L. II. C. II. Ejusmodi instrumentum excogitavit Henr. Bassius Observ. IX. anat. chirurg. med. Hor. Augenius: *Internas*, ait, *narium venas ferire, majorem afferre incommoditatem observavi, quam utilitatem, cum ex consuetudine sanguinem ad eam partem effluenti diuturnum in facie ruborem parere viderim, & per totam adeo diffusam, ut serpiginem referret.* L. IX. de S. M. Cap. X.

(*h*) Albucasis L. II. C. XCV. Has venas, ut & quæ ad gingivas sunt, potius scarificasse veteres, quam una plaga incidisse Prosper Alpinus credidit Med. Aegypt. L. II. C. X.

(*i*) Avicenna L. I. Fen. IV. Doct. V. C XX. Auctor anatom. vivor. XXIIX Ibi etiam idem meminit *venæ* cujusdam incidendæ, cui *furcula* nomen est: verum ubi locorum hæc sita sit, non invenio.

(*k*) Actuarius L. III. C. II. Albucasis L. II. C. XCVII.

(*l*) Hippoc. Epidem VI. Nro. 44. & alibi. Albucasis venas ab utroque latere simul incidere jubet L. II. C. XCV. Cæl. Aurelianus hanc venæ sectionem tamquam superstitiosam & periculi plenam reiicit L. I. C. III. & L. III. C. IV. de acut. morb.

(*m*) Venam ibi sectam fuisse M. A. Severinus in libr. de Medicina efficaci L. I. Part. II de Angiol. C. XIII. ex Io a Ketham & Io. a sancto Amando annotavit.

(*n*) Io. a Vigo Chirur. L. IX. C. II. ut scribit idem Severinus.

(*o*) Celsus L. II. C. X. Hic licet inserere ex Io Andr. a Cruce ChirurgiaVenetiis 1583. in fol. edita locum, qui quædam singularia habet. L. V. Tr. C. XIX. *Pur se alcuno salassar le volesse, siringa prima il collo dell' infermo nella maniera che gia detta habiamo, overo gli leghi strettamente la coppa e le ciglia, finche le vene escano fuori, e trovato c' habbia il polso col dito, scortichi la pelle, la separi dalla vena, e poi faccia il taglio, ed uscita che sia quella copia, che si conviene di sangue, sciolga le legature & chiuda col deto la ferita per un' hora, & indi con la bambagia la cuopra ed alla fine messovi sopra un guancialetto fortemente la leghi & lagata la lasci finche si sani.* Non video, quem in usum hic præcipit digito vulnus post sanguinem emissum claudere per unam horam.

(*p*) Soranus in Isagoge C. XXI. *In occipitio propter quærelas capitis incidimus usque ad os mensura IV. digitorum ab aure.* Venam puppis supra futuram lamdoideam sitam secuit Ambr. Pareus L. IX. C. XXII. Quamvis hæ venæ difficile tactu & visu percipiantur; tamen M. A. Severinus pro certo affirmat, eas in lucem proferri posse vinculo collo injecto, retento spiritu, ac denique fomentis laxantibus, derasо capiti applicatis. L. I. Part. II. de angiol C. II.

(*q*) Hipp. de Aeribus &c. §. LI. Scythas, his venis incisis, somnolentos ac deinde steriles factos fuisse tradit. Prosper. Alpinus vero, qui huic venæ sectioni, ab Aegyptis celebratæ, sæpius interfuit, profundum quidem somnum, minime vero sterilitatem consecutam fuisse observavit L. II. C. X. Med. Aegypt.; *Proficiscuntur* inquit M. A. Severinus l. cit. *venæ parotides ab exteriori jugulari de cervicibus adscendente & de vertice descendente, summis aurium finnis oppositæ, sub auris posterioris lacuna, ubi pulsus arteriarum sentitur, apparentes.* C. IV. de Angiol Modum sectionis vid. ibid. in fine capitis. Quidam crediderunt per has venas a cerebro venire semen, inde illas venas spermaticas appellarunt. Jac. Carpi Isagoge p. 37.

(*r*) M. A. Severini l. cit. C. V. Nath. Highmori Disq. anat. L. III. Part. II. C. VI.

Landesbibliothek Oldenburg

læ pinna (*s*). In reliquo corpore multas quoque alias percusserunt venas, v. g. in collo, quas jugulares (*t*) vocant, in dorso præsertim ad primam dorsi vertebram (*u*), in sterno (*x*), sub mammis (*y*), in abdomine aliam super hepar (*z*), aliam super splenem aliam ad pubem in mulieribus venientem (*a*) alias denique in scroto (*b*) pene (*c*), & præputio (*d*). In brachio solebant aperire humeralem sive cephalicam (*e*), axillarem sive basilicam (*f*) & mediam sive communem (*g*). Trun-

(*s*) Reinerus Solenander refert, venulam, ibi frictione conspicuam, felici eventu incisam fuisse, & quidem particula silicis, quo ignis excutitur. Consil. Sect. V. obs. 15. §. 15.

(*t*) Sectionem earum venarum seculo primum sexto Tralliani nimirum tempore, qui eam quoque primo descripsit, innotuisse, probat Io Freind Comment. III. de febribus Habuit illa omni tempore suos osores ac laudatores. Illi credebant, sanguinem vix quidem sisti posse deligatione, quæ satis arcte hic constringi nequeat: Hi hanc sectionem magni faciebant in apoplexia ad derivandum ex capite sanguinem. Conf. Soranus in Isagog C. XXI. Paul. Aegineta L. VI. C. X. Actuarius L III. C. II. Albucasis L. II. C. XCV. & alios ejusdem gentis. Ex recentioribus Jacobus Carpus in Isagoge p. 38. Prosp. Alpinus L. II. C. X. Fabricius Hildanus in operibus Cent. IV. obs. XVI. M. A. Severinus de Med. Efficac. L. I. de angiol. C. XVI.

(*u*) Guil. Rondeletius L. I. Methodi curandi morb. Cap. XXXVII. *In tetano aliisque colli convulsionibus, ut & in epilepsia secare prodest venam, non omnibus cognitam, quæ in prima dorsi vertebra conspicitur elata, & per summum vertebrarum spinæ ad os usque sacrum deorsum perreptat, & paulo supra primam dorsi vertebram in spinam subiens occultatur.* Ductus illius venæ Adrianum Spigelium privatim scrutasse & ostendisse (teste Io. Rhodio in Anal. ad Septal. Caution. L. VI. §. 76.) Thomas Bartholinus memoriæ prodidit in Hist. anat. Cent. IV. Hist. XXXII.

(*x*) Hanc phlebotomiam ex Io. Marinelli consilio pro phthisica puella M. A. Severinus l. cit. Cap. XVXVI. habet.

(*y*) Hip. de Morbis L. III. §. XI. τῆλον φλεβοτομέειν χρὴ, μάλιστα δὲ ὑπὸ τὸν τιθθόν. *Huic venam secare oportet maxime sub mammis.* Verum ibi venæ latent, nec facile reperiuntur. Quia igitur multæ partes dissecandæ sunt, Cæl. Aurelianus eam operationem, ut noxiam abjecit L. III. de morbis acut. C. IV,

(*z*) Avicenna L. I. Fen. IV. D. V. C. XX. & Auctor anat. vivorum C. XXIIX.

(*a*) Aretaeus L. II. de cur. morb. acut. C. X. ex edit. Boerh. Ἢν δὲ ἐπὶ φλεγμονῇ στραγγάλαι καὶ διαχάσαι τὴν ἐπὶ τῷ πλευμένην φλέβα καὶ ἀφαιρέειν συχνὸν αἷμα. *Si a phlegmone strangalatus proveniat, vena ad pubem veniens secanda, multumque sanguinis fundendum.*

(*b*) Venas sanguine ibi turgidas in leucophlegmatia Hipp. præcipit incidere Lib. de intern. affect. §. XXIII.

(*c*) Botallus Curat. per S. M. C. XL.

(*d*) Hanc ex Io. Ketham descripsit M. A. Severinus l. cit. C. XXIV.

(*e*) Hanc alio nomine venam brachii exteriorem appellarunt, ut & basilicam, venam brachii interiorem. Secuerunt illam præsertim in affectibus capitis, qui anastomosium frequentium & circulationis sanguinis ignari, tantum ex capite sanguinem illam habere crederunt, unde eiiam nomen cephalicæ: hanc vero (sc. basilicam) in morbis pectoris, nec non hepatis in dextro brachio; & in morbis lienis in sinistro inciderunt. Gal. Tom. V. p. 1118.

(*f*) Alii hanc venam alarem, ascellarem vocaverunt, quam Oribasius superiori etiam brachio sive humero quandoque secuit L. VII. Coll. C. VI.

(*g*) Hæc est fusca Albucasis, nigra Avicennæ, purpurea Auctoris anatomiæ vivor. quam Albucasis secuit phlebotomo lati mucronis, quod Alnesil vocat (§. 21.) ob nervum subjectum medianum.

Landesbibliothek Oldenburg

Truncis vero earum latentibus, ramos & obliquos in cubiti junctura (*b*), & in medio brachio (*i*) elegerunt. Notandum hic est, *Hippocratem* & *Dioclem* ex ambobus brachiis simul nonnunquam sanguinem evacuavisse (*k*), id quod *Cælius Aurelianus* (*l*) & *Hildanus* (*m*) reprehendunt. In manu sanguinem ex vena inter pollicem (*n*) & indicem, quam nonnulli cephalicam ocularem appellabant, inter indicem & medium digitum (*o*), ac denique inter minimum & annularem (*p*), manu paulo ante in aqua tepida fota, miserunt. Quod ad pedem attinet, ibi feriebant venam popliteam secus genua (*q*) in cruribus (*r*), infra poplitem (*s*), in latere videlicet interno saphenam, ut *Vesalius* (*t*) arbitratur, circa malleolum utrumque (*u*), venam saphenam (*x*) nempe in

(*b*) Galenus T. V. p. 1118 Ramum obliquum basilicæ in cubiti flexu proprio nomine antiqui vocatum basilicam. Jac. Carpi Comment. XXII. in Mundinum p. 167.

(*i*) Galenus l. cit. Avicenna L. I. Fen. IV. D. V. C. XX p. 22. *In basilica phlebotomanda, quanto plus ad brachium descenderis, erit sanius.* Albucasis præcidit in junctura manus venam ex fusca & basilica constantem, quam *funem brachii* falso, ut videtur, (recte annotante Io. Andrea a Cruce L. V. T. II. C. XXV.) nomine appellat. Auctor enim anat. vivorum venæ radialis externæ Winslovii id nomen imposuit, quam etiam secari scribit. C. XXVII. & XXVIII. Jac. Carpus Com. in Mundinum. p. 168. & 169. eam sic describit: *In pluribus vena cephalica descendit usque ad indicem & pollicem cum suo ramo notabili recto, qui dicitur ab Albucasi & a Rhasi & a me vera funis brachii.*

(*k*) Lib. de sterilibus §. XXIII. Nro. 9.

(*l*) Cæl. Aurelianus L. III. de morb. ac C. IV.

(*m*) Kurze Beschreibung der Furtreflickeit, Nutz und Nothwendigkeit der Anatomy. Bern. 1624. 8vo. p. 26. & seqq. At contrario auctor libri, qui inscribitur, *l'Art de saigner, à Paris* 1686. ejus utilitatem magnis laudibus effert.

(*n*) Soranus in Isagoge in artem medendi Cap. XXI. Actuarius L. III. C. II.

(*o*) Jac. Carpi Com. in Mundinum p. 167.

(*p*) Hanc quidam salvatellam sive sceilen Arabum fuisse affirmant; alii venæ inrer medium digitum & annularem recte; alii denique venæ, inter pollicem & indicem decurrenti, hoc nomen imposuerunt. Conf. Vesalii icon venæ cavæ ejusque explicationem L. III. de fabr. corp. hum. & Jac Carpi lib. cit. p. 168. & 171. sqq. Hanc venam, in sinistra manu transversim sectam, conferre splenis affectionibus &c. in dextra, hepatis morbis prodesse credrderunt. Erat enim illis opinio, venam, quæ splenitis appellatur, tendere solummodo ad sinistram manum, & hepatitem ad dextras partes eodem modo, Hipp. L. I. de Morb. §. XXIII. Jac Carpus contrarium contendit, arbitratus, arterias dextræ manus proxime a splene, & sinistræ ab hepate trahere sanguinem, idque propter anastomosin, quæ est inter venas & arterias, potius in dextra manu, malis splenis & in sinistra manu morbis hepatis venæ ejus sectionem conducere l. cit p. 173.

(*q*) Avicenna L. I. F. IV. D. V. C. XX. M. A. Severinus l. cit. Cap. XXV.

(*r*) Galenus T. V. p. 1120. M. A. Severinus l. cit. C. XXVII. Jac. Carpus in Isagoge p. 67.

(*s*) Hippocr. de venis §. XII. Galenus T. V. p. 1082.

(*t*) L. III. de fabr. corp. h. Cap. X.

(*u*) Hipp. de venis §. XII.

(*x*) Saphena veterum est pars saphenæ majoris ad malleolum internum.

Landesbibliothek Oldenburg

in interiori, & ſciaticam (*y*) in exteriori latere: porro ſaphenæ ramum ſuper calcaneum retrorſum (*z*), ad calcaneum verſus hallucem (*a*), propter talum (*b*), in dorſo pedis (*c*), in hallucem & proximum digitum (*d*) ac denique venam, quæ ſecundum minimum digitum decurrit (*e*).

§. XXVIII.

Ad opus ipſum nunc accedentes conſideramus, quid quivis veterum in eo præſtaverit. Nimis quidem longum foret, omnium methodos ſpeciatim enarrare, quod limites, quibus diſſertatio noſtra incluſa eſt, non permittunt: generatim tamen methodum eorum & encheireſes, adjectis infra iis, quæ quilibet notatu digna addidit, complecti juvabit.

§. XXIX.

Methodus ergo, qua plerique conveniunt fuit ejuſmodi: ſanguinem miſſuro, aut ſedenti, aut in lecto cubanti membrum aliquot digitorum tranſverſorum ſpatio ſupra locum, ex quo ſanguis detrahendus erat, faſcia quadam ſive loro (*f*) conſtrictum, calida manu aut linteo, aut nonnunquam, venis latentibus, oleo tepido fricabant (*g*), ut, cute relaxata, venæ

(*y*) Sciaticam vero vocarunt partem ſaphenæ minoris, juxta malleolum externum conſpicuam. Vid. Auctor anat. vivor. Cap. XXVII. & XXVIII. & Veſalius l. cit.

(*z*) Auctor anatomiæ vivorum l. cit.

(*a*) Hic Albucaſis incidit ſaphenam L. II. C. XCV.

(*b*) Celſus L. II. C. X.

(*c*) Albucaſis l. cit.

(*d*) Venam, quæ ibi eſt, popliticam quidam appellarunt, Veſalius l. cit. Ceterooui Soranus juxta pollicem duas præcidi jubet, ſed quænam illæ ſint, non explicat. Iſagoge c. 21. Hor. Augenius L. IX. de S. M. c. 7.

(*e*) Avicenna L. I. f. 22. tit. 2. c. 25. Hæc a Guidone Cauliaco dicta eſt renalis vena.

(*f*) Botallus lorum adhibuit. Addit præterea duas encheireſes: *In diſtringendo vinculo*, ait, *duo obſervari debent; primum eſt ut manus (ſi in hac vel brachio incidenda vena eſt) aperta contineatur, donec vinculum, ut par eſt, conſtrictum fuerit: nam ſic facilius poſtea ſanguinem foras exprimit, dum conſtringitur. Alterum eſt, ne, dum id adhibetur, cutis venæ protenſa, neque ſurſum, (ut plerique faciunt) neque alio quovis modo extra ſedem trahatur: Obturatur enim, hac dum redit in locum ſuum proprium, venæ vulnus: redit autem illa ſtatim, cum vel modice lorum laxatur.* Lib. de modo incidendæ venæ §. 7. Fuſius hoc expoſuit Corn. Soling. in operibus Chirurg. T. IV. c. 29.

(*g*) Jo. Langius Them. VII. chirur. in Collect. Geſneri: *Qui venam incidendam exploraturi, primum frigido expopuli baccis unguento inungunt, quod potius ſanguinem ingroſſare & ingerere, quam ad venam allicere poteſt. At veteres rectius oleo tantum membrum incidendæ venæ irrigatum, fricabant, ut tepore ſanguinem fluxilem redderent.* Paræus etiam butyro, aut oleo locum deſignatum imbuit, quo ſectio minus dolores afferat. Lib. 17. cap. 67.

venæ se in conspectum darent, excepto capite, ubi vinculum non supra locum secandum, sed infra, nempe in collo applicabatur (*h*). Tunc venis visu difficilibus impressione unguis (*i*), aut alia colorata materia (*k*) signatis, plagam rectam, vel obliquam, vel transversam (*l*), modo amplam, modo angustam pro ratione loci in corpore, temporis, morbi, aut sanguinis effundendi (*m*) cæsim (*n*), aut punctim inferebant. In venis autem conspicuis primam encheiresin scil. signaturam omittebant. Quandoque infra & supra futuræ incisionis locum adhibebant vinculum, cum vena sub cute in tela cellulosa laxa ultro citroque ad tactum fluctuaret (*o*). Idem semper fecerunt Germani aliique, quibus illud *fliet* in usu fuit (*p*).

§. XXX.

Inter sanguinem mittendum magnam adhibuerunt attentionem, partim ad pulsus & magnitudine & inæqualitate inclinationem, partim ad consis-

ten-

(*h*) Jac. Carpus in sectione jugularium, vinculo hocce omisso, vult, ut abdomen medio inter ilia & hypochondria interstitio fascia, quantum ferri possit, constringatur, & tunc æger spiritum, ore clauso, comprimat. Isagoge anat. p. 38.

(*i*) Paræus l. cit.

(*k*) Albucasis signavit venas incidendas encausto, quale est atramentum pictorium L. 2. c. 95. (vid. Io. Matth. Gesneri Thesaurus linguæ Romanæ.)

(*l*) Hor. Augenius lit. cit. L. 60. C. 14. *Sectio obliqua maxime utilis est, ubi eodem die sanguinem iterato mittere expedit: transversa, ubi non amplius detrahendum speramus: quæ vero in rectum est accommodata, ubi non eodem die tantum, sed sequentibus iteratio facienda sit.* Et c. 15. dissuadet sectionem rectam in cubito, quod labia vulneris in brachii curvatione facile disrumpuntur, quare obliquam l. transversam hic, ut & in reliquis articulis præstantiorem habet. In venis extra articulos antefert plagam rectam, excepto fune brachii & saphena, & iis omnibus, quæ in capite exstant, quippe quas oblique præcidi jubet. Vid. & Aetii Tetrab 3. Serm. 3. c. XV.

(*m*) Antiqui opinionem fovebant, ex angusto venæ inflicto vulnere sanguinem tenuem solummodo, non autem crassum effluere. Ubi igitur crassus detrahendus esset, amplam intulerunt plagam, & vice versa. Angustum porro vulnus delirantibus, & in animi deliquium proclivis, nec non æstivo nocturnoque tempore; hyberno autem magis, conveniri sibi persuaserunt. Avicenna l. cit. Hor. Aug l. c. L. IX. c. 16. & seqq.

(*n*) Ita primis temporibus administratam fuisse venæ sectionem patet ex analysi verbi φλεβοτομία, nec non ex variis locis Hippocratis. Præterea apud neminem ex antiquissimis auctoribus, quorum copia nobis facta est, mentionem pungendi, expressis verbis factam, invenimus. Posteriore autem ævo hæc methodus, raro tamen, adhibita fuisse videtur. Aetius enim ex Antyllo refert, punctim fieri incisionem, ubi vasa obscura sint, & cæsim, ubi manifeste appareant Tetrab. 3. Ser. 3. c. 13. Denique vero hæc methodus magis in usum, & illa, quæ cæsim fit pedetentim in desuetudinem venit. Albucasis jam eam methodum unice in locis, ubi periculum est, ne lædatur aliquid, commendat L. II. c. 15.

(*o*) Paræus l. cit Wallæus epist. II. ad Th. Bartholinum. Leon. Botallus lib. de modo incidendæ venæ p. 77. Hor. Augenius L. IX. c. 19. utpote qui suadet præterea in vena vacillante, sectionem in rectum facere.

(*p*) Petr. van. der Stylle Handbuch der Chirurgie p. 234.

Landesbibliothek Oldenburg

tentiam & colorem ſanguinis effuſi, ut & faciei mutationem, fluxuſque ſanguinis vigorem labaſcentem, ex quibus cruoris evacuandi quantitatem menſuraverunt (*q*). Quid? quod in vehementibus morbis, qualis angina & pleuritis eſt, ſudor prorumpens, animique defectio, quæ non ex timore, aut ſenſibilitate, ſed ex inanitione quadam vaſorum oritur, illis fuit terminus evacuationis (*r*).

§. XXXI.

Verum enim vero, cum certa menſura ex iſtis vix colligi queat, adducamus loca, ubi determinatæ menſuræ mentio injicitur. Galenus, *Memini*, ait *quibuſdam ad ſex uſque libras ſanguinem detractum fuiſſe ita, ut febris protinus extingueretur, nec ulla ſequeretur virium afflictio: quibuſdam vero ſeſquilibram haud citra leve ſaltem virium detrimentum, quibus, ſi quis duas evacuaſſet, extreme læſiſſet. Quapropter utiliter quibuſdam unam quoque detraxi aliquando, imo vero nonnunquam hac quoque minus* (*s*). Aretæus heminam, aut paulo plus, juſtam menſuram habet (*t*). Botallus. *In vehementi*, inquit, *morbo & inchoante, & venoſo corpore* (ſc. ſene) *non erit ſuperflua detractio libræ unius & repetitio ad libram ſemis à meridie aut VI horis poſt* (*u*). Robuſtis, venoſis, florente ætate, diæta & in reliquo vivendi genere diſſolutis hominibus, cum morbo acuto implicarentur, primo mane detraxit duas heminas ſive libras duas imo, nonnunquam tres, & quatuor aut ſex horis poſt I. vel ſeſquilibram, poſtridie, mane rurſus tantumdem, & verſus noctem ſelibram (*x*): corpori autem molli, ſpongioſo, albido, eodem morbo conflictanti, prima miſſione libram unam dextraxit, ſecunda dimidiam aut quatuor uncias (*y*). Quin credidit, mediocrem hominem, non quidem ſine manifeſta virium imbecillitate, ſed tamen ſine magno vitæ periculo evacuationem ſanguinis VI pondo uſque ad VIII, uno die factam, & hanc intra menſem repetitam, poſſe perferre (*z*).

§. XXXII.

(*q*) Galenus T. V. p. 1602. & 1116. Soranus in Iſagoge c. 21. *Quodſi principio exierit niger, uſque ad rufum ſanguis exeat, quodſi ſpiſſus fuerit & craſſus, uſque ad tenuitatem aquoſam.* Ipſe Hipp. lib. de victu acut. §. 12. de pleuritide: *Non cunctari copioſum ſanguinem detrahere, donec multo rubicundior fluxerit, aut pro puro aut rubicundo lividus.* Verum Cæl. Aurelianus L. II c. 19. acut. m. *Sanguinis mutatio* inquit, *iners eſt detractionis moderationi.* Cujus etiam ſententiæ eſt Botallus c. 27. de cur. perS. M.

(*r*) Hippocrat. aphoriſm. 23. Sect. I. & Galenus in coment. Cæl. vero Aurelianus L. 1. c. 10. acut. morb. & cum eo Botallus l. cit. c. 25. §. 5. hanc metam falſiſſimam & periculoſiſſimam pronunciant.

(*s*) T. V. p. 1117. Conf. not. (170).

(*t*) L. 1. de morb. diuturn. c 2.

(*u*) Lib. de cur. S. M. c. 11. §. 5.

(*x*) Lib. cit. c. 29. §. 6.

(*y*) Ibidem.

(*z*) L. cit. c. 28. §. 5.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XXXII.

Virium penuria quandoque impedimento eſt, quominus tantum ſanguinis, quantum ſatis ſit, detrahatur. Partiebantur ergo veteres per intervalla ſanguinis evacuationem, ut pluribus miſſionibus eadem quantitas, quæ alias una vice, evacuaretur [*a*].

§. XXXIII.

Nec raro in magno vehementique morbo repetita eſt ab antiquis venæ ſectio, ita tamen, ut ſemper majorem cruoris quantitatem prima, quam ſecunda miſſione, ac tertia adhuc minorem, quam ſecunda, & ſic porro menſura ſemper gradatim diminuta, detraxerunt [*b*]. Ne autem ægri in unaquaque iteratione doloribus ex vulnere, denuo venæ infligendo, ſemper vexarentur, quidam immergebant phlebotomi aciem oleo, quod celerem concretionem impediret [*c*]. Quando igitur miſſionis iteratione opus erat, vulnus aqua calida, pauco ſale adjecto, fovebant, ac labia blande diducebant.

§. XXXIV.

Poſt ſanguinis tantum, quantum ſufficeret, emiſſum, vulnus ſpongia elotum, ſuperdato ſplenio aqua frigida ſeu vino madido, aut, ubi iteratione opus erat, oleo ac ſale imbuto, deligabatur [*d*]. Speciatim *Botallus* varias in iſto negotio, potiſſimum ecchymoſi aut aneuriſmate ſpurio oboriente, encheireſes nos edocet: *detracto*, inquit [*e*] ille, *ſanguine, ut convenit, & loro reſoluto, venaque utrinque molliter expreſſa ſeu exgurgitata (ut chirurgorum vocabulo utar), quo minus orꝛ vulneris inter ſe dehiſcant, aptiuſque conjungantur, pollice ſiniſtræ manus ad alteram*

(*a*) Galenus T. V. p. 1114. *Ubi multa evacuatione opus eſt, verum vires ſunt imbecilliores, in his vacuationem partiri expedit, uti nimirum & me feciſſe vidiſtis in iis, quibus crudorum inerat copia. Nam paulo ſanguine detracto, protinus aquam mulſam exhibeo, probe coctam cum attenuantium medicaminum quopiam, velut hyſſopo, origano, aut certe cum aqua mulſa, acetum mulſum, aut acetum mulſum dulce, ac ſic rurſus minuo, vel ipſo eodemque nonnunquam die.*

(*b*) Galenus Com. 3. in L. IV. Epidem. Hipp. §. 29. *Primo die ſanguinis ſeſqui libram detraxi, rurſum poſtero die libram unam, tertio die non multo plus ſemi libra, erant enim unciæ VIII.* De tempore iterationis Conf. Jod. Lommii lib. de febr. cont. c. 2.

(*c*) Avicenna l. cit. & Albucaſis l. cit.

(*d*) Hipp. vulneri impoſuit lanam ſuccidam, carminatam, vino oleoque reſperſam, vel ſplenium vino madidum & ſuper ipſum lanam oleoſam. de Ulceribus §. 16. & 17. Themiſon lanis ſuccidis, oleo, aceto & ſale infectis obligavit, quod tamen Cæl. Aurelianus reprehendere videtur L. V. de morb. chr. c. 1.

(*e*) Lib. de modo incidendæ venæ.

Landesbibliothek Oldenburg

ram sectionis extremitatem (ad infimam facilius sistitur) posito, cutis trahenda est secundum vulneris rectitudinem, & pulvillus parum densus ex linteo, vel gossypio superdandus, concinneque vinciendus, ne ultro sanguis profluat, nec nimia constrictione vinculi membrum doleat. Quod si S. ægre detinetur, vel ob ejus tenuitatem (ut sæpe evenit in sanguine valde seroso), vel ob ampliorem sectionem, tunc pollice & indice, vel medio sinistræ manus cutis ad utramque sectionis extremitatem utrinque trahenda est in rectam lineam cum ipsa sectione [f], & sic S. cogitur; vel si lubet, pollice & indice non ad vulneris capita, sed ad latera appositis, oræ sunt constringendæ. Primus tamen modus, dum locum habet, præstantior est & operi accommodatior. Retento itaque sic sanguine, & oris vulneris, concinne inter se conjunctis, pulvillus ex tela aranea, aut (quod tutius est) media faba, vel (quod omnium est præstantissimum) gleba boli Armenæ, in speciem dimidiæ fabæ, aut dimidiæ avellanæ reducta, vulneri vice pulvilli superdanda est, quæ molli pulvillo linteo, aut gossypino obtecta, sic arte vincienda, ne nimia adstrictione lædat, aut laxitate inopinatæ fluxioni præbeat occasionem.

§. XXXV.

Deligatione facta, *Hor. Augenius* [g] ægrum supinum decumbere & conquiescere jubet, ut partes exinanitæ, sanguine repleantur, spirituſque restaurentur. Præcipit tamen cum aliis auctoribus [h], ut æger, nisi horis duabus vel tribus transactis, somno abstineat, ne spiritibus ad interiora viscera attractis [i], calor naturalis inde jacturam faciat. Verum hic metus nostro ævo evanuit, & ejus inertiam dudum *Botallus*, & post eum *Corn.* van *Solingen* recte agnoverunt, indeque imbecillibus ac mollibus somnum desideratum concesserunt.

§. XXXVI.

Postremo merito quæritur, cur tam multis variisque ex locis antiqui sanguinem detraxerint. Nulla, ut videtur, alia causa, quam ut eo citius ex hoc vel illo loco affecto sanguinis irruentis abundantia derivaretur, aut pro ratione morbi revelleretur, vel totius corporis causa evacuaretur. Siquidem circuitus sanguinis & frequentium anastomosium vasorum ignari, venam omnem certæ in primis parti sanguinem suppeditare sibi persuaderunt, inde eorum in venæ sectione superstitio.

(f) Corn. Solingen hanc cutis tractionem minus tutam credit. Medicin. Chirurg. Wercken p. 269.

(g) Lib. IX. de S. M. c. 23.

(h) Avicenna L. II. f. 4 D. V. c. 29. *Ex dormitione phlebotomiæ propinqua plerumque accidit in membris confractatio.* Rogerius Salernitanus: *Somnum vitent primo die, quia in somno sanguis solet ad oculos adscendere & lipothymiam generare.*

(i) Galenus T. VII. p. 39.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XXXVII.

Derivatio [k] ab illis inſtituta eſt in loco parti affectæ vicino; revulſio [l] autem in oppoſito ac remotiori; quæ in eodem latere aut e regione, ubi malum hæreret, facta, revulſio καθ' ἕξιν [m] appellabatur. Evacuatio ſanguinis ipſis fuit omnis detractio, quæ fit in plethora univerſali, nulla habita ratione alicujus loci affecti: quippe quam *Celſus* [n] & *Williſius* [o] in brachio quocunque ſuſcipi jubent. Quid denique de his evacuandi modis credendum ſit, commilito atque amicus noſter ſuaviſſimus *Georgius Chriſtianus Oederus* dilucide demonſtrabit in ſua diſſertatione inaugurali.

SECTIO II.

De venæ ſectione recentiorum.

§. XXXVIII.

REcenſitis antiquorum methodis, ad noſtra tempora pervenimus conſiderando, qua ratione ſecundum præcepta experientiſſimorum chirurgorum phlebotomia optime adminiſtretur.

§. XXXIX.

Primum, quod ad hanc operationem rite rectèque peragendam requiritur, eſt chirurgus continens abſtinenſque, peritus anatomiæ, ſaltem earum partium, ex quibus ſanguis detrahi ſolet, porro facetus quidem, attamen in loquendo cautus, ſpectabili corporis habitu, cute in manibus tenera, ſenſibili albaque, præſenti verſutoque animo, ac facultatibus ceteris præditus, quas *Celſus* (§. 18.) poſtulat. Denique optimis inſtrumentis ac reliquo apparatu, vinculo ſcilicet rubro adſtrictorio ulnam longo & pollicem lato, faſciaque lintea VIII. vel X. ulnarum longitudine [p], ſpongia molli, membranæ allantoidis vaccineæ, aut chorii albi ex ovo, quod

(k) Gal. T. VI. p. 116.
(l) Galen. ibid. p. 117.
(m) Galen. T. V. p. 1117.
(n) L. II c. 19.
(o) Pharmacop. ration. ſect. III. c. 1.
(p) Non ad deligandum vulnus, venæ inflictum, quam faſciam, duas plus minuſve ulnas longam, ac ſeſqui pollicem latam, cum ſpleniis æger præſto habeat; ſed ad compeſcendam hæmorrhagiam, ſi quando arteria vulneraretur.

Landesbibliothek Oldenburg

quod proxime teſtæ adhæret, portione quadam, ſpiritu denique, aut ſale volatili refocillante, probe ſit inſtructus.

§. XL.

Inſtrumenta, quæ in hoc opere a pleriſque uſurpantur, ſunt ſcalpelli ancipites, quas lanceolas vocant (XXII.). *Garengeot*, qui eas depictas exhibet, laminæ omnium longitudine pollicem & ſex lineas mathematicas, latitudine in baſi IV. lineas ſecundum menſuram Pariſienſem ne excedant, præcipit, (*q*). Primæ earum ſpeciei lamina, quæ a ſimilitudine grani hordei *Lancette à grain d'orge* appellatur, a baſi uſque fere ad apicem eadem eſt latitudine, acieſque ejus ſpatio III. vel IV. linearum ab extremo utrinque in mucronem acutum ſe convergit. Iſtam commendat in primis tironibus, quod non neceſſe ſit ea venas elevando ſecare, verum tantum modo pungere. Adhibet illam etiam, ubicunque magna vaſa ſub cute tenui, a multa pinguedine nuda appareant. Secunda, nomine *Lancette à grain d'avoine* inſignis, minori ſub angulo acuta eſt, i. e. anguſtiorem aciem habet. Lamina enim in medio, ubi politura incipit, latitudine ſenſim decreſcente, acieque paululum utrinque arcuata, terminatur in tenue acumen. Hanc *Garengeot* optimam & omnibus vaſis aperiendis aptam habet, propterea quod ejus latitudo non occultat locum, quem ferire cupimus. Tertiam ſpeciem nominat pyramidalem ſive *Lancette à langue de Serpent*, cujus latitudo a manubrio, acie utrinque pedetentim convergente, (*r*) magis magiſque diminuta, exit in apicem longam pertenuem & acutam, ita ut pyramidi haud abſimilis videatur. His caute uti tantum exercitatos, qui manu ſunt ſtabili, in venis profundiſſimis ſecandis idem jubet. Verum ſi dicendum, quod res eſt, hoc in caſu minime illam adhiberemus. Facilius quidem ac minori dolore venæ immittitur, plaga autem, quam venæ infligit, obliquo tractu a vulnere cutis longe abeſt. Itaque orificium coagulati ſanguinis trombo facile obturatur, fitque ecchymoſis: quin in operatione ipſa periculum eſt, ne ob tenuitatem mucro abrumpatur, ceu a vena aberrans, nervum tendinemve, aliaſque partes ſubjectas ſenſibiles lædat.

§. XLI.

Hic loci, imo in tota fere Germania, ut & in Belgio maxime in uſu eſt phlebotomi quoddam genus, cui nomen *Schnepper* impoſuerunt. Id re

(*q*) Tr. des Inſtrumens de Chirurgie Tom. I. tab. 8. & p. 143.
(*r*) Convergentem utrimque arcu quodam aciem rejicit Corn. Solingen; præſtare vero, ait, aciem lateribus rectis conicam.

Landesbibliothek Oldenburg

re vera est *Fliete* veterum (§. XXIII.) cum elastro, theca quadam (Icon XII. XIII. A) inclusum, quod a Belgis sub finem superioris seculi inventum esse videtur. *Georgius Paschius* id instrumentum tanquam aliquid novi, quod in Belgio vidit, primo, quantum scimus, 1699. descripsit (*s*). Verum id quidem instrumentum valde imperfectum est; inde apud Gallos quoque male audit (*t*). Vt autem vitia ejus liquidius pateſcant, paulo accuratius ejus structuram intuebimur. Ferrum phlebotomum (Ic. XII. *B. b.*) convenit, ut supra diximus, cum antiquo *Fliete*, excepto uno extremo, quod perforatum, ope cochleæ (*C*) in theca metallica (*A*) firmatur; ita tamen, ut circa eam tanquam cardinem moveri possit. Ferro imponitur lamina ex chalybe valida, elastica (*D*), quæ tensa solutaque id magna vi depellit: Extremum ejus unum, in modum spiræ convolutum, thecæ clavo affixum est, alterum, quod ex theca prominet, ad latus dextrum recurvum est, ut uncum angularem sive normam aliqua ex parte referat (XIII. *E*). Huncce uncum, digitis apprehensum, sursum trahendo elastrum tenditur, atque ita, clavulo quodam ei subjecto in statu tensionis (*aufgespannet*), ut in icone XII. & XIII. conspicitur, retinetur. Clavulus ille cuneiformis seu sphenoideus (Icon. XIV. *l.* XV) transit per laminam thecæ externam, atque adeo intus in cavo elastro tenso submittitur (Icon. XXI. *l.*). Interim alia lamina tenuior elastica, intus basi thecæ affixa (*F*), ferrum elastro magno sublato, apprimit sive suspensum tenet, ne pondere suo proprio delabatur. Quando elastrum solvendum est, clavulus sphenoideus ope vectis cujusdam versatilis heterodromi, cui ad angulum rectum in extremo infixus hæret (Icon XIV. *l*), subducitur. Partes illæ internæ includuntur theca oblonga metallica (XII. *A*), quæ contegunturoperculo (XVI.) in crenis acute angulatis (XII. *) trusatili. In latere opposito externo, fere scilicet in medio vel paulo propius ab ora superiori atque acie phlebotomi eminent duæ parvæ laminæ validæ, sibi parallelæ (XIII. *G*), inter quas vectis versatilis hypomochlium ope clavi (*g*) figitur. Vectis ille versatilis, quem in sclopetis nostrates *einen Schneller*, & *Galli Detente* appellant, habet in altero extremo, ubi vis deprimens adhibetur (*H*), laminam elasticam sibi affixam (XIV *i*), qui extremum illud sursum pellendo, clavulum sphenoideum elastro magno tenso subjicit.

§. XLII.

Paucis abhinc annis quidam experientia hujus instrumenti vitia sentientes, studuerunt iis emendandis. Affixerunt ergo thecæ sub basi cochlea (XXI. *m*)

(*s*) In Inventis non antiquis p. 477.

(*t*) Vid. Réponse du dernier Mémoire de M. [Martiniere] le premier Chirurgien, & à l'écrit intitulé: Examen impartial (à Paris 1749. 4to.)

Landesbibliothek Oldenburg

(XXI. *m*) laminam furculæ forma, quinque fere lineas theca longiorem, utpote quæ ope longæ cochleæ (N) ſurſum deorſumve acta, ferri phlebotomi ictum moderaretur, aut ſaltem certo quodam modo determinaret. Quo magis hæc lamina cochlea longa retorta, ſublevatur, eo altius ferrum vulnus infligit (XXIV. *B n n*), & vice verſa. Furcula, quæ eſt in extremo, continere venam turgidam ſtudent, ne ictum declinet; & id quidem obtinent, ſed cum alio haud mediocri incommodo. Illa etenim furcula conſtat duobus cruribus paululum divaricatis (XXV. *n*) & parte quadam tranſverſa, qua crura conjunguntur (*o*). Quod ſi cruribus iis venam comprehendas, parte illa tranſverſa (*o*) deprimitur vena turgida adeo, ut conſpectum aufugiat. Mutaverunt quoque formam elaſtri (XXI. *D*) & cochleam, qua phlebotomum figitur (XX. *C*), in canalem axiculo mobilem (XXII. *I*) quo facilius ferrum eximi, aliud ei inſeri, idque ab externo latere cochlea (XXVI. *I*) commodius firmari poſſet. Alii denuo vitia furculæ correcturi, thecæ adaptarunt a latere laminam mobilem (XVII.) ſingularem, cujus alterum extremum liberum aduncum (*u*), ut in norma eſt, & lateri prominentiæ ferri proxime accedit, alterum duobus affixum eſt coch'eis (*r s*), circa quas movetur. Uncus (*u*) venæ immediate, ubi incidenda eſt, elaſtro una cum ferro ſublato & tenſo, imponitur. Phlebotomum, quando ſolvitur, vulnus infligit tanta altitudine, quanta uncum in ſtatu ſolutionis, (*wenn es los geſchnellet iſt*) ſuperat (*x*). Verum & hoc phlebotomum laborat vitio quodam, unco enim venæ impoſito, latera venæ propius ad ſe invicem comprimuntur, eoque ipſo vena utrinque facile perforatur. Huic accedit, quod vena turgida facile uncum ſubter fugiat.

§. XLIII.

Ut ad primam ſpeciem redeamus, non poteſt, quin ea ſæpe faciamus venæ ſectionem, ut Galli dicere amant, albam (*Saignée blanche*) i. e. vulnus cuti, illæſa vena, infligamus. Paulo accuratius conſiderando, invenimus, eam ſeſe habere, ut duo vectes heterodromi non decuſſatim, ſed juxta ſe invicem poſiti, & intermedia quadam commiſſura (*charniere*) conjuncti, quales in forcipe, qua arteriæ, in amputatione abſciſſæ, protrahuntur (*u*), deprehendimus. Cujus crura cum utrinque æquali vi comprimamus, unum crus ad alterum promovetur, apicibus æquali motu utrinque divaricatis. Idem fit in illo phlebotomo, cujus alter vectis theca (XIII. *A*) eſt, alter verſatilis vectis, proprie ſic dictus, *der Schneller* (XIII. *H.*), quo clavus ſphenoideus retrahitur. Acies igitur ferri, quo longius ab hypomochlio abeſt, eo magis ad latus deflectitur. Objiciat mi-

(*u*) 3. Heiſter Inſtit. Chirur. Tab. 13. Garengeot Tr. des Inſtrum. T. II. pag. 221.

hi aliquis, thecam mole seu volumine superari vecte proprie sic dicto (*H*), indeque eam minus esse mobilem. Verum ille consideret, resistentiam laminæ elasticæ (XIV. *i*), extremo vectis affixæ [*b*], longius in vecte ab hypomochlio, & in theca propius abesse, exinde versus vectem esse majorem, quam versus thecam. Quantum ergo resistentiæ theca volumine suo acquirit, tantum ferme vecti versatili, mediante illo elastro, præsertim si est rigidior, accedit. Aliud stabilimen in methodo adhibendi thecæ huic dare nequit, ut immobilior fiat. Quando enim instrumentum solvendum est, pollice lateri thecæ sinistro, ac indice & medio digito vecti [XIII. *G H*] impositis, super cutem id, a contactu tamen liberum, tenetur. Cuti imponi non licet, quoniam ferrum eadem semper altitudine vulnerat; venæ autem nunc subcutaneæ, nunc profundæ sunt. Et quamvis ponamus, venam quandoque situ suo cum altitudine ictus, quem ferrum facit, convenire; attamen theca cuti admoveri sine incommodo nequit: eo enim ipso venæ lumen in figuram quandam ellipticam, deprimitur, & tunc latera venæ utrinque ferro transfiguntur.

§. XLIV.

Reliquos duos phlebotomos correctos [Ic. XVII. & XXIV.] aliqua ex parte magis stabiliri possunt, impositio cuti unco [XVII. *u*), aut furcula XXIV. *n n*]. Verum id stabilimen exiguum non sufficit thecam totam immobilem reddendo. Tametsi ope furculæ, aut unci extremum anterius non nihil firmatum sit, alterum tamen a cutis contactu liberum [nam furcula parum recurva totam cutem non tangit] in solvendo [*im Abdrücken*] ad vectem versatilem inclinat. Nihilo tamen secius hæc præstant priore phlebotomo, cum ictus altitudinem determinare furcula, aut unco possumus.

§. XLV.

Ex his apparet, errores in venæ sectione plerumque ab imperfectis phlebotomis provenire. Nihilo tamen minus ægroti, his instrumentis assueti, abhorrent a lanceolis, quas chirurgi celeberrimi omnes illis anteferunt. Qua propter omnem navavimus operam phlebotomo illi emendando. Primum erat theca immobilis reddenda. Posuimus igitur vectis hypomochlium tres circiter lineas a basi & quatuor ab extremo anteriore [XXVI], ut thecæ pars superior digitis utrinque firmiter contineri posset. Porro vectis versatilis fere ad imidium longitudinis thecæ decurtatus est, ut eum theca volumine & longitudine superaret; ac denique elastrum [*i*] ita invertendum curavimus, ut resistentia versus thecam ad [*i*] major, & versus vectem ad [*b*] minor esset. Acies ferri

ferri, quantum fieri potuit, ad hypomochlium vectis appropinquata est ob rationes §. LXIII. dictas. Furcula sic incurvata est, ut crurum tantummodo extrema [*n n*], & extremum posterius, media parte a contactu libera manente, cuti applicarentur venaque cruribus, in modo semicirculi ad extrema exsectis [XXVII. **], comprehensa, parum vel nihil obscuraretur. In phlebotomo icon. XVII. nihil mutavimus, nisi situm vectis versatilis, [de quo paule ante] & unci apicem, qui incurvatus est in formam S. Romani [XX. *y*], ne vena deprimeret. Præterea illa curvatura quoque impedit, quo minus vena vacillando fallat. Interior fabrica utriusque phlebotomi [XII. sive XXI.] mansit in correctis phlebotomis [Icon. XVII. & XXVI.] immutata, nisi quod elastrum magnum [*D*] in figura XXI. non nihil demissius positum sit [XXI. *d*]. Quamquam omnem in correctione movimus lapidem, phlebotomum tamen ad eum perfectionis gradum perducere, ut omni defectu careret, in nobis non fuit. Siquidem ferrum lato tenui acumine, quod quadrantis circuli speciem propemodum habet, verticali linea vulnus infligit. Inde sæpe usu venit, ut venæ elasticæ, ictui cedentes non pertundantur, aut cum ferrum plus justo in altum demittatur; arteria, nervus tendove in brachii curvatura, quibus sua directione e diametro occurrit, imprudenter saucietur.

§. XLVI.

Excogitavimus ergo, genio hominum, lanceolam abhorrentium, inservituri, aliam machinulam, quæ loco phlebotomi *Fluete* lanceola armatur, cujus beneficio simili ratione, atque simplici lanceola vena potest secari. Est quippe ea oblonga, quadrangularis, cujus unus angulus resectus est, theca [I. & III.], cum vagina [*D*] quadrangulari, in linea fere diagonali [*c*] ope retinaculorum [*e e*] conjuncta ita, ut inter basin thecæ & vaginam angulus XL. graduum intercipiatur. Vaginæ inseritur lanceola [VII, quæ $2\frac{1}{2}$ lineas prominens, cochlea [III. *C*.] a latere externo firmatur. Vaginam, lanceola instructam, propellit elastrum validum literæ V simile [I *b b*], quod in conjunctione crurum cochlea [*i*] thecæ affixum est. In parte superiori & anteriori limbi, ubi angulus resectus conspicitur, vectis versatilis heterodromus est Germ. *ein Schneller*, Gallice *Détente* [*N o* & icon X.], qui lamina tenui elastica [*p q*], elastro magno tenso [*b* **], opponitur. Basis fere medio adjuncta est ope commissuræ [*Charniere k*] furcula recurva elastica duas lineas thecæ basi brevior [*I L n* & icon XI.], quæ ad dorsum thecæ reflexa, serrata est, subitque retinaculum [*m*]. Caudæ istius, ut ita dicam, serratæ beneficio extremum furculæ [*n*] basi thecæ vel appropinquatur, vel ab ea pro altitudine venæ incidendæ removetur. Officium hujus furculæ est, cutem tendere, ne lanceola pro-

pulsa eam in rugas promoveat, verum potius immotam dissecet. In latere altero externo foramen est quatuor circiter lineas longum, unamque latum [III. *B*], in quo cochlea [*C*], quæ in vagina firmiter tenet lanceolam, sursum deorsumque movetur. Aperta theca iconis I. lamina quadam in crenis, acute angulatis, quæ in utroque interno latere oræ incisæ sunt, trusatili obtegitur [III. **]. In angulo anteriori, qui inferior est [*E*], aliud foramen oblongum conspicitur, quo transitus datur lanceolæ.

§. XLVII.

Attracta illa cochlea *C* iconis III. una cum vagina & lanceola, elastrum magnum tenditur, cui quidem vectis versatilis cedit, sed simul ac elastrum prominentiæ [*o*] præteriit, a lamina tenui elastica [*p q*] repulsus, illi opponitur. Tunc pollice, medioque & annulari digito phlebotomum utrinque apprehensum, cuti applicatur ita deprimendo, ut mucro prominens lanceolæ [*] cuti super venam nonnihil infigatur: quo facto, deprimitur indice nodulus [*N*], eoque laxatur elastrum magnum, quod ferrum in venam celeriter depellit. Vena si altius latet, demittitur cauda serrata furculæ spatio aliquot dentium secundum venæ altitudinem. Quo enim majori sub angulo, & magis ad perpendiculum lanceola venæ immittitur, eo altius penetrat [Icon I. 1. 2. 3.].

§. XLVIII.

Neque negligendum est phlebotomum Hippocraticum, scalpellum videlicet incurvum lato acumine [XXIX.], quippe quod tutissimum aptissimumque invenimus venis subtercutaneis incidendis, sub quibus proxime arteria vel nervus vel tendo periostiumve jacet, quæ omnia cautus eo evitabit: Nam simulac ferrum penetrat partem venæ superiorem, sanguis ad dorsum scalpelli, ubi spatium in sectione relinquitur, prosilit, antequam retrahitur. Quod cum videamus, scalpellum non altius adigendum, sed vulnere extrahendum est, ne partes subjectæ lædantur. Lanceola aliove instrumento non tam facile iis parcere possumus, utpote quæ totum obturant in sectione vulnus, ne guttula sanguinis prius prodeat, quam retrahantur. Nec ex ulla re percipitur, quantum immittendum sit lanceola, nisi ex resistentia venæ, quando nimirum illa desinit sentiri, id quod nonnunquam vix aut ne vix quidem animadvertere ac distinguere possumus. De structura ejus scalpelli notamus, acuendo utrinque sinuatum [*A*], ut novacula, illud esse, & habere mucronem non angustum, pertenuem, subrotundum, quasi semicircularem [*a*], qui facilius cutem secando penetrat. Acies enim quæcunque secans, est quasi serra, prout videtur oculo armato. Serra, quæ par-

parvos atque anguſtos dentes habet, facilius i. e. ſine ulla concuſſione aut hæſione ſecat, præſertim dum plures dentes ſimul corpori diſſecando inſunt: Quo majores laxioreſque dentes ſunt in relatione corporis ſecandi, eo pauciores ſimul inſunt corpori. Hi invadunt radendo plus juſto corpus, quod tunc vehementibus ferræ, hinc inde hæreſcentis, concuſſionibus miſere laceratur.

§. XLIX.

In ejus applicatione cutis, quæ ſupra venam eſt, utrinque pollice & indice parum diſtenditur, uti fit in diſſectione cadaverum, deinde ſcalpellum ſub angulo acuto adactum, paululum ad nos trahimus, uſque dum ſanguis profluat. Sin ferrum minus penetret in vena, tunc denudata. Multis forſan hæc methodus videbitur crudelis ob magnos dolores. vulnuſque amplum; verum, perito chirurgo adminiſtrante ſectionem, neutrum uſu venit. Quin venæ ſectio punctim facta vehementiores dat dolores, quam quæ fit cæſim. Pungendo major invenitur reſiſtentia, quam ſecando; inde dolor in illo acrior, in hoc vero tolerabilior. Vulneris denique amplitudo evitatur curvitate ſcapelli, qua fit, ut plaga venæ illam cutis propemodum æquet.

§. L.

Paratus ſic chirurgus, reliquo etiam apparatu inſtructo [*x*], cum medicus neque præſens, neque auctor venæ ſectionis ſit, conſideret pro ſuo ingenii modulo conditionem corporis ægroti, nullane adſint ſigna contraindicantia, ut ſumma debilitas, quæ ex pulſu parvo [*y*] reliquiſque ægri actionibus cognoſcitur, alvus diu adſtricta, cœlum ardens, fluxus menſtruus, & celata graviditas. Eo enim rerum ſtatu præſtat ſanguinis miſſionem intermittere, vel ſaltem differre, niſi ſumma neceſſitas urgeat; ſin autem nihil eorum invenitur, atque æger a plethora torporem membrorum, gravitatemque & anxietatem circa præcordia ſentit, pulſu magno ac duro; ſanguis nulla ratione ætatis habita, tuto evacuatur.

(*x*) Huc pertinet faſcia lintea mollis ſecundum filos ſciſſa, (*nach den Faden geriſſen*) abſque ſuturis, unam & ſemis ulnam plus minuſve longa, totidemque pollices lata; porro ſplenia duo ex detrito linteo, quorum alterum altero majus ſit; vas aqua calida, aliudque frigida plenum, mantile, duo treſve orbes ad excipiendum cruorem.

(*y*) Pulſus in morbis pulmonum inflammatoriis hic excipitur, qui etiamſi parvus & intermittens videatur; tamen venæ ſectio maxime iis ſalutifera, imo ſumme neceſſaria eſt.

Landesbibliothek Oldenburg

§. LI.

Æger duas treſve horas ante operationem niſi morbo quodam ſit lecto affixus, ſurgat, &, toto corpore probe amicto ambulando in conclavi, unde acceſſus aëris frigidi arceatur, corpus exerceat, bibatque modice potum calidum tenuem, aut theam, aut caffee, ut, corpore ubique æquabiliter calido, motuque ſanguinis aucto, venæ turgeſcant [z].

§. LII.

Quando, ad opus accedere oportet, æger in ſella non nimis alta, lectove præſertim, cum ad animi deliquium proclivis ſit, lumini obverſus conſidebit. Membrum, ex quo ſanguis detrahendus eſt, vinculo rubro adſtrictorio duos digitos tranſverſus ſupra locum vulnerandum, aut in capitis phlebotomia collum abſque cutis tractione conſtringitur, (quod in obeſis paulo arctius, quam in macilentis ac venoſis fit), expectatur temporis illud articulum, quo venæ maxime turgidæ duræque tactu indicis cognoſcuntur [a]. Tunc lanceola, per medium aut paulo propius a mucrone pollice & indice apprehenſa, manus medio digito tanquam fulcro in cute ægri ſtabilitur, & lanceola ſub angulo quadraginta circiter graduum vel paulo majori, ſi vena profunde jacet, cute ope alterius manus parum diſtenta, ne rugæ lanceolæ ſe opponant, venæ ſenſim immittitur, uſque nulla amplius reſiſtentia ſentitur: deinde lanceola leniter reducendo elevatur [b], ut vulnus in cute, quantum

(z) Dionis præcipit, ut venæ ſectio in brachio mane in lecto abſque prævio corporis motu; ea vero, quæ in pede ſuſcipi ſolet, ut veſperi fiat, cum corpus ambulatione aliove motu probe incaluerit. Cours d'Opérations de Chirurgie, par M. G. de la Faye à Paris 1740. 8vo. Demonſt. 9. pag. 767.

(a) Botallus Libro de cur. per S. M. obſervavit, venas vinculo conſtrictas, certo temporis ſpatio maxime turgere, eo autem præterlapſo, diſparere; quod per ſæpe nobis etiam uſu venit.

(b) Hanc lanceolæ elevationem in ampliando cutis vulnere fere omnes, quotquot de hac re ſcripſerint, præcipiunt; quin Garengeot in profundiſſimis vaſis, quæ tamen quandoque multa dura celluloſa tela obnupta ſunt, eam fieri poſſe contendit. Tr. des Inſtrumens T. I. p. 149. Verum hæc encheireſis parum nobis ſucceſſit, quantamcunque adhiberemus tam in vivis, quam mortuis hominibus diligentiam. Periculum ejus quoque ſæpius fecimus in abſceſſibus tumidis lanceola magna valida aperiendis, verum ea directione, qua ea immiſſa erat, non potuimus ſecando valde ampliare vulnus ſine aſperis doloribus, niſi allevato manubrio, demiſſoque mucrone, quemadmodum fit vecte heterodromo, directionem mutaremus (Vid. Corn. van Solingen chirurg. c. 131.) Ita quidem agere licet in abſceſſibus diſſecandis, non autem in venæ ſectione: manubrio enim ſurſum reclinato, mucro, qui quaſi in arcum circuli intra venam deorſum movetur, alterum, quod inferius eſt, venæ latus vulneratur, unde ecchymoſes aliæque malæ ſequelæ. Præterea lanceolæ, cum primis illæ, quas a pyramide & grano avenæ co-

tum ſatis, dilatetur. Si cui placeat novum phlebotomum adhibere, demittet aut elevabit furculam pro venæ altitudine, eamque pertundet eo modo, quem ſupra §. XLVII. docuimus. Venæ ad tactum mobiles ſive fluctuantes, quales ſunt, quæ ſuper muſculos rotundos aut in laxa celluloſa tela decurrunt, duplici egent vinculo adſtrictorio: nempe præter primum vinculum, aliud paulo laxius infra ſectionis locum, quod etiam majori impetu ſanguinem, teſte *Walæo* [*c*], propellit. Si quis autem ſecundam ligationem non amet, premat ſaltem pollice venam, oportet, vinculumque ſuperius paulo propius ad ſectionis locum admoveat. Loco preſſionis, quæ fit pollice, *G. de la Faye* manu amplectitur brachium anticum ſic, ut cutis paululum tendatur: Siquidem venam eo ipſo melius ſtabiliri ſibi perſuadet. His addi poteſt, quod chirurgus in dextro ægri brachio vel pede ſua dextra & in ſiniſtro latere ſiniſtra manu ſectionem faciat; excepto hoc caſu, ubi phlebotomum novum in vena mediana ob ſubjectum nervum arteriamque invertitur: tunc enim in ſiniſtro brachio commodius dextra manu & vice verſa inſtrumentum continetur.

§. LIII.

Si quando venæ colore ſuo non conſpicuæ ſint; membrum ſpongia aqua tepida imbuta fricatur, ac ſanguis palpationibus ab extremo membri verſus ligaturam regeritur, aut balneo aquæ tepidæ mantilive calido quo membrum involvitur, fovetur, aut denique æger in lectum redire jubetur. Si tunc tumor tantum oblongus, venam mentiens poſt conſtrictionem ſe oſtendat, magna cautio adhibenda eſt, ne tendinem, nervum arteriamve [*d*] pro vena habeamus. Dubius ergo chirurgus de venæ præſentia, relaxet vinculum adſtrictorium; tunc, ſi vena eſt, plane evaneſcit, quæ & rurſus ligata, elaſtica, non pulſans tactu indicis ſentitur. In hac obſcuritate quoque e re eſt, impreſſionem unguis ad utrumque venæ latus ad ductum *Dionis* adhibere, inter quæ ſigna me-

cognominant (§. 40.) pungendo potius, quam ſecando aptæ ſunt: ſiquidem acies utrinque lateralis non excavatione, ut ſcalpelli, ſed rotunditate quadam acutæ ſunt (*die Schneide iſt nicht hohl, ſondern rundlich zugeſchliffen*) & quo anguſtior eſt lamina, eo magis acies ſecans obtuſa eſt (*die Schneide iſt dike.*) Poſtremo etiam periculum eſt, ne mucro anguſtus tenuis in iſta elevatione frangatur. Supra citatus Cornelius van Solingen aliam encheireſin habet: Simulac lanceola venam penetravit, eam, apice paululum elevato, in vena ulterius protrudit, uſquequo vulnus ſatis amplum ſit. Sed id non minus periculoſum eſt, ut exemplo apud Lud. Gron. in Candidato chirurgiæ p. 72. conſtat.

(*c*) Epiſt. II. p. 567. & 571.

(*d*) Arteriæ ligatura nimis ſtricta pulſum amittunt, neque plane ob tunicarum craſſitiem concidunt, uti probe Jo. Walæus in ep. 2. de motu ſanguinis, Thomæ Bartholini anatom. adjuncta, annotavit.

Landesbibliothek Oldenburg

medio loco vena inciditur [e]. Tali modo agere debemus, quando nullibi venæ evidentiores apparent, ac vehementia morbi magnam sanguinis evacuationem sine mora postulat: nulla autem necessitate urgente, tutius est evacuationem in ejusmodi corpore cucurbitularum scarificatione moliri.

§. LIV.

Sic sanguinis detrahimus uncias septem, octo vel ad summum pondo pro virium & morbi ratione: sive in corpore sano, quoad color faciei mutatur, pulsusque, antea durus, fit mollior.

§. LV.

Post sanguinis detractionem, labiis vulneris pollice atque indice, vel solo pollice molliter compressis, brachium maculatum detergitur: deinde unum duove splenia ex linteo detrito, sublato primum indice & tunc pollice, vulneri superimponuntur, fasciaque lintea molli (nota (x) pag. 509) neque nimis arcte, neque laxe religantur. Quidam splenium aceto imbuere solent, quod tamen præsertim, cum ex cerevisia confectum sit, splenium asperum durumque, & inde molestum reddit. Satius ergo ducimus, nullo liquore splenium imbui, nisi ecchymosis appareat, aut inflammatio ex læsione timeatur. Quandoque vulnus, fascia remissa, aut de loco mota, dehiscit, novaque ex improviso hæmorrhagia suboritur: Sed malum id optime præcavetur membrana allantoide vaccina, aut chorio albo ex ovis, vulneri infra splenio impositio, quod labia vulneris satis arcte constricta tenet, etiamsi, fascia inopinato laxata, splenium vulneri abscedat.

§. LVI.

Accidit nonnunquam, ut animi deliquium ipsi sanguinis missioni ex pavore mollitieque, aut ex virium penuria superveniat. Hoc in casu æger resupinatur, compresso pollice vulnere, naribus admovetur, vel, si malum pertinax est, infunditur spiritus salis ammoniaci, aceto temperatus, facies conspergitur aqua frigida, vestimenta circa præcordia solvuntur, manus palmis cæduntur, & aëri libero, porta vel fenestris apertis, datur denuo accessus. Quando æger ad se redit, viresque, pauco tantum sanguinis detracto, sublato pollice, rursus mittitur ad justam quantitatem: sin aliter; vulnus continuo deligandum, alioque tempore sanguinis missio per venæ sectionem aut scarificationem iteranda est. Aegro post

(e) Ut venæ imposterum facilius in obesis reperiantur, Reinerus Solenander dat consilium vulneri, fere coalito, fuliginem, qui *Kuhnrauch* vocatur, infricandi. Consil. med. Sect. V. Conf. XV. quod autem minus probamus.

Landesbibliothek Oldenburg

paulo post sanguinis missionem animo linquente, eadem sunt facienda, quæ initio hujus paragraphi posuimus. Quidam citius, vena in brachio secta, animo deficiunt; quocirca venam quandam in pede aperiri præstat.

§. LVII.

A somno, utpote qui egregie vires reficit, debilis æger, si eum capere desideret, non arceatur. Aeger tantummodo in custodia habendus est, ne fascia ex improviso remissa, aut de loco mota, denuo hæmorrhagia suboriatur.

§. LVIII.

Hæc hactenus generatim de hoc argumento dicta sunto. Itaque paulo prolixius pertractabimus, quibus in locis & quonam modo omnis venæ sectio, quæ adhuc in usu est, rite recteque instituatur. Loca, quæ nostris temporibus secantur, sunt in fronte, sub lingua, in jugulo, brachiis, manibus, pene, suris, ac denique in pede utroque extremo.

§. LIX.

Vena quæ in fronte præciditur, propago est venæ transversæ faciei, quæ ex magnis oculorum angulis per mediam frontem recta versus calvariam decurrit [*f*]. Tenuis plerumque ea est, & parum dat sanguinis, adeoque eus sectio propemodum in desuetudinem abiit. Sectio fit hoc modo: æger sibi abdomen cingulo, quantum fieri & ferre potest, constringit, animamque repetitis nixibus, quasi fœtum vel aliud quidpiam excludere vellet, fortiter comprimit [*g*]. Vena tunc turgida pertunditur lanceola, quæ a grano hordei nomen habet, [§ XL.] vel quod præstat, scalpello Hippocratico [§.XLVIII.] secatur, cujus acie periostium intactum relinquere possumus. Post detractionem, chorio gallinaceo [§.XXXIX.] & splenio super impositis, ligatura, quam discrimen, aut illa, quam scapham apellant, vulnus deligatur.

§. LX.

(*f*) Generosissimi Præsidis tabula arteriarum faciei in fasciculo 3. Vel splendidum illud opus, cui titulus est, Anatomie de la tête en tableaux imprimés, par M. Duvernay & Gautier à Paris 1748. fol. max.

(*g*) Alii omnes, excepto unico Carpo (not. 147.) collari aut alio vinculo jugulum jubent strangulari. Ita tamen, ut extremitatibus vinculi simpliciter nexis i. e. in simplicem nodum collectis. deorsumque & aliquanto antrorsum tractis, aspera arteria a compressione libera maneat. Verum hæc constrictio minus efficax est, quam quæ fit in abdomine, cujus beneficio fortius animam comprimere, in quo ipso rei cardo vertitur, valemus.

§. LX.

Sectio venarum raninarum ſub lingua à quibuſdam ſuperſtitioſis nonnunquam expetitur. Sed ob periculum læſionis nervorum arteriarumque vicinarum, indeque hæmorrhagiæ merito hodie à pleriſque abjicitur. Fit illa ope tenuis lanceolæ, poſtquam conſtrictio in abdomine aut collo antea facta eſt. Quod ſi fluxus ſanguinis non deſinit; ſtyptica, ut oleum vitrioli larga aquæ quantitate dilutum, ore teneatur, aut vena in pede aperiatur.

§. LXI.

Illam, quæ fit in jugulo, à pleriſque neglectam, paucis abhinc annis denuo in uſum receperunt, poſtquam *Balth. Lud. Tralles*, aliique viri auctoritate graves egregiam ejus præſtantiam, ac periculi abſentiam liquido demonſtraverunt [*b*]. Venæ, quæ ibi ſecantur, ſunt jugulares externæ, omnibus vel tironibus anatomiæ notæ. Modus ſecandi hic eſt: collum aut ilia vinculo adſtringuntur, ut ex §. 59. conſtat. Æger, ſpiritu compreſſo, incurvat ad latus oppoſitum caput, quod ab adſtante quodam, qui ſimul jugulares utrinque prope claviculas digitis premit, contineri poteſt. Tunc chirurgus incidit ſecundum longitudinem, ſive ſecundum directionem fibrarum platyſmatis myoidis, venæ jugularis truncum vel ramum propinquum, duos treſve digitos tranſverſos à clavicula, ſanguis emittitur, & poſtea vulnus deligatur modo ſupra memorato faſcia, in orbem circa collum voluta. Quando hæmorrhagia negotium facceſſit, quod tamen raro fit, ſanguinis miſſio in pede iteratur, vulneri ſplenia tria gradata (i. e. quorum inferius ſuperius ambitu ſuperat), ſuper hæc ſplenium longum, quod totum truncum ſimul obtegit, & denique charta multiplex conglutinata (*Pappendeckel*) imponuntur. Hæc omnia firmantur faſcia, ſub axilla in oppoſito latere ſæpius deducta, & dehinc rurſus ad collum, ubi orbiculari circumvolutione finitur.

§. LXII.

Ad ſanguinem ex brachio manuque detrahendum, major cautio adhibenda eſt: quapropter e re erit, ſitum antea, tractumque venarum ſubcutanearum, quem plerumque obtinent, nervoſque & arterias, quatenus earum comites ſunt, paululum diſpicere. Vena ſubclavia, ſimul ac à claviculis receſſit, dicitur *axillaris*, & ad caput oſſis humeri diſpeſcitur in duos notabiles, reliquis poſthabitis, ramos, quorum alter humeralis ſ. cephalica eſt, alter baſilica, niſi cephalicam dudum prius dimiſit, aut ex jugulari externa, aut proxime hujus venæ in trunco ſubclaviæ ortam.

Utcun-

(*b*) In Comment. de vena jugulari frequentius ſecanda.

Landesbibliothek Oldenburg

Utcunque *cephalica* orta sit, tamen inter tendinem magni pectoralis musculi & deltoidis ad latus externum bicipitis, nulla arteria [*i*] nervove comite, descendit usque ad cubiti commissuram, ibi ramum ablegat *medianæ cephalicæ* nomine, qui oblique flexuram cubiti transcendens, primo subit nervum musculo-cutaneum, ut Generosissimus *Præses* probe observavit [*k*], deinde, supergressus tendinem bicipitis, confluit cum simili ramo basilicæ in medianam magnam sive communem. Truncus interim cephalicæ paululum progressus, qui nomen *venæ radialis externæ* à *Winslovo* accepit, multisque canalibus intermediis cum vicinis venis conjunctus, obliquo tractu superat radium, dorsoque imprimis manus multis prospicit ramis, ex quibus unus ad salvatellam inter os metacarpi tertium & quartum fertur [*l*]. Alius quandoque ramus oritur ex vena cephalica mediana, quæ radiali externæ fere parallela decurrit, cui *Winslovus* nomen *radialis internæ* imposuit [*m*]. Alter ramus axillaris trunci, vena *basilica* dictus, sub tendine musculi magni pectoralis haud procul à capite ossis humeri abit in duos alios ramos, quorum alter profundus, insulas intercipiens, arteriam brachialem sequitur, ac denique cum mediana magna aut cephalica mediana coit [*n*]: alter subcutaneus, multis inter ipsum prioremque & cephalicam anastomosibus factis, decurrit ad condylum internum, ablegat ibi à latere super principium expansionis aponeuroticæ bicipitis *venam medianam basilicam*, arteriæ radiali & nervo mediano & cutaneo interno plerumque vicinam [*o*], quæ cum mediana cephalica in formam sagittæ conjuncta, constituit venam *magnam medianam Winslovi*. Hæc *mediana sive communis*, quæ in principio à nervo mediano arteriaque radiali non longe abest [*p*], frequentiori utrinque nexu cum cubitali & radiali vena rete facit, cujus beneficio tam ex vola, quam ex dorso manus sanguinem recipit: truncus ejus oblique super radium decurrens, dat

(*i*) Vid. Ludovici Rivæ, a Petro Berrettino picta Tab. anat I & XXIV. Eustachius de humerariæ venæ propagine Antigramma II. in Opusculis Generosissimus Præses observavit arteriæ ramulum, venæ huius comitem, qui vero paulo infra deltoidem musculum eam reliquit. Conf. icon arteriarum brachii, manu supina adumbrata. Optabile fuisset, ut hæc icon, litteris insignita, atque observationibus illustrata, jam edita esset. Magnam certo exinde perspicuitatem, utilitatem voluptatemque cepissemus. M. Verdier vidit aliquando ejusmodi arteriam paulo ulterius venam cephalicam comitantem, vid. Cours d'Operat. de chirurg. par M. Dionis, & augmentées par G. de la Faye p. 666.

(*k*) Vidit etiam olim in hoc nervo, ubi venam transgreditur, ganglion quoddam præternaturale, quod procul dubio a læsione in phlebotomia subortum est.

(*l*) Kulmi Anat. Tab. 17. nota F.

(*m*) Expos. anat. T. III. Tr. des veines §. 129.

(*n*) Eustachii Tab. anatom. 8. item ejus Antigramma 1. & 3. l c. in Opusc.

(*o*) Vid. the Anatomy of the human Body, by Chesselden tab. æn. 28. edit 4. Lond. 1741. Winslow l. c. Tr. des Arter § 141. & Tr. des Nerfs §. 228. & 239.

(*p*) Prout ex icon nitidissima Generosissimi Præsidis supra citata patescit.

dat præter ramos ad indicem & medium digitum, venam in primis *cephalicam pollicis* [q] inter primam pollicis phalangem & os metacarpi indicis. Hic loci ramus insignis arteriæ radialis est [r], quem in venæ sectione tactu exploratum, sedulo cavere debemus. Ut ad basilicæ continuationem redeamus, post ortum venæ medianæ basilicæ, dividitur potissimum in duos (reliqui nihil ad nos faciunt) ramos insignes, quorum alius, qui *vena cubitalis externa Winslovi* audit, oblique super ulnam decurrit, spargitque multos ramos in dorso manus, ex quibus ille inter os metacarpi tertium & extremum cum ramo quodam radialis externæ conjunctus, nomine *salvatellæ* insignitur: alius ramus, *vena cubitalis interna* dicta, quæ sola quandoque ex mediana basilica originem [s] trahit, pluries cum priori vena cubitali externa, ut & cum mediana magna connexus, multas intercipit in parte brachii interiori insulas, ac denique tendit in primis ad volam, ibique finitur. Postremo notari meretur, his duobus, ut & reliquis ramis basilicæ aponeuroticam expansionem musculi bicipitis, quæ in principio valida, sensim vero tenuior, musculos manus flexorios ambit, proxime subjacere. Præterea super illos nervus quoque cutaneus internus suos hinc inde spargit ramulos.

§. LXIII.

Ex istis liquido patet, quænam loca periculosa & fugienda sint, quæque eligenda. Si nobis optio detur, malimus cephalicam supra cubitu flexum, aut cephalicam mediam in principio & haud procul à tendine bicipitis, non tamen proxime [t], aut radialem externam internamve prope ortum, aut medianam magnam non in intervallo musculorum, sed in supinatore longo sive tres digitos transversos infra cubiti flexuram, aut denique, latentibus omnibus hic memoratis venis, ulnarem externam eadem à cubiti flexu distantia eligere.

§. LXIV.

Quicunque igitur locus ex his placeat, tactu digiti, brachio extenso, rursusque curvato, ante ligationem sedulo explorari debet, utrum arteriæ pulsus, tendove sentiatur, nec ne: tunc æger manum iterum erectam apertamque contra chirurgi pectus insistere jubetur. Chirurgus vinculum adstrictorium, §. 39. descriptum, fere in medio ambabus manibus prehendit, & duos digitos transversos supra cubiti flexum ita applicat,

(q) Vesalii icon venæ cavæ in lib. de fabrica corp. hum. Kulmi tab. 17. nota H.
(r) Winslow lib. cit. T. III. Tr. des Arteres § 166.
(s) Confer. Cheseldeni Tab. 28. sup. citat. Kulmus Tab. 17. nota G.
(t) Quando hic vena secatur, brachium erectum in pronatione, qua tendo depressior sit, teneatur, oportet.

Landesbibliothek Oldenburg

cat, ut capita faſciæ non decuſſatim, ſed in modum cochleæ juxta ſe invicem circumducantur. Deinde caput inferius reflexum, quod Galli *un renverſé* vocant, ſupra orbem ſive ductum alterius capitis ad partem brachii internam, dehinc ad externam ducitur, ubi cum altero capite in nodum laxiorem (*eine Schlæuffe*) colligitur [*u*]. Interea ſedulo cavendum, ne cutis extra ſedem ſuam promoveatur. Quo facto chirurgus brachium per breve temporis ſpatium ad latus libere dependere ſinit, ut ſanguis per arteriarum canales magis irruat. Obſervatis iis, quarum ſupra (nota (*a*) pag. 510) mentionem injecimus, chirurgus, arrepto ſiniſtra manu ægri pugno, dextra brachium ſupra carpum amplectitur & quaſi demulcendo ſive palpando ſanguinem, in venis contentum, verſus ligaturam regerit. Tunc, conpreſſa pollice vena ſecanda paulo infra ſectionis locum, brachium amplexu intrepide tenet: ægerque pugnum contractum corpori chirurgi contraponit. Interea chirurgus ſumit lanceolam aut phlebotomum novum, aut, ſi arteria nervuſve propinquus ſit, ſcalpellum incurvum, & tactu iterum indicis manus, qua inſtrumentum continet [*x*], exploratam venam perforat eo modo, quem ſupra §. 47, 49 & 52. docuimus. Vena aperta, ægro in manum datur baculus, aut quodvis corpus oblongum, quod illi inter miſſionem circumvolvendum eſt, ut ſanguis motu muſculorum propulſus, probe ſaliat. Unus interim ex adſtantibus excipit orbe, aut quibuſdam calycibus vitreis [*y*] ſanguinem, ægerque admonetur, ut brachium minime pronet aut ſupinet, ſed in eodem ſitu, aut inclinatione, in qua vena aperta eſt, ex juſſu chirurgi curvet aut erigat: nam vulnus venæ vulneri cutis facile in permutatione ſitus ſe ſubducit, & tunc ſanguis ſubter cutem ſuffunditur. Quando vena mediana magna, aut mediana cephalica prope tendinem bicipitis incidenda eſt; novo phlebotomo facilius ſauciatio arteriæ, tendinis aut nervi mediani evitatur, ſi id ita cuti imponitur, ut acies lanceolæ extremum manus ſpectet. Sic ferri directio arteriæ vel tendini fere parallela eſt, cujus beneficio illa intacta manent. De directione plagæ notandum eſt, ſectionem obliquam in vena cephalica & radiali ob ejus mobilitatem & tenuitatem; in mediana vero cephalica & magna mediana ſectionem rectam ſecundum longitudinem brachii præſtare. *Corn.* van *Solingen* media-

(*u*) Hanc deligationem, quaſi ab ipſo primum deſcriptam gloriatur Garengeot Tr. des Inſtrumens T. I. p. 140. verum ante eum jam C. van Solingen nimis fuſe indeque obſcure hunc vienciendi modum oſtendit lib. citato.

(*x*) Plerique paulo ante, quam vena ſecatur, dentibus lanceolam tenent, atque eam poſt explorationem ex ore ſumunt; locumque perforant. Verum chirurgus lanceolam ore tenens multis adſpectu terribilis eſt: Vena etiam tactu inventa, dum lanceola ex ore depromitur, oculorum obtutum facile effugit.

(*y*) Galli ſanguinem excipere, & ſimul menſurare aſſolent vaſculis, ad hoc negotium adaptatis, quæ *Palettes* vel *Poilettes* vocant. Capiunt illa vaſcula tres circiter uncias.

Landesbibliothek Oldenburg

dianam quidem cephalicam aperit plaga recta secundum ejus tractum; verum hac directione lanceola nervum musculo-cutaneum facile offendit. In venæ ulnaris sectione sequimur directionem fibrarum aponeuroseos bicipitis musculi. Postquam vinculum adstrictorium ablatum est, deligatio, impositis duobus spleniis, ac membrana allantoide, fit in vulnere decussatim ad formam numeri 8, quam fusius *Dionis*, *Cornelius* van *Solingen* & Ill. *Heisterus* descripserunt.

§. LXV.

In manibus hæc operatio sic instituitur: manus, ex qua sanguis detrahetur, vinculo adstrictorio supra carpum, vel potius supra cubiti flexum ligata, aquæ calidæ per breve temporis spatium [z] immittitur. Simul ac venæ turgescunt, manum ex aqua extractam detergunt, tactuque venam exploratam aut cephalicam aut salvatellam plaga recta aperiunt, & rursus eam in aquam calidam deponunt. Sanguinis sufficiente quantitate evacuata, fluxus ejus facile sistitur deligatione quacunque, quam etiam vide apud Ill. *Heisterum* & *Cornelium* van *Solingen*. De salvatella tantum notamus, quod illa prope à carpo, si fieri possit, incidatur: superiori enim loco facile ferro tangitur portio tendinea, qua extensor auricularis digiti cum annularis tendine, qui ad extensorem communem digitorum pertinet, conjunctus est [a]. Præstat igitur scalpello hic uti incurvo, quam alio phlebotomo.

§. LXVI.

Nimia & continua penis inflammati erectione sive distorsione dolorifica laborantibus quidam venam rectam in dorso penis secundum longitudinem lanceola incidunt, & vulnus fascia singulari deligant [b]. Verum enim vero hæc sectio periculi plena est ob arterias comites nervosque. Præterea hæmorrhagia negotium facescit, quoniam vena ligatione satis constringi non potest: cum enim vinculum arcte adstringitur, sanguine in venis stagnante, penis rursus tumescit, ac doloribus vehementer ab angustia vinculi afficitur. Rami quidem venæ hæmorrhoidalis externæ subcutanei, à latere supra corpora cavernosa penis conspicui, minori periculo, præmissa videlicet larga venæ sectione brachii, propter os pubis inciduntur; nihilo autem minus satius ducimus in hoc malo cucurbitulas cum scarificatio-

(z) Manus aqua calida non diu fovenda est: cutis enim contrahit rugas, quæ sectionem difficilem & dolorificam reddunt.

(a) Eustachii Tab. 34. » Albini Tab 5. *b.* musculor. hom. Weitbrechti Syndesmol. T. IV. fig. XIV. sive ejusdem icon in Comment. Acad. Scient. Petropol. T. IV. p. 234.

(b) Ill. Heisteri Instit. chirurg. Tab. 2. *e.* atque Tom 3. cap. 5. §. 14.

Landesbibliothek Oldenburg

catione inguinibus applicare. Siquidem ibi diſſecantur ramuli venarum & arteriarum, quibus mediantibus magnum inter vaſa penis & crurum eſt commercium.

§. LXVII.

Sanguinis detractio in pede plerumque ex *ſaphena* fit, quam venam paucis ideo perſtringemus. Oritur illa ex vena crurali, poſtquam abdomine ſub ligamento *Fallopii* egreſſa eſt: hinc juxta ſartorium muſculum ſub cute ad poplitem fertur, ibi ad latus internum ſuræ deflexa, cum ramulo quodam nervi cruralis & vaſe lymphatico uno vel altero ad malleolum, ubi nervus venam relinqui aſſolet [*c*], internum tendit, multis ramis utrinque ablegatis, ex quibus ille notabilis eſt, qui ter quaterve diviſus ſuper flexum pedis decurrit, & partim cum vena ſaphena parva, partim cum tibiali antica connatus, reticulum in dorſo pedis hic atque illic ſuper propagines arteriæ tibialis antici componit. Ut ad truncum redeamus, ille ante malleolum & inde ad latus internum tarſi ſuper muſculi tibialis antici tendinem, qui oſſi cuneiformi inſeritur, verſus hallucem procedit; tunc arcu quodam ſurpra metatarſum reflexa, aliis ibi venis inoſculatur. Quandoque vena etiam *poplitæa* ſubcutanea, quæ ſub poplite in ſuris conſpicitur, ut & vena *ſaphena parva* inciditur, quæ in latere pedis externo & poſt malleolum ſuper tendines peronæi longi & brevis muſculi ad dorſum pedis tendit, quo in loco finitur.

§. LXVIII.

Ubicunque ergo locorum venæ ſectio inſtituatur, ſemper arterias, nervos tendineſque vicinos reſpiciamus, neceſſe eſt, præſertim in pedibus, quorum uſu carere vix ullo tempore poſſumus, quo & ipſo malum, ſi quod illatum ſit, multo magis exaſperetur, quam in brachio, utpote quod ſine magno incommodo quietum & a motu immune tenere licet. Loca, in quibus venæ ſectio pedis hodie ſuſcipitur, ſunt ſub genu, in ſuris, ſupra & infra malleolum internum, ad tarſum a latere, inter hallucem & proximum digitum, & in dorſo pedis.

§. LXIX.

Summatim hic moneri meretur, ne æger ante venæ ſectionem pedibus nudis, præſertim aëre frigido aut pluvioſo, incedat, neque, cum ve-

(*c*) Veſalius Lib. IV. de fabr. corp. hum. cap. 17. *n.* & icon. adjecta ſ. W Cheſelden Anat. of the hum. body ed. VI. p. 245. Winslow Expoſ. anât. T. III. Tr des nerves §. 316. Ant. Nuckii Experiment. chirurg. 28. & fig.

Landesbibliothek Oldenburg

venæ visu difficiles sint, balneo calido carere queat [*d*]. Immittat itaque æger utrumque pedem suratenus solio sesqui pedum circiter altitudine, aqua calida pleno. Interea chirurgus, genu altero prorsum flexo, subsidit in altero, & leniter fricat spongia molli pedes, quorum alter ex aqua retrahitur, alter in quo venæ evidentiores sunt, in balneo relinquitur. Tunc venam, pede labro solii impositio, conspicuam, tactu perquirit, utrum arteria tendove subsit, qui ferro tangi queat. Postquam certus est de utriusque absentia, vinculum adstrictorium, suppositia popliti alia fascia conglobata pollicis circiter crassitie inter tendines flexorios tibiæ, applicat supra genu, tondetque pilos, si qui ei obsint. Quo pacto saphenam vel poplitæam venam locis indicatis methodo supra memorata secat, & sanguinem, pede rursus aquæ calidæ immisso, fluere patitur. Quando sub genu saphena eligitur, satius est ramum ejus lateralem quendam incidere, quam truncum ipsum, ob vicinum ramum nervi curalis & connexa vasa lymphatica. Poplitea ubique tuto pertunditur, nisi ferramento altius, quam par est, adacto, vaginam tendineam, qua gemelli musculi includuntur, imprudenter lædas. Deligatio, vena prope poplitem secta, facile fit in orbem, & quibusdam circumvolutionibus in modum cochleæ factis: Si venam autem in sura incideris, necesse est, ut tota sura obvolvatur fascia obtusa, quam Galli *Doloire* appellant: aliud enim ligamen facile antrorsum vel retrorsum a vulnere recedit.

§. LXX.

Saphenam supra malleolum internum incisurum oportet, ut observatis iis, quæ supra annotavimus, tactu perquirat, si fieri possit, ubi locorum nervi cruralis propago, a vena abscedat. Tunc pedem dextrum sinistra, aut sinistrum manu dextra ab exteriori latere paulo supra locum secandum amplexus, saphenam ad tibiam apprimat, eamque caute ob periostium lanceola aut scalpello incurvo aperiat. Post sanguinem missum, vulnus deligatur ligamine, a similitudine *stapes* dicto, utpote quod omnibus venis, infra aut supra pedis flexum sectis, convenit, dummodo plures obvolutiones orbiculares trans vulnus fiant.

§. LXXI.

Venæ sectio infra malleolum internum & in latere tarsi, apprehenso altera manu pedis extremo, optime fit lanceola sive phlebotomo novo, quo-

(*d*) Balneum optime sic conficitur. Solio, aqua tepida repleto, pedes immittuntur. Brevi tempore post caute & sensim inter continuam aquæ agitationem affunditur propter labrum solii tantum aquæ ferventis, quantum ferri potest. Aqua in solio rursus tepefacta, iterum fervens affunditur & sic porro. Tali in balneo multo major caloris gradus perferri potest, quam in alio.

Landesbibliothek Oldenburg

quorum acies ita dirigitur, ut verſus hallucem ſpectet, ne tendo tibialis antici muſculi ea ſaucietur.

§. LXXII.

Reliquas venas in dorſo pedis, excepto arcu ſaphenæ, qui plerumque vacillando fallax eſt, incidimus ſcapello, aut lanceola, grano hordei ſimili; ſed eadem cautione, ne arteria tendove tangatur.

§. LXIII.

Hæc hactenus dicta ſunt de venæ ſectione, cum omnia bene & feliciter eveniant. Si quando vero illa haud quaquam proſpere ſuccedat, non ideo oportet chirurgum animo conſternari, ſed intrepidum eſſe, & vitium, quantum fieri poteſt, diſſimulare, ne ægro terrorem injiciat, & omnia agere, ac ſi ita fieri debeant.

§. LXXIV.

Unum ex his vitiis, quod plerumque hic accidit, eſt venæ ſectio, ut Galli dicunt, alba i. e. non cruenta, dum ferramentum venam non attigit. Huic malo facile medemur, & quidem repetitione ſectionis magis perpendicularis in eodem vulnere, niſi arteria aut nervus tendove prope adſint, quo in caſu ſatius eſt alio loco, eoque tutiore venam ferire.

§. LXXV.

Alter caſus eſt, quando fluxus ſanguinis poſt venam probe ſectam inopinato interrumpitur. Hic in primis videndum eſt, vinculumne, nimis arcte conſtrictum, ſanguinis flumen in arteriis cohibeat, an grumus ſanguinis orificium venæ obſtruat, an ictus ægrum ſubito pavore perculerit [*e*]. Si primum accidit, vinculum parumper laxatur: ſi alterum, vulnus ſpongia, ex aqua calida expreſſa, fricatur, vel cum hæc non ſufficiant, ſpecillo quodam coagulum eximitur. Sin autem pavor in cauſa eſt, æger tuſſire jubetur, animuſque ejus facetiis, naribus interim aceto vini aut aqua regis Hungariæ admota, redintegratur. Sanguinem etiam tardat nonnunquam adeps, qui extra labia vulneris extenſione quadam ſupereminet. Hic ſpecillo, ne obſit, a latere reprimitur, poſteaque in deligatione introrſum repellitur, quo vulneris labia exacte conjungantur. Hoc in deligatione diligenter obſervandum eſt, vulnus alioqui difficile cicatricem contrahet.

(*e*) Sanguinis fluxum pavore retardari liquido explicavit Generoſiſſimus Præſes in diſſert. de nervorum imperio p. 44. (ff.) & pag. 21. & 31.

Landesbibliothek Oldenburg

§. LXXVI.

Ubi vena utrinque perforatur, aut cutis vulnus vulneri venæ & magnitudine & ſitu non reſpondens, thrombo curoris obturatur, aut cutis, in ligatione ante ſectionem de loco mota, recedit, aut æger membrum in miſſione pronat ſupinatve, aut poſt venæ ſectionem impetuoſe movet; ſanguis facile ſubter cutem aut aponeuroſin effunditur, quem Græci ἐκχύμωμα ſive ἐκχύμωσιν appellarunt. Ea ſi inter ſanguinem mittendum oritur, vena pollice, in partibus inferioribus proxime ſupra; in capite autem infra vulnus poſito, deprimitur, cutiſque ita dirigitur, ut ejus plaga vulneri reſpondeat. Tunc, nullo ſanguine amplius ſubter cutem prorumpente, mittitur ex eo vulnere tantum, quantum ſufficit: ſin aliter, vulnus continuo claudere ſpleniis duobus vel tribus gradatis, (quorum inferius aqua traumatica Gallorum imbuitur), faſciaque ſolemni, & aliam inſuper venam aperire præſtabit. Cruor ſub cute aut tendinea expanſione parva quantitate ſuffuſus, facile diſcutitur, ut alia ſugillatio, frictionibus cum aceto, ſpiritu vini camphorato, aut cum ſpiritu ſalis ammoniaci, quo etiam totum ligamen perfundi poteſt. Quando autem ecchymoſis magna eſt, ac diſcuſſio minime ſuccedit; cruor, poſtquam vena coaluit, per vulnus ſatis magnum emittitur, ne gangræna ſuperveniat.

§. LXXVII.

Eodem fere modo ſuffuſioni ſanguinis, arteria quadam imprudenter ſauciata, quam ex inæquali & vehementi ſanguinis ſaltu cognoſcimus, obviam itur, attamen cum differentia aliqua, & majori ſollicitudine. Comprimitur nempe arteria infra vulnus, mittiturque ſanguis uſque ad animi deliquium, niſi copia ſanguinis ſuffuſi inter mittendum magis magiſque ſub cute augeatur. Quæ cum ita ſint, vulnere ſine mora deligato, ſanguis magna quantitate ex alia vena detrahatur, neceſſe eſt. Poſtea quies, diæta tenuis & antiphlogiſtica præſcribuntur. Deligatio arteriæ ſauciæ ſic fit: Globulo, ex charta bibula, manducata aut ſpiritu vini madia, contorto, vulnus arteriæ immediate obturatur, quod, ut commodius fiat, aliquis adſtantium arteriam brachialem in interiore brachii latere digitis vehementer oſſi apprimere jubetur. Globulo papyraceo ſuperilligantur ſplenia tria gradata, quorum ſuperiori nummus involutus eſt [*f*]. Tunc incipitur deligatio ſupra cubitum faſcia decem circiter ulnarum longitudine [nota (*p*) pag. 502] in unum glomerem obvoluta

(*f*) Dionis aliique nummum ſplenio involutum prius vulneri imponunt, quam reliqua: Hunc modum merito reprobat G. de la Faye, quia nummus non ſatis vulnus arteriæ, & partes vicinas potius plus juſto premit.

Landesbibliothek Oldenburg

luta, quæ ibi bis circumducta, fertur ſupra ſplenia gradata, quæ interea indice & medio digito alterius manus firmiter apprimuntur. Ita ducitur faſcia ad brachium anterius infra cubitum, ubi ſemel in orbem volvitur. Dehinc iterum ſuper ſplenia decuſſatim [i. e. ad formam numeri 8.] ad humerum reitur. Hac circumvolutione ter quaterve aut pluries iterata, ſplenium aliud anguſtum, longum trunco arteriæ brachiali illigatur eadem faſcia, quæ ſurſum in cochleam, uti aſcia fit, circumfertur [*g*]. Sic totum fere brachium juſta conſtrictione involvitur, ut ſanguinis impetus refringatur, circuituſque ejus liber maneat. Cruoris ſuffuſi diſcuſſio eodem modo ac in ecchymoſi ſuſcipitur. Addi poſſunt cataplaſmata antigangrænoſa, quæ ſimul diſcutientia ſunt. Quod ſi autem ejus copia ingens eſt, operatione aneuryſma tollitur.

§. LXXVIII.

Neque minus periculoſa eſt nervi punctio, quæ ex intolerabili dolore, qui verſus extremum artus tenditur, & ſyndrome aliorum gravium ſymptomatum, ut inflammationis vehementis, febris continuæ, convulſionis, gangrenæ & fluxus ichoris cognoſcitur [*h*]. Huic malo medemur oleo terebinthinæ ſpiritu vini mixto aut balſamo Peruviano, calide vulneri applicato, adhibitis inſuper faſcia expulſiva, ut aſcia, & cataplaſmatibus ex chamæmelo, ſemine lini, fœnu græci cum lacte coctis, repetitis ſanguinis miſſionibus, diæta antiphlogiſtica, temperantibus medicamentis, anodynis lenibus junctis. Abſint hic loci pinguia, aquoſa, acria, mellita, aëris denique liberi acceſſus, quæ omnia malum exaſperant. Conſulatur *Paræus*, cui hoc infortunium quondam accidiſſe [*i*] dicitur.

§. LXXIX.

Eadem curandi methodus adhibetur icto tendini, aut aponeuroſi, cujus læſionem ex ſitu vulneris & dolorum dijudicamus. Vulnus ergo, ſi in cute anguſtum eſt, paululum dilatatur, ut eo melius oleum terebinthinæ aut balſamus penetrare valeat. Simili ratione *Ant. Nuckius* ſuadet linamentum carptum, oleo dicto madidum, & vulneri impoſitum ſpatula ferrea ignita tamdiu comprimere, quamdiu æger id ferre potuerit [*k*]. Ubi vero malum pertinax eſt, & gangræna imminet, tendo ſive aponeuroſis, quantenus fieri poteſt, tranſverſim diſcinditur *G. de*

(*g*) Ill. Heiſteri Inſtit. chirurg. Tom III. c. 6. §. 11. Jo. Zach. Platneri Einleitung in die chirurgie Tom. I. §. 457.
(*h*) Vid. Platneri lib. cit. §. 377.
(*i*) Les Oeuvres, à Lyon 1641. fol. Lib. 4. cap. 41.
(*k*) Experim. chirurg. 27.

Landesbibliothek Oldenburg

la Faye ad Dionem pag. 681. annotavit, hominem, tendine bicipitis resecto, facultatem brachium libere movendi, viresque retinuisse. Huc pertinet etiam vulneratio perioſtii, cujus cura etiam priori fere similis est. *G. de la Faye* vulneri penicillos, mixtura ex una parte spiritus frumenti, & quatuor partibus aquæ communis imbutos, superdedit: Post dissipatam inflammationem commendat digestivum quoddam, ut unguentum matris, [cujus formula lib. cit. pag. 449. exstat] aut emplastrum Norimbergense, quo vulnus ad cicatricem perducatur. Quando autem inflammatio vehemens & dolores his medicamentis, atque cataplasmati anodyno, insuper applicato, cedere renuunt, & corruptio perioſtii imminet, auctor ipse est illud incidendi. Tunc vero aëris injuria & pinguia in deligatione maxime vitanda, nihilque nisi balsamica sunt adhibenda.

§. LXXX.

Quandoque accidit, ut vulnus sequentibus diebus recrudescat, ichoremque tenuem stillet, quod multum negotii solet facescere. Itaque inquirendum est, utrum malus corporis habitus, prout cacochymicus aut scorbuticus adsit; an vas lymphaticum læsum sit. Prius malum sanatur decoctis lignorum, ut guajaci &c. diæta vegetabili, abstinentia a carne, foris oxycrato, aut lapide medicamentoso Crollii, sero lactis soluto, aut leni aqua phagedænica stricto ligamine applicata. Læsæ autem vasi lymphaticæ *Alexander Monroo* [*l*] primo imposuit vitriolum Romanum, aut si fungus obfuit, illum lapide causticо in crustam mutavit. Deinde crustam exsiccavit alchohole, quod, spleniis exceptum, arctissimo vinculo superilligandum est. Ejusmodi etiam vulnus fungosum cauterio actuali, herba centaurea, & arcta ligatione *Cornelius van Solingen* felici eventu sanavit [*m*]. Hæc in præsentiarum scopo meo sufficiant. Alio tempore, si Deus dederit facultatem; plura de hoc argumento. Si quis interea uberiorem tractationem desideret, adeat auctores supra allegatos, in primis *Cornelium van Solingen*, *Dionem*, atque auctorem anonymum, qui *l'art de saigner* Parisiis 1686. promulgavit. Hi omnes multis aliis in hac arte potissimum excelluerunt.

(*l*) Medical Essays of Edimburgh Vol. V. Pars I. p. 395. seqq.
(*m*) Medic. chirur. Wercken Tom. IV. cap. 34. Confer. Anton. Nukii Experim. chirurg. 28. & Muys Prax. chirurg. Dec. 2. Observ. 4.

EXPLI-

Landesbibliothek Oldenburg

EXPLICATIO TABULÆ ÆNEÆ.

Icon I.

ICHnographia phlebotomi elaſtici novi, qua omnes partes naturali ſitu & magnitudine graphicæ delineatæ ſunt ſecundum ſcalam geometricam Pariſienſem, infra [XXX] adjectam.

A. B. b. ℭ. β. Theca argentea univerſa ſine operculo, a latere aperta, cujus lamina lateralis *A.* internis organis pro fundamento eſt.

B. b. ℭ. β. Ora thecæ, cujus baſis eſt *β*; quæ in longitudinem unius & dimidii pollicis patet. Dorſum *b.* pollicem altum eſt. Pars ſuperior oræ *b.* baſi *β* parallela eſt; ſic & pars antica *B*, poſticæ ſive dorſo *ℭ*. Si igitur pars ſuperior & antica oræ ulterius in longitudinem recta linea eſſent continuatæ, includerent angulum rectum, adeoque theca eſſet paralelopipedum. Verum hoc angulo reſecto, ora ab *M.* uſque fere ad *B.* abit in cornicem [*Corniche*]. Hujus in initio & in extremo partis ſuperioris oræ, ſcilicet inter *N.* & *b.* in medio oræ [ratione latitudinis] inciſa eſt rima $\frac{2}{3}$ linea lata, quæ recipit vectem verſatilem [*den Schneller* Ic. X.]. In latere utroque *b.* & *β* intus nimirum ad ſummum oræ crena ſive inciſura longa eſt acute angulata, i. e. acuto angulo ſimilis, quæ in hac icone quidem oculis non patet, ſed parum videre licet in icone III. ad aſteriſcum ſupremum; clarius autem conſpicitur in forcipe obſtetricia Anglicana. Crenæ hæ duæ recipiunt operculum, quod in illis, uti ciſta truſatilis, prorſum & retrorſum moveri poteſt.

c. c. c, c. Linea quaſi diagonalis, in lamina laterali *A.* ducta, inter quam & baſin *β.* angulus XL. graduum includitur. Secundum hanc lineam vagina argentea *D.* ponitur, nec non foramen oblongum B. Ic. III. inciditur.

D. d. Vagina argentea, quæ recipit lanceolam. Vid. Ic. IV. V. VI.

e. e. Retinacula literæ Ω. propemodum ſimilia, quæ tenent vaginam. Vid. Ic. VIII.

f. f. Cochleæ utrinque duæ, quibus retinacula thecæ affiguntur.

g. Lanceola, vaginæ inſerta, duas ſemis lineas prominens.

h. h. Elaſtrum magnum, quod cochlea *i.* thecæ conjungitur.

* * Linea, punctatim ducta, ſitum elaſtri tenſi ob oculos ponit.

k. Canalis tranſverſus, baſi afferruminatus, qui in medio inciſus eſt, prouti cor, quod vocant, in fibulis calceamentorum, ubi lingula cum corde conjungitur. Huic inciſuræ ſive hiatui inſeritur, alia

Landesbibliothek Oldenburg

pars ejuſmodi canalis, quæ ibi deficit, & furculæ afferuminata eſt [XI. *k.*]: & tunc hæ partes canalis, invicem coadaptatæ, ope clavi [*ênes Nietes*] in modum cardinis, quam commiſſuram Galli *Charniere* appellant, conjunguntur.

L. l. n. Lamina argentea vel, quæ præſtat, chalybea, quæ a ſimilitudine furcula audit. Illius cauda, ut ita dicam, quibuſdam, uti ſerra, dentibus aſpera, retinaculo, quale Galli *Gâge* & noſtrates *Krampe* nuncupant, dorſo thecæ apprimitur. Notandum hic in primis eſt, quod cauda ſerrata valde elaſtica, & in modum ferme falcis ita curvata ſit, ut extremum recurvum ſolummodo dorſum attingat, reliqua ſua parte ob elaſticitatem retinaculo reſiſtat. Nec minorem elaſticitatem oportet eſſe in cruribus furculæ *n.* quo cutem, molliter premendo, tendant. Conf. ic. XI.

M. Clavus, circa quem verſatilis vectis movetur.

N. Nodulus, extremo vectis affixus, quocum illud ipſum extremum ſimul deprimitur.

o. Prominentia vectis verſatilis, qui elaſtro magno tenſo opponitur. videſis ic. X.

p. q. Lamina chalybea, elaſtica, tenuis, ut littera S flexa, quæ ad *q* vecti verſatili clavo affixa eſt, & extremitate ſua vaginæ ad *D.* inſiſtit. Illa vectem, nodulo *N.* depreſſum, in ſitum ſuum ordinarium reſtituit.

1. 2. Arcus circuli, ex centro 3 ductus, qui oſtendit, lanceolam eo altius vulnus inferre, quo magis directio ejus ad perpendiculum demiſſione furculæ inclinetur [Ic. III.]. Mirum forſan nonnullis videtur, quod centrum ponam ad 3. & non in angulo, ubi linea *B* & *β* ſe contingunt: ſed ſciant, velim, quod dimiſſa furcula, angulus hic cuti imprimi queat, ut centrum 3 ſuperficiei cutis æquale ſit, vel, quod planius dictum eſt, ut centrum 3 & reliqua cutis ſuperficies in eadem linea poſita ſint.

I I.

Graphis, quæ oſtendit latitudinem oræ & altitudinem dorſi thecæ.

Icon I I I.

Idem novum phlebotomum a latere altero oblique depictum.

A. Lamina lateralis [Ic. I. *A.*].

B. Foramen oblongum juxta directionem lineæ *c* iconis I. inciſum, quod amplitudine lineam & longitudine tres ſemis lineas æquat, in quo & cochlea ſequens ſurſum ac deorſum movetur.

C. Cochlea foramini [Ic. V. *I.*] vaginæ intorta, cujus beneficio lanceola

ceola in vàgina firmiter tenetur. Ea retracta phlebotomum simul tenditur.

E. Rima, per quam lanceola protruditur.

* Mucro lanceolæ, qui in statu tensionis semilineam circiter prominet.

i. Extremum cochleæ iconis I. *i.*

k. Clavus in furculæ commissura (Ic. I. *k.*)

L. Furcula spatio aliquot dentium demissa, ut ferrum magis ad perpendiculum, adeoque altius in venam impellatur..

N. Nodulus, quo vectis versatilis deprimitur (Ic. I. *N.*)

1. 2. 3. 4. Extrema cochlearum iconis I. *f. f.*

* * Operculum thecæ, quod minus quidem hic oculis patet: nihilo tamen secius ad asteriscum supremum intueri licet, quomodo operculum à crenis acute angulatis recipitur.

Icon IV.

Vagina à latere superiori oblique depicta.

d. Articulus (*der Absatz*), qui contra retinaculum superius iconis I. *e.* impingit, eoque ipso impedit, quo minus vagina ulterius propellatur.

E. Extremum vaginæ ita elimatum, ut aptum sit replendo angulum ad *g.* in icone I, ne sanguis, ex vena profiliens, thecam impleat.

Icon V.

Vagina à latere inferiori sive aversо.

I. Foramen, in quo cochlea cava receptrix (*Schrauben-Mutter*) incisa est, quæ in se recipit cochleam Ic. III. *C.*

Icon VI.

Intersectio transversa (*Profil.*) vaginæ, ex qua altitudo, latitudo, & crassities laterum dispalescit.

a. Inferius latus vaginæ, quod reliquis crassius est; quo fit, ut cochlea receptrix (V. *I*) commodius à fabro incidi queat, nec non lanceola ex medio oræ ad *E.* iconis III. promineat.

Icon VII.

Lanceola, cujus mucro non accurate respondet lineæ *c.* iconis I, sed paululum demissus, $\frac{2}{3}$ lineæ ab illa recedit, quo vulnus venæ, vulneri cutis respondens, infligat.

1. Acies

1. Acies lateralis anterior acutiſſima, quæ cutem venamque prope ad perpendiculum incidit.
2. Acies poſterior ſive inferior.

Icon VIII.

Retinaculum, laminæ peſſuli receptrici, quam Galli *Gâge* & noſtrates *Krampe* vocant, propemodum conſimile (Ic. I. *e.*)
t. t. Baſes ſ. pedes, qui cochleis *f. f.* ic. I. firmantur.

Icon IX.

Elaſtrum magnum (Ic. I. *h. h.*), cujus crus anticum longitudine poſticum ſuperat. Latitudo ejus ſeſquilineam æquat.

Icon X.

Vectis verſatilis heterodromus, qualem Galli *Détente*, & noſtrates *Schneller* in ſclopetis appellant.
M. Foramen, per quod tranſit clavus (*das Niet*).
N. Nodulus in extremo cruris antici, qui in ſolvendo inſtrumento (*im los ſchnellen*) deprimitur.
o. Prominentia cruris poſtici, quæ elaſtri crus anticum in ſtatu tenſionis (*aufgeſpannet*) retinet (Ic. I. *. *.)
p. Elaſtrum tenue chalybeum.
q. Clavus, quo id vecti affixum hæret.

Icon XI.

Furcula, quæ thecæ ſubditur (Ic. I. *L.*)
k. Portio quædam canalis tranſverſi, quæ inciſuræ canalis ejuſmodi iconis I. *k.* inſeritur, & clavo cum illo conjungitur.
l. Cauda furculæ ſerrata, incurva, elaſtica. Conf. explic. ic. I. *l.*
n. n. Crura elaſtica, quæ ita curvata ſint, prout in icone I. *n.* videre eſt.

Icon XII.

Phlebotomum elaſticum (*ein Schnepper*), quo plerique noſtrates chirurgi utuntur.
A. Theca orichalcea ſive argentea aperta, quo interior fabrica oculis pateat.
B. b. Ferrum ſive *Fliete*, in extremo prominentiam tenuem, politam, utrim-

Landesbibliothek Oldenburg

utrinque acutam lato mucrone *b*, habens, quod ſecuris ſpeciem propemodum refert.

C. Cochlea, qua ferrum cum theca conjungitur, ita tamen, ut circa eam tamquam cardinem moveri queat.

D. Elaſtrum magnum validum, quod ferrum depellit.

F. Elaſtrum tenue parvum, quod, elaſtro magno tenſo, ferrum attollit & ſublatum tenet, ne pondere proprio delabatur.

**.* Crena acute angulata (*eine Faſe*). Talis quoque eſt in latere oppoſito, in qua utraque operculum XVI. prorſum & retrorſum trudi poteſt. (Vid. Explic. ic. I. *B.* in fine).

Icon XIII.

Idem phlebotomum inverſum.

A. Theca, quæ circiter ad dimidium aut paulo amplius oblongam, reliqua vero parte ſemicircularem formam habet.

b. Ferri phlebotomi prominentia, qua vena pertunditur.

C. Cochleæ iconis XII. *C.* extremum prominens.

E. Extremum elaſtri magni iconis XII. *D*, ad latus dextrum, ubi vectis verſatilis eſt, recurvum, utpote quod uncum rectum ſive normam repræſentat. Quando elaſtrum tendendum eſt, index unco ſupponitur, pollex dorſo thecæ imponitur, & uncum attrahendo, elaſtrum tenditur.

G. Duæ validæ laminulæ ſibi parallelæ, ad angulum rectum laminæ lateralı thecæ *A* haud procul à limbo ſuperiori infixæ, quæ intercipiunt vectem verſatilem heterodromum, (*den Schneller*).

g. Clavus, quo vectis hypomochlion fulcitur.

H. Vectis verſatilis extremum, ubi vis deprimens applicatur.

Icon XIV.

Graphis illius vectis à latere.

G. Medium vectis, utrinque elimàtum ac perforàtum, quod laminulis iconis XIII. *G.* committitur, quibuſcum conſtituit commiſſuram, quam Galli *Charniere* vocare ſolent.

b. Extremum poſticum, cui lamina quædam elaſtica *i.* affixa eſt.

K. Extremum anticum ſive caput vectis.

l. Clavulus cuneiformis, capiti vecti infixus, qui lineam plus minuſve prominet.

Icon XV.

Clavulus cuneiformis ſolus, oblique adùmbratus.

Icon XVI.

Operculum thecæ iconis XII. quod crenis, acute angulatis * intruditur.

Icon XVII.

Ejuſmodi phlebotomum non nihil correctum.

r. s. v. u. Lamina mobilis adunca, cui medio foramen oblongum *t.* ineſt, cujus benficio lamina ſub capitello cochleæ *s.* ſurſum deorſumve moveri poteſt.

r. Cochlea, qua laminæ aduncæ extremum operculo thecæ affigitur, ita, ut lamina circa eam tanquam cardinem moveri queat.

s. Cochlea altera, qua lamina pro rata altitudine venæ ſublata aut depreſſa, torquendo firmatur (*feſt geſchraubt wird*).

v. Collum unci, quod ad ferrum phlebotomum inclinatum eſt (Ic. XIX. *v.*)

u. Uncus ipſe, qui proxime ferramento accedit, ac venæ imponitur.

x. Oſtendit, quam alte phlebotomum vulnerat. Tantum enim de phlebotomo in carnem impellitur, quantum unco antecedit. Quo magis ergo uncus retrahitur, eo altius ferrum vulnus infligit.

Icon XVIII.

Lamina adunca ſola.

r. Foramen, per quod tranſit cochlea *r.* iconis præcedentis.

t. Foramen oblongum.

v. & *u.* vid. in ic. XVII.

Icon XIX.

Laminæ iſtius dorſum, in quo curvatura colli clare perſpicitur.

Icon XX.

Uncus ejuſdem laminæ emendatus.

v. & *u.* vid. Ic. XVII.

y. Extremum unci, prout littera *S.* inflexum. Iſtud ad latus venæ poſitum, non modo eam non deprimit, ſed vacillanti quoque venæ adminiculo eſt.

Icon XXI.

Plebotomum aliud correctum.

A Theca oblonga, & quadrangularis.

a. Latus anticum, in cujus foramine longo ferrum ſurſum deorſumque movetur. Conf. fig. 33.

B. Fer-

Landesbibliothek Oldenburg

B. Ferrum, canali ſingulari (Ic. XXII.) inſertum atque firmatum.
C. Canalis, qui ita cum theca conjunctus eſt, ut tanquam rota circa axin moveri poſſit. Vid. ic. XXII. & XXIV. *I.* ut & XXVI. *I.* quæ omnia ex ſequentibus pateſcunt.
D. Elaſtrum magnum, & quidem jam tenſum, quod laxatum figuram litteræ V. habet.
d. Locus, ubi elaſtrum clavo, qui hic obtectus eſt, thecæ jungitur. Vide ſis ic. XXIV. *d.*
E. Extremum elaſtri recurvum (Vid. explic. ic. XIII. *E.*)
F. Elaſtrum tenue, quale in ic. XII. *F*, ſed inverſa directione.
L. n. n. Furcula, ope cochleæ *m.* thecæ annexa.
n. n. Crura ejus paululum divaricata, & ſurſum reflexa, quibus vena tenetur.
N. Cochlea longa, quæ per oram ſuperiorem & inferiorem thecæ prope à latere tranſit, cujus ope furcula deorſum agitur.
* Crena acute angulata. Conf. explic. ic. I. *B.* in fine.

Icon XXII.

Canalis ille ſingularis iconis XXI. *C.* intus foramine quadrangulari ſecundum longitudinem pervius.
I. Axiculus cavus, canali fere medio ad angulum rectum appoſitus, cui cochlea cava receptrix (*eine Schrauben-Mutter*) ineſt.

Icon XXIII.

Lamina antica ic. XXI. *a.* graphice delineata, in qua foramen propius ad latus alterum inciſum eſt, ut in latere altero *a* cochlea longa *N.* iconis XXI. ſpatium ſuperſit.

Icon XXIV.

Phlebotomum elaſticum, quod jam in icone XXI. vidimus, inverſum.
A. Thecæ lamina lateralis.
B. Ferrum, laxato elaſtro, demiſſum. Quantum de acie infra furculam linea horizontali conſpicimus, tantum cuti venæque impellitur.
C. Foramen longum, in quo elaſtri extremitas *E.* ſurſum deorſumque movetur.
d. Clavus retuſus (*umgenietet*) elaſtri magni icon XXI. *D. d.*
I. Axiculus canalis ic. XXI. *C.* & ic. XXII. *I.* in hac lamina laterali thecæ, non nihil retuſus (*vernietet, umgeſchlagen*) ita tamen, ut libere torqueri poſſit.
L. m. n. Vid. ic. XXI.
Vectis verſatilis ſe habet, ut in icone XIII.

Icon XXV.

Graphis ſive ichnographia furculæ iconis XXI.

m. Foramen pro cochlea, quæ illam cum theca conjungit.
n. n. Crura paululum divaricata.
o. Pars tranſverſa furculæ, qua crura conjunguntur.
* Foramen, cui inſiſtit cochleæ longæ extremum.

Icon XXVI.

Phlebotomum ejuſmodi, quod, quantum fieri potuit, emendavimus.

A. Theca, quæ longitudine ſeſqui pollicem & latitudine 9. lineas æquat.
d. Clavus elaſtri magni retuſus, qualis in icone XXIV, *d.*
E. Uncus elaſtri magni. Vid. XIII. *E.*
G. Laminulæ validæ ſibi parallelæ (vid. icon. XIII. *G*,) quæ à baſi duas treſve & ab ora antica quatuor lineas diſtant.
H. h. K. Vectis verſatilis, qui XI. lineas circiter longus eſt.
h. Hic loci tenue elaſtrum *i* vecti ſuffixum eſt.
K. Caput vectis, utpote quod ita fabricandum curavimus, ut laminulæ illæ *G.* eo magis ad baſin demitti poſſent.
i. Elaſtrum tenue vecti ad *h.* ſuffixum, quod ad *i.* thecæ obſiſtit.
I. Cochlea, quæ intorquetur in axiculum cavum, qualis conſpicitur in ic. XXIV. *I.* & XXII. *I*, quaque ferrum *B.* in canali *C.* iconis XXI. obfirmatur.
L. Furcula, cujus crura ad formam litteræ S. recurva, lineam diſtant.
n. n. Baſes ſive plantæ crurum proſtantes.

Icon XXVII.

Furcula illa ſola.

n. Plantæ crurum, quæ lineam fere infra laminam *L.* ſive corpus furculæ eminent, prout ex graphide 27. apparet.
** Crurum extrema, ad formam ſemicirculi exſecta adeo, ne cutem ſuper venam tendant, neque venam deprimendo obſcurent

27.

Graphis furculæ præcedentis à latere, ex qua crurum curvatura pateſcit.

Icon XXVIII.

Phlebotomum ſive baliſterium, ut vocatur, *Danielis Majoris* „ cujus beneficio quis citra requiſitum chirurgi auxilium ſibi ipſi l. alteri facillimo negotio & minori periculo, (ſi credere fas eſt), venam ſecare poſſit.

A. „ Nor-

A. „ Normam ex argento, ferro l. ære factam denotat; in alterutro „ extremo aliquousque sinuatam pro trajectu ferramenti subtilis, acu- „ ti, moram ibidem invenientis, ne, facta disploſione, altius, quam „ par est, per cutem eat;

B. „ Vero pinnam chalybeam tensilem denotat, chorda *F.* unco litteræ *C.* „ firmatam, & dissecandam forcipe, ubi tempus sit, ut ferramentum „ venam tundat".

E. Incisura, quam sinum vocat, venæ imponenda, per quam ferro vena percutitur.

D. Ferramentum subtile acutum, pinnæ sive elastro infixum.

G. Annulus pinnæ inhærens, cui chorda sive filum innectitur. Confer. §. 23.

Icon XXIX.

Scalpellum incurvum, plicatile, ad venam secandam adaptatum.

A. Lamina, acuendo sinuata (*hohl aufgeschliffen*) uti novacula.

a. Acumen latum; subrotundum & pertenue.

B. Cauda sive lenticula, ut vocant Galli, laminæ, quæ retinet laminam in manubrio erectam.

C. Manubrium ex duobus laminis de chelonio constructum.

D. Clavi, in parvis umbonibus (i. e. laminulis rotundis, cavis) retusi, quibus laminæ manubrii inter se, una cum lamina ferri conjunguntur.

Icon XXX.

Scala geometrica secundum mensuram Parisiensem adornata, juxta quam nova instrumenta fabrefacta sunt.

F I N I S.

Landesbibliothek Oldenburg



DIETE.

Landesbibliothek Oldenburg

CLV.

DIETERICI

SPROEGEL,

HALBERSTADIENSIS.

OBSERVATIONES

QUÆDAM SELECTIORES.

Helmstad. Octobr. 1720.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

§. I.

TOtius machinæ humanæ effectus producuntur ab entibus eandem conſtituentibus & communicantibus externis, utriſque leges æternas naturæ inditas continentibus, ex quibus actiones & paſſiones conſequantur. Cum vero totius globi terraquei objecta obſervabilia ſint vel ſolida, vel fluida, omnes quoque obſervabiles niſus & motus corporis noſtri dependent à legibus æternis ſolidorum & fluidorum, continente ſolido, contento fluidiformi, illo movente, hoc moto. Si jam leges naturales legitime actu & potentia exercentur, producitur perfecti corporis, in circumſtantiis à Directore univerſi intentatis, poſiti effectus, ſeu ſanitas, finis noſtri Creatoris. Uti jam præcipuum vitæ & ſanitatis momentum in circulatione bene procedente verſatur; ſic etiam ex hujus depravatione origo mortis & morborum deducenda venit. Nihil in corpore proprie quietum eſt, ſingula aut movent aut moventur, pro quorumlibet tamen modulo.

§. II.

Hinc plurimorum morborum & in ſpecie omnis generis tumorum fœcundiſſima mater ſunt obſtructiones; culpa vel in vias cum ſuo motore, vel in contenta redundante: quando ex mobili fit στάσιμον, ut motu progreſſivo vitiato, itus & reditus liber impediatur, & accumulatio fiat partialis liquidorum. Obſtructio vero non ſemper intelligenda totalis ſed etiam partialis; nec eſſentialis æque quam per conſenſum quoque; unde & vitia inde evenientia obſtructionis nomine ſæpe venire ſolent medicis: nec in vaſis majoribus ſanguiferis, ſed in vaſculis minimis capillamentoſis ſeu poris, ut & aliis ductibus excretoriis eveniens; eaque poſitiva & privativa. Id quod per mechanicam ſatis eſt perſpicuum.

§. III.

Eſt unicuique parti ſua dimenſio ratione ponderis menſuræ & proportionis, quæ ſi ultra datas lineas p. n. inæqualiter augeatur, tumere dicuntur partes. Ubicunque proinde obſtructio, ibi humorum appellentium collectio, conſequenter tumor producitur: major vel minor; externus vel internus; calidus inflammatorius, vel frigidus ſeroſus; dolorificus vel indolens: ut alias diſtinctiones taceam. Maxima tumorum latitudo eſt, non ſolum, quod pro diverſitate ſubjecti & materiæ ſubſiſtentis varia conditione, varient: ſed etiam ratione morbi decurſus & curationis diverſimode tractandi veniant. Sic & non omnes tumores ut abſolute tales curandi ſunt; quod herniarum proprie dictarum aliorumque exemplo clarum fit.

§. IV.

Quandocunque jam ſanguis, quacunque de cauſa, in exiliſſimis vaſorum ramificationibus progreſſum debitum amittit & φάσει hæret; ſubſequitur neceſſario ob continuum humorum appulſum ſanguinis congeſtio, ſeu partis major vel minor inflammatio. Στάσις hæc quo ſincerior, eo exquiſitior contingit inflammatio, & quo magis à ſinceriori ſanguinis temperie abit congeſtio, eo plus inflammationis genium temerat, ejuſque decurſum & ſymptomata variat.

§. X.

Teſtantur de præſentia, nec non gradu inflammationis, magis vel minus exquiſito, calor & æſtus certo ſpatio & loco definitus; ſenſus ardoris, & dolor lancinans plerumque pulſatili junctus; rubor flammeus, accumulatum ſanguinem notans; & ex fibrillis & vaſculis diſtentis tumor. Quæ omnia in partibus externis conſpicua ſenſus feriunt, in internis minus, artificioſe magis eruenda, cujuſque enim partis actio læſa morbum determinat.

§. VI.

Si mitiora hæc ratione gradus & peripheriæ exiſtant, leviorem quoque remoram fluidis poſitam eſſe arguunt. Unde non raro ſpontaneo naturæ robore, vel uno dato diaphoretico, omnia decreſcunt, & paucis diebus plenarie reſolutione diſcuſſoria obtenta evaneſcunt: reſtituto libero maſſæ ſanguineæ circulo.

§. VII.

Sin vero vehementius obſtaculum exiſtat, graviorem ſanguinis φάσιν & collectionem partialiter ſubſiſtentem producens, ſymptomata omnia increſcant, & dolor pulſatorius exaſperetur, etſi terminatio diſcuſſoria obtineri haud poſſit, inflammatio ſequitur apoſtematodes, in abſceſſum tendens ordinarie. Ubicumque enim ſanguis extra ſua vaſa majora & progreſſum detentus, localiter ſubſiſtit, ex propria mixti conſtitutione nihil aliud ſimpliciter producitur; quam ut primo coaguletur, & ad motum iners reddatur; deinde ſucceſſive in putredinem ruat; unde ſphacelus preſſo pede ſequens deſtruit partem. Niſi tertio, concurrente calore nativo & vegeto vividi ſanguinis motu circulatorio, partem φάσει abſeſſam circum circa fovente & penetrante, in pus ſpiſſius vel liquidius, pro miſcelæ ſtagnantis humoris proportione, tranſmutetur. Appulſus etenim & impulſus vividi ſanguinis facit pus. Reſolutio putredinoſa deficientis calo-

caloris vitalis effectus, pus vero concurrentis & foventis ejusdem productum est. Hinc contraria sibi sunt νέκρωσις & pus.

§. VIII.

Præmissis jam iis, quæ ad theoriam inflammationis suppuratoriæ spectant, ulterius de curandi methodo quædam notabo. Prima & generalis inflammationis curandæ est intentio; ut sanguinis φάσις expediatur, & in motum ordinatum redigatur, quod, cum in inflammationibus suppuratoriis discussione rarius obtineri possit; non tam suppurationis promotione, & abscessus maturatione, quam ejusdem matura curatione, ne partes fluidæ & solidæ intimius destruantur, sed pars in integrum, quo citius eo melius restituatur, intentandum unice.

§. IX.

Medico tuta brevis & jucunda curatio ubique cordi est habenda, semper observanda. Suscipit sæpe natura sanguinis organismo coacta, motus tales & secessiones, non tamen semper, operi bene cœpto ulterius perficiendo par est, nec sola sibi sufficit, sed & hic ut in aliis morbis, a docta arte exposcit suppetias. Quibus destituta, vel activa, ob partes continentes obstantes; vel passiva, ob defectum roboris vitalis succumbens; morbos producit sæpissime incurabiles, & mortem ipsam agnoscit victorem.

§. X.

Ultra vulgus chirurgorum sapere decet rationalem medicum, & pari modo, in inflammationibus suppurantibus & ipsis abscessibus non simpliciter suppuratio promovenda, qua scilicet abscessus amplificantur, & inflammationes fomentantur, nec vulgaria abscessuum signa exspectanda veniunt: sed inflammationes suppurantes, & abscessus crudi dicti, cum patentes tum latentes & accessum admittentes, profunda & satis ampla incisione quo maturius eo melius aperiri possunt: ut humoribus stagnantibus detur exitus, ne fibris in liquamen resolutis, nimium partes patiantur detrimentum, & debitus restituatur naturæ circulus. Symptoma inflammationem concomitans præcipuum est dolorifica perceptio febrim & convulsiones aliaque non raro producens, eademque simul per dicta tolluntur; quæ medici internis curare frustra intendunt, causa quippe si non aucta, tamen restante; unde & analogia edocti præsente febri & dolore definito punctorio maxime, inflammationem seu abscessum latere feliciter arguunt. Non raro enim citius, quam expectata maturatio, apostematis elevatio & prominentia se prodant; pus conten-

tum acre redditum, activum & auctum, vasa proxima comprimit, fibrillas in spasmos & crispaturas citat; eoque modo σάσιν majorem imo gravissimam gangrænosam sæpe efficit, nerveas fibrillas vellicando & irritando, convulsiones producit; nec non interiora versus proserpendo sub musculis & membranis partis destructionem, cavitates, cariem, fistulas immedicabiles, mortemque ipsam causatur.

§. XI.

Ex dictis satis patere poterit, per maturam abscessuum incisionem, plurimis anteverti malis alias subsecuturis, simulque apparet, vasorum nondum ruptorum statum inflammati loci, esse quidem violentum & p. n. haud tamen incurabilem; ut in vulgari medicorum theoria, inflammatum locum, in pure macerando, totum destruendum, quasi supponitur. Sublata enim resistentia actus congestorius tollitur & partes relaxatæ subsident naturaliter, adeoque suppuratio non dependet ab inflammatione ut inflammatione, sed ab læsa unitate vasculorum, quæ si præcaveatur, affectarum partium non fit suppuratio, nisi quoad vulnus. Unde & medici rectius mederi his, & ægrum morbi sævitiei alias relictum, defendere discunt, ad alia pro re nata applicanda. Nec non tutam existere, & brevem restituendi methodum liquet, ubique in medico summe laudabilem. Jucundum illud forte objici posset, equidem cuique perito notum est, illud in chirurgia, non ita accurate desiderari posse, cum hæc indicatio a tuto & cito in morbis igne & ferro tentandis, merito dirigatur. Præter hæc dubium sane est, utrum ne, jucundius omnibus dicendum sit, si brevius æger a malo liberatur, cum cito & tuto id fiat; adeoque omnes tres tam nobiles medici partes per hunc processum obtineri, demonstratur.

§. XII.

Ulterius a plerisque chirurgiæ scriptoribus præscriptum legitur, contrarium sane sententiæ fulmen. Omnem scilicet præmaturam inflammationum suppurantium apertionem summopere fugiendam; totumque puris oceanum & majorem partis destructionem exspectandam esse; citius enim & maturius quam abscessus maturati manifestissima signa appareant, ita ut oculis erupturum pus usurpari possit, factam apertionem abscessus, sequi inflammationem majorem, imo gravissimam; nec non membrorum immobilitatem; & fistulas inde pessimas produci. Pessima certe phænomena! quæ juvenem medicum, facile a recta & optima procedendi methodo arcere valerent. Sed nullo hæc fundamento nituntur, irriti, potius speculationibus & observationis incertitudine fulcitas fallacia commissa, causæ non ut causæ, sicque effectu accidentali vel medentis cul-

culpa, vel mali rebellioris conditione, pro ordinario accepto. Idque tanto probabilius affero, quod hactenus immaturos abſceſſus incidere quaſi religioſum fuerit, unde per ſe patet, experientiam comparari haud potuiſſe, ut enim ignoti nulla cupido, ſic & intentati nulla datur cognitio & experientia.

§. XIII.

Rationi experientiæ junctæ id minime contrariatur. Idem vero omnes indicationes, & circumſtantiæ ex ſupra repetendis ſuadent, quod & variis obſervationibus confirmatum habeo. Potiſſima inter alia movebitur objectio, quod videlicet ex partis jam dum læſæ inciſione, major ſubſecutura ſit inflammatio, imo ut imperitis videtur gangrænoſa: cujus gratia non negligenda diſtinctio, inter inciſionem in parte ſana, & parte jam dum obſtructione & tenſione affecta factam. Ibi quædam contingit φάσις; hic vero, cum ſanguis cum moleculis inflammantibus in minutiſſimis vaſculis ſubſiſtens, eaſque diſtendens educatur, & pus tendens circumjectos poros comprimens & vellicans, ſicque obſtructionem & convulſiones cauſans eliminetur, laxioribus & pacatioribus omnibus redditis minime increſcere inflammationem ſed imminui, cauſis quippe moderatis, eſt neceſſe. Fiſtulas quod attinet, præmatura inciſione produci haud eſt probabile, cum eadem optima fiſtularum præſervatio ſit & curatio. Immobilitas denique membrorum, inflammationem ſuppuratam facilius ſequitur ſibi relictam, quam recta Ἐγχειρεσει apertam: cum eadem h. l. vel a muſculi deſtructione vel tendinis corruptione, ob pus concluſum partes erodens, dependeat; muſculus vero ſuppuratione deſtructus non poteſt movere, diſcontinuatus vero poteſt.

§. XIV.

Expoſitis jam rationibus alterum medicinæ fulcrum experientiam jungere eſt animus, obſervationibus crudorum abſceſſuum apertionem plurima bona non mala attuliſſe, demonſtraturus. Ita inflammationes, ſi in locis nervoſis & membranoſis formentur, non raro efferas ſatis convulſiones producunt; & pariter ac in medicina in morbis inflammatoriis, defixis in parte acrioribus humoribus diſtendentibus fibrillas, ſæpe lethales eveniunt; quod exemplo phrenitis, paraphrenitis, nephritis, & variolarum notum eſt.

§. XV.

Talem inflammationem ſuppurantem cervicis, profundam & amplam in puero ſex annorum cum convulſionibus vehementioribus, calore con-

tinuo febrili maximo conjuncto, valde ægrum affligente; non exſpectabili maturatione, mediante inciſione feliciter curavi, abſque ullis relictis ſymptomatibus. Apertione vero facta ſanguis & paucula materia ſequebatur, convulſiones vero & febris abſque aliis medicamentis ceſſabant. Similem caſum novi in virgine generoſa adulta, convulſiones inde uterinas patiente, quæ convulſionibus perſiſtentibus & increſcentibus, per inciſionem curata eſt feliciſſime; remittente inflammatione febri & convulſionibus. Exinde inflammationes & convulſiones non tam intendi per maturam inciſionem ſed longe optime & breviſſime ſedari manifeſto evincitur. Referri etiam hic poteſt paronychia, maturis inciſionibus curata, de quibus inferius plura.

§. XVI.

Eadem tempeſtivæ aperturæ utilitas & neceſſitas eſt in inflammationibus & abſceſſibus maxime profundioribus ſeu occultis vulgo dictis; qui non ut alii oculis patent, nec ordinaria inflammationis & abſceſſus ſigna habent ſenſibilia, ſed judicio exquiſito medici, ex prægreſſis, ut dolore, febri præſente &c. deprehenduntur & illuſtrantur, artificioſe magis eruenda. Hujus generis inflammationem in abſceſſum abeuntem, notavi in nauta pletorico, ſub muſculis brachii latentem, cum febre magna & ardore, nullis ordinariis puris ſignis præſentibus, excepta aliqua ad extra inflammatione. Quare a medico & chirurgis pus adeſſe negabatur, illo febrim ſymptomaticam tollere, his fomentationibus inflammationem diſcutere laborantibus. Perpenſis hinc accuratius circumſtantiis, pars inciſione profunda aperiebatur, qua peracta, pus erumpebat & ſanguis copioſus; & febris cum inflammatione & dolore optime cedebat, antea incurabilis, æger vero brevi reſtituebatur a vulnere.

§. XVII.

Vir 50. ann. nobilis laborabat febricula continuante, & querebatur de dolore pectoris lateris dextri obtuſo, nullo tumore, rubore &c. niſi colore incarnato conſpicuo: partibus his æqualiter abſque fluctuatione extenſis, abſceſſus a medicis negatus eſt. Accuratius vero inquirenti, durities unius loci ſiſtebatur; qua inciſione aperta, materia cruenta purulenta mixta erupit, cum ſingulari adſtantium ſtupore. Poſtea vero cavitatibus ibidem quibuſdam deprehenſis & apertis copioſius pus ſucceſſit, & æger decenter obſervatus feliciter a malo curatus eſt: apoſtema hoc latebat ſub muſculo pectorali, & intercoſtalibus, pleuræ motu conſpicuo. Quid quæſo & quanta tanti abſceſſus maturatio fuiſſet exſpectanda? quis ne intelligit? citius pus acre interiora verſus agendo pleuram eroſiſſe, ſicque cum ſummo vitæ periculo ſe in thoracis cavitatem

mento;

exoneraſſe, & ſi non vitæ, ſanitatis tamen ſummo detrimento; tantum vero utilitatis inciſio præſtare poteſt. Eundem caſum fere occultiorem in latere ſiniſtro pectoris, apertum & bene curatum obſervavi.

§. XVIII.

Caſum haud diſſimilem, B. meus Parens M. D. haud ita pridem communicavit; ubi morbus vagus in inflammationem ſuppurantem ſolutus eſt. Incepit dolore vago pectoris & lumborum, poſtea tandem ſiniſtrum lumborum latus dolore nephritico ſimili notavit cum aliquo rubore. Conſilio medici dolenti loco cataplaſma applicatum eſt, dolore increſcente poſt paucos dies inciſione muſculos penetrante eſt apertus, magna prodeunte puris copia. Sedem apoſtematis aliam haud aſſignare licet, quam inter muſculos & ipſum peritonæum. Ex quibus iterum incidendi dignitas, legitima directa, elucet; maturatione enim exſpectata, certo certius pure in cavitatem abdominis effuſo æger occubuiſſet.

§. XIX.

Inciſionis rite applicatæ exemplis viſis: neglectæ jam fructus exponam. Ruſticus poſt gravem morbum, abſceſſum ſub muſculis glutæis, per annum neglectum, pro arthritico dolore habitum, gerebat. Ex quo, pure non ad extra ob muſculorum, & membranarum reſiſtentiam determinato, ſed ad interiora progrediendo, fiſtulam ani reportaverat. Operatione facta, plurimas totius lumbi latebras calloſas, ut & cariem oſſis iſchii & fœmoris profundam oculis ſiſtebat: obſervato rite vulnere, fiſtula ani facile curabatur. Reliquæ vero latebræ ob ſubjectam cariem, enormius oſſibus inſculptam minuſque ſeparabilem, coaleſcere recuſabant; quare viribus & victu neceſſario deficientibus, dimidio anno præterlapſo ſuccubuit. Miles ex abſceſſu pectoris neglecto minus aperto, fiſtulam reportaverat cum carie coſtæ ad pleuram uſque. Curabatur tamen poſt octo menſes a malo pertinaciſſimo integerrime, poſt aliquot perpeſſas inciſiones: integumenta enim cum muſculis tota erant calloſa, unde rurſus variæ cavitates ortæ fuerant.

§. XX.

Simile exemplum relatum habeo a Dn. Eggebeck operatore Hamburgenſi celeberrimo; ubi ex abſceſſu femoris neglecto, totum femur fiſtuloſis ductibus affectum, & totum fere os circumcirca carie notatum deprehendit. Curationem tamen tanti mali per plurimas femoris ad os uſque factas inciſiones, feliciſſime obtinuit, pro ſolita ejus in medendo dexteritate: ſpontaneo naturæ robore & motu circulatorio, carie ſecedente, vulnera ſolis linteis carptis replendo. Hæc probant natu-

Landesbibliothek Oldenburg

turæ vigore præsente, & mali causa ablata, facilius obtineri cariei separationem, illo vero deficiente ægerrime, nec per mille etiam sine ratione sæpe applicata medicamenta, ab arte promoveri. Caustica vero ad cariem tollendam & inde producta adhibere; plane incongruum judico.

§. XXI.

Jam dicta specialius paulo, bubonibus tum venereis tum pestilentialibus illustrabo. In utrisque præsens est inflammatio, causaliter obstructio: quarum alter ab humoribus fermento venereo infectis, in glandulis subsistentibus causatur; alter a naturæ virtute partes putridas eliminatura, producitur, glandulis ob minima vasa copiose contenta & a calidi fonte distantiam, facilius decubitum admittentibus. Uti jam resolutio discussoria, harum inflammationum nunquam exoptanda, sed omni potius modo præpedienda; ita minime suppuratio vel plenaria maturatio expectanda est, ut omnes quidem intendunt autores. Sed potiori jure bubones tam venerei, quam pestilentiales, primo inflammationis initio matura incisione aperiendi & glandulæ destruendæ veniunt; quo major in debilitata parte fiat depositio, quod idem a recta via alienum minime putandum est.

§. XXII.

In bubonum curatione non tam ipse tumor, quam materia contenta respicienda est, ne quantitate qualitate & motu suo noceat. Adeoque nec resolvendi sunt nec maturandi, utroque enim casu, venenum suum communicando, massam sanguineam inficiunt, & ex malo particulari, universale, vel gravissimum vel lethale producunt. Monent hæc in tumoribus cacochymicis merito observanda; segregata heterogenea non esse retropellenda vel discutienda, ne partibus nobilioribus labes affricetur, exitus potius conciliandus. Ex quibus liquet forsan, quare in morbis exanthematicis, alvus laxa malum, & in variolis v. g. eruptis, non sit purgandum; plerosque enim præsentibus variolis purgatos, satis cessisse, experientia loquitur. Unde & forte in variolis confluentibus, scarificationes non inepte adhiberentur. Longe itaque tutius & citius bubones sanantur per maturam incisionem, simulque plurimis metuendis malis antevertitur, & ipse aliquando subsequens scirrhus, vel fistulæ præcaventur, nullo cum periculo.

§. XXIII.

Proposita methodo nonnullos bubonibus venereis laborantes, glandulis destructis, inflammatione remittente, suppuratione optima succedente,

dente, brevi tempore feliciſſime reſtitui. Inter alia a nauta, qui bubonem dextri lateris cum inflammatione ſumma lata & profunda, abdominis & ſcroti parte ſimul occupata, durum fere ſcirrhoſum gerebat per tres menſes, conſultus: inciſionem ſuaſi, inciſione ſatis profunda ſic admiſſa, adhibitis ſimul cataplaſmatibus, ſuppuratio copioſa ſucceſſit, ſicque quinque hebdomadum ſpatio conſolidationem obtinui. Alteri gonorrhœa virulenta laboranti eademque maturius ceſſante, ſuperveniebat bubo; quo inciſione aperto, gonorrhæa ut ante procedebat, ab utriſque vero feliciter reſtituebatur. Poſt octo hebdomades altero afflictus bubone, ſimiliter per inciſionem curatus eſt. Eſt hic notabilis gonorrhœæ & bubonum conſenſus, non niſi per nervos explicandus, & forte etiam ignota adhuc vaſa, quare illa adſtringenda minime venit. Ex applicatis in ſecta hernia cauſticis, puerum vidi utriuſque lateris bubones paſſum, altero majori per inciſionem curato, altero evaneſcente; ex quibus analogiam generationis bubonum concipere licet. Ejuſmodi vero affectus inciſione matura haud curatos, plurimas malas ſequelas intuliſſe docet ratio & experientia. Sic ex neglectis bubonibus fiſtulas peſſimas ichore copioſo madentes vidi, pubem penetrantes & ad oſſa pubis pertingentes. In aliis luem veneream moleſtius curandam, ſecutam obſervavi.

§. XXIV.

Addenda quædam reſtant de bubonibus peſtilentialibus incidendis. Cum criticus naturæ decubitus ordinarie ſit bubo peſtilentialis, ex undis ſanguinis protrudente natura heterogeneum: eadem in opere ſuo omni modo ſublevanda eſt a genuino ſui miniſtro, ne hoſtis robore victa ſuccumbat. Generalis hinc medici debet eſſe intentio, ut venenum peſtilentiale e corpore eliminetur per viam a natura monſtratam. Id quod hactenus omnis generis medicamentis, tota fere pharmacopœa perluſtrata & applicata: per ſuppurationis maturationem conſequi fruſtra intenderunt. Præ reliquis, ea adhuc legitimo rationis uſu adhibita videntur, quæ acrimonia & partium tenuitate fibrillas irritando, influxum humorum & decubitum majorem producere valuere, ſicque naturam ſtimulando anſam eliminandi venenum dedere: itidem vero indicationem non explent; quamvis enim decubitum citent, exitus tamen ut ſeparari heterogeneum poſſit e vitali ſphæra, haud conceditur. Clauſis quippe dimenſionibus ad ſuppurationem & ſpontaneam apertionem relictis, tum motu patietum ſpaſmodice compreſſorio, tum puris copia, pus maſſæ ſanguineæ communicatur. Unde febrim mortis cauſam ſuſtentari neceſſe eſt & ægrum jugulari.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XXV.

Quod cum intentioni plane contrarietur omni modo evitandum, & auxiliis magis idoneis ſuccurrendum eſt. Quem in finem inciſio bubonum matura laudanda & omnibus præponenda venit. Per hanc quippe omnibus indicationibus ſatisfit; decubitus procuratur ob debilitatam magis partem, ſuppuratio magis promovetur, & exitus conceditur continuus, quæ omnia magnum neceſſario levamen afferunt; ſucceſſive natura opera ſua abſolvere & quiete amat, non impetuoſe una & ſemel: nec facit ſaltum, niſi mechaniſmo organico coacta, quare ſuppetiæ ferendæ. Paratur ſic egregii uſus fonticulus, quorſum pro lubitu omnia deponi in tantis rerum anguſtiis poſſint, per hæc fonticulorum uſus & in medicina neceſſitas egregie illuſtratur, unde & in peſte ulceribus afflictos præ reliquis a peſte liberos manſiſſe, obſervatum eſt. Cum enim in omni intemperie curanda, utile ſit & neceſſarium M. S. a partibus heterogeneis vinculo vitali inimicis, eamque violenter deſtruentibus liberare; & motus naturæ criticus in partem ignobiliorem ſic determinari queat & promoveri: excellentiſſimam inde medicinæ ex chirurgia illuſtrationem & dignitatem accedere quilibet judicare poterit. Per quam medendi rationem & id obtinemus, quod ſudorifera, ſacra in morbis acutis anchora, facta apertione tute propinari poſſint: quod in clauſis bubonibus, quia tum undis ſanguinis magis motis, & motu critico naturæ inverſo & præpedito, venenum ſeparatum rurſus iiſdem communicatur, non abſque maximo periculo & præſentanea noxa facere licet. Ex quibus etiam rationi liquet, inciſiones vel inflammatione adhuc abſente factas, peſtis curationem plurimum facilitare, plurimoſque ex mortis faucibus eripere poſſe, debilitata ſic parte & natura ad decubitum & eliminationem ſuſcipiendam magis invitata; quod ipſa experientia confirmat, adeo, ut inferre merito liceat, quo maturior fiat inciſio, eo faciliorem & certiorem peſtis curationem exſpectari poſſe. An vero ex analogia in reliquis acutis febribus, inprimis exantemathicis, ad heterogeneum e maſſa ſanguinea rejiciendum factæ inciſiones uſum afferre valeant; quanquam ex dictis haud obſcure ſuſpicari liceat, experientia deſtitutus, naturæ ſcrutatoribus artiſque promotoribus relinquo.

§. XXVI.

Cum in curatione bubonis peſtilentis, peſtis curationem conſiſtere a pleriſque practicis obſervatum referatur: rationibus explicatis, certiſſimis licet fundamentis innitentibus, experientiam in Ephemerid. Acad. nat. curioſ. cent. VII. obſervat LXIX. Anni MDCCXIX. a Fratre meo M. D. Hamburgenſi relatam adjungere placet. Teſtantur hæc non unica

ca idem experientia vel altera constare, sed centum & plures mortis faucibus esse ereptos, adeo ut nullus cui ante triduum præterlapsum febris aggredientis, incisio applicata sit, mortuus fuerit, quod si vero post triduum facta fuerat, non omnes evasisse, moræ magis quam incisioni inferendum, reliqua pluribus inde repeti poterunt. Ipse vero mulierem per octo fere menses gravidam bubonibus pestilentialibus afflictam, incisionibus maturis utriusque lateris curatam observavi, & hinc feliciter peperisse & vixisse, ne alia nunc memorem.

§. XXVII.

Quæ in superioribus de inflammationibus allata sunt, ex gangrænæ doctrina, gradus habita ratione, magis confirmantur. Quam tertiam jam speciem inflammationum gravissimam paucis evolvendam sumo. Uti passim simplex & verus affectuum conceptus desideratur, ita quoque gangrænæ notio apud plerosque autores confusa reperitur, aliis cum ipso sphacelo gangrænam confundentibus, aliis eandem pro incipiente sphacelo accipientibus, alias detorsiones taceo. Cum autem diversa nomina, diversas etiam res denotare debeant, & gangrænæ signa sphacelo deprehendantur contraria, rectius hinc pro summo inflammationis gradu cum Dn. D. I. A. Wedelio præceptore meo colendissimo, aliisque præeuntibus, mihi accipitur, & Germanis *der heisse Brand* apte & vere vocatur, reliqua prætereo de re ipsa magis sollicitus. Est inflammatio, & oritur ex στάσις sanguinis gravissima, & summo caloris gradu ab aliis morbis & succedente ordinarie sphacelo realiter distinguitur. Στάσις memorata & motus intestinus in gangræna producenda sunt causæ sociæ, una sine altera iners est. Si tamen pressius paulo insistatur, & quæratur in quo consistat causa immediata gangrænæ, strictiori sensu & rectius motum intestinum quam στάσιν sisterem; non enim prius adesse gangrænam putandum est, quam calor sentiatur summus essentiale phænomenon, & quamvis adsit στάσις, nisi motus intestinus contingeret major, nuncquam gangræna oriretur. Adeoque στάσις gangrænæ causa est proximor occasionem præbens sine qua non.

§. XXVIII.

Tantus vero calor non ab attritu, ut volunt, motus progressivi sanguinis efficitur. In generatione enim & incremento tumoris plus affluit, quam refluit, in statu vero æqualis portio affluit ac refluit. Unde minor hic, major ibi contingit attritio: adeoque in principio calor deberet esse major, in statu minor: sed contrarium toto die docet experientia. Tumore quippe penitus efformato & in extensione subsistente, calor major est quam in incremento, & in gangræna ob effluxum de-

negatum affluxus fere nullus eſt, adeoque nec attritus, calor tamen præſens eſt vehementiſſimus. Nec mechanica illa, quod per quatuor e. g. tubulos æqualis liquidi portio poſſit pelli, eodem temporis momento ac ante per ſex ejuſdem diametri effluebat, huc applicari poteſt. Requiritur enim potentia toties aucta, quoties diameter minor, & cum cylindro immediate & unice continuata: quod utrumque in machina noſtra non fit. Sed ſanguis e corde propulſus omnibus arteriis communicatur, proinde proxima arteria repleta, reliquus qua data porta ruet, quod in toto & ramo partialiter affecto fit; quare portio tranſitus denegati per totum diſpertitur inſenſibilis; ergo etiam in parte non ſenſibilem majorem dat attritionem & calorem. Denique ſuppoſito non conceſſo; omnem ſanguinem per vaſa jam obſtructa alias circulantem, jam etiam per partes affectæ vicinas cogi, conſequens foret: in peripheria inflammationis calorem majorem exiſtere, quam in ipſa inflammatione, quia ibi motus progreſſivus maximus, hic fere nullus. Sed contrarium rurſus demonſtrat obſervatio. In centro inflammationis & maxime in gangræna calor major eſt & ſummus, in peripheria vero mitior & ſucceſſive plane naturalis. In ipſis vero inflammationis punctis motum progreſſivum auctum & σάσιν concipere, abſurdum videtur. Hæc ſatis declarare puto, calorem inflammationum & gangrænæ, non ab attritu motus progreſſivi dependere, ſed potius eundem ab attritu motus inteſtini, particularum vehementiſſime inter ſe agitatarum ſanguinis activioris produci: & pro harum particularum activitate & diverſa proportione, diverſos etiam caloris gradus & effectus ſeu morbi decurſus generari. Et præter hæc fluida attrita cum externis ſolidis non producunt calorem ſed temperant, quod in variis machinis conſpicitur, adeoque ulteriori demonſtratione non indiget.

§. XXIX.

Explicata theoria curandi gangrænam generalem ponit indicationem; σάσιν nempe graviſſimam ocyus citius expediendam, ut decenti humorum circulo reſtituto motus inteſtinus deſtruens, impediatur: ne ſphacelus ſuccedat, vel ſtagnante acrimonia caries producatur. Ad hæc obtinenda ſolent huc uſque adhiberi fotus & cataplaſmata, ex abſorbentibus reſolventibus aliiſque, irrito licet ut plurimum effectu. Optima inter hæc ſunt acida & ex ſpiritu vini parata, quæ fotu continuo & calide applicata, præ reliquis proſunt, minime tamen ſola ſufficiunt, nec circulum reſtituere norunt. Hinc palmam omnibus præripiunt maturæ adhibitæ partis gangrænoſæ inciſiones, ita enim exitus ſtagnanti ſanguini conciliatur, ne in corruptionem abire poſſit, humores acres & copioſi fibrillas in ſpaſmos citantes & diſtendentes educuntur, & omnibus intentionibus commode ſatis fit. Non vero ſcarificationes differen-

rendæ ſunt, uſque dum hoſtili impetu partes deſtructæ jaceant, ſed ab initio & promte vires infringere magnanimi & prudentis ducis eſt. Antequam ulterius procedam, repeto ſub gangræna a me comprehendi omnes inflammationes enormes cum calore & ardore ſummo: & non ſtricte eam ſolum, quæ incurata ſphacelum relinquit partium muſculoſarum. Obveniunt etiam caſus, ubi e. g. perioſtium gangrænoſe inflammatur & brevi tempore niſi fiat apertio, non ſphacelatis partibus tegentibus ſed ſubjectis, ſphacelus oſſis ſequitur: unde & medii quaſi ſunt, quos interdum caries interdum ſphacelus determinat, ſinguli tamen cum inflammatione & ardore ſummo; quos ob vehementiam decurſus & ſimilem curandi methodum hic inſerere placet.

§. XXX.

Panaritium nonſolum extremitates digitorum, ſed & medietatem imo ipſum metacarpum occupat. Tale vidi in viro 50. ann. ſanguineo cholerici temperamenti, apud quem tertium medii digiti internodium prope metacarpum lateraliter occupaverat, & ſummis doloribus ægrum afficiebat. Variis vero fotibus & cataplaſmatibus adhibitis nihil efficiebatur, ſed doloribus ſpaſticis increſcentibus inflammatio etiam vehementiſſima totum btachium occupabat cum febri continua lipothymiis vigiliis &c. Hinc fomentationibus & internis fruſtraneis, ſublividis partibus conſpicuis & ipſo ſphacelo inſtante, digiti metacarpus & carpus variis inciſionibus tentabantur, cruore effluente fumoſo & atro copioſo, cum incredibili ægri levamine. Quo facto applicatis hinc fomentationibus continuis ex ſpiritu vini, aceto, aqua tepida, pars e faucibus mortis eripiebatur, & copioſa ſuccedente ſuppuratione poſt aliquot hebdomades in integrum reſtituebatur, quod ſine inciſionibus nunquam fuiſſet obtentum. Quia vero inciſione longius protracta per ſeri acrioris ſtagnationem tendo erat abroſus, medii digiti aliqua remanebat immobilitas, incurvatio tamen non deerat.

§. XXXI.

Simili loco hærens panaritium in puero 14. annorum cum ſummis per dies noctesque doloribus & ardore vehementi, vidi, ſymptomata per adhibitos fotus intendebantur. Quare ob ſphaceli metum inciſiones celebravi & copioſo effluente cruore ſpiſſo, ichore remixto, ægrum brevi a malo liberavi. Hortulanum ob paronychiam, ſeu inflammationem graviſſimam perioſtii, ex doloribus & ardore ſummo delirium paſſum, ſolis inciſionibus a ſymptomatibus liberatum & curatum ſcio. Fœminæ ex contuſione ulnæ gangræna oriebatur, eadem vero per hinc inde factas inciſiones & applicatos fotus curabatur. Ita in ſcorbuticis atroces

dolores perioſtii & partialiter fixi pungitivi oriuntur, qui niſi divertantur, una ſæpe hora vel die, vel cariem vel ſphacelum producunt, ſed inciſione impediri poſſunt. Vir primarius ex improviſo ſentiebat dolorem occipitis vehementem, remotis crinibus, aderat inflammatio magna, inciſione propoſita & admiſſa, pus paucum prodibat, dolores ceſſabant &c. Os vero ſubjectum nigredine jam dum erat notatum, quamvis apertio quatuor horas poſt dolorem perceptum, fiebat, brevi tamen curabatur.

§. XXXII.

Ex eadem vero neglecta & ſerius adhibita, plurima mala ortum trahunt, ita novi virum nobilem, qui ex acupunctura medii digiti mediæ phalangis dolorem, inflammationem & tandem gangrænam cum febri continua patiebatur, & rejecta omni inciſione ſphacelo ſuccedente periit. Deinde puellam vidi ex neglecta paronychia ſphacelum oſſium digitorum paſſam. Quæ exemtis duabus phalangibus ultimis, ſuccedente callo reſtituebatur. Puerum vero cariem inde reportaſſe cum tendinibus deſtructis & fiſtulam incurabilem obſervavi, quare digitus amputatione tollebatur.

§. XXXIII.

Sphacelus, plerumque gangrænæ vel neglectæ vel graviori ſuccedit, non raro tamen, licet eadem non præceſſerit ſiſtitur; σάσιν ſanguinis plenariam ſemper ſupponit, non æque gangrænam, ſed etiam à defectu virium vitalium & motus atonia plenaria dependet. Ratio cauſalis ea eſt: quia omnes corporis partes, maxime ſanguis in corruptionem putridam ſunt proclives, & per perennem & indeſinentem ſanguinis motum progreſſivum proportionatum, conſervantur; ſic σάσει graviori contingente, & communicatione circuli vitalis denegata, ejuſdem partis mortem conſequi eſt neceſſe. Merito itaque talis effectus νεκρώσεως ſeu mortificationis nomine venit, quia pars conſortio vitali orbata eſt; quamdiu enim adhuc circulatio, tam diu vita adeſt, hac denegata, eadem perit. Unde facile patet paſſivum ſe gerere ſphacelum, activum vero apparere, ſi ſalia diſſoluta acriora & cauſtica evadentia, in vicinis partibus ſpaſmodice conſtringendo & deſtruendo vaſcula, ſimilem σάσιν inferant, & partes circulo privent, quapropter ſphacelus ſerpens dicitur, non per ſe, ſed per accidens. Quod ut præcaveatur, pars emortua pluries in partem uſque ſanam ſcarificanda, quo ſero acriori rodenti concedatur exitus, & pars diligenter fovenda, ut citetur influxus ſanguinis. Adeſſe ſphacelum mortificationem partis deprehendimus: ſi tumor inflammatorius fiat flaccidus, pallidus, lividus, niger, frigidus, ſenſus & motus expers; quibus per ſe indigitatur, & à gangræna ob ſigna contraria egregie diſtinguitur. Si ſphacelo incipienti adhuc, prompte per ſcarificationes & fotus

auxi-

auxilium fertur, pars affecta aliquando conservatur, citissime alias in sphacelum perfectum abiens.

§. XXXIV.

Quia pars sphacelata plenarie vita privata est, non admittit restitutionem, sed separatio mortui à vitali fieri debet. Quæ si σάσις gravissima sit, ut ex contusione vehementiori frequenter contingit, ita ut restitutio circuli sperari haud possit, amputatione omnino est removenda, ne per obstructionem continuatam pars sincera trahatur. Quando autem sphacelus in partibus mollibus subsistit, & labes magis partialis est, tantam vasorum deperditionem conjunctam non habens, vel ab interna causa vel externa; ad hujus separationem non cultro, nec ferro, nec causticis æque opus est, omnia stant post principia. Quippe pars emortua, nisu robore & appulsu sanguinis circulantis unice & in accuratissimis corrupti & vivi terminis separatur, unde & pus in marginibus peripheriæ producitur: natura vegetior absque illis omnia potest, & contra labefactata deficiens & vacillans ab iisdem nihil adjuvatur; quod exemplo sphaceli ab interna causa liquet. Cauterium, mortuum mortuo addit. Caustica serum reddunt acrius, unde progressus ejus augetur, & sæpissime male cessisse experientia docuit. Culter vero determinatas vivi & mortui fines haud agnoscit; proinde singula separationem unice à natura exspectant, qua deficiente deficiunt.

§. XXXV.

Sphacelus ab interna causa nempe debilitate & defectu spirituum nec non partium atonia plenaria, σάσις gravissima fiente, pessimus est, perumque lethalis: interdum tamen curatur, proprio naturæ robore, parte mortua separata. Amputationem vero hoc loco adhibere inconveniens est, cum malum in massa sanguinea latitans non possit una amputari, fugienda potius est, quia frustranea per se, & doloribus & metu vires minuendo mortem accelerat. Si vero contrario plane modo natura internis confortetur, & fotibus ex aromaticis balsamicis spirituosis &c. tono fibrillarum roborato, affluxus sanguinis alliciatur & conservetur, pars affecta diligenter & continuo fomentetur; si non curari, sæpe tamen ad longum tempus conservari possunt ipsa plane sphacelata membra. Bene etiam notandum quod nec εὕρηκα illud chirurgorum, seu suppuratio obtenta, spem restitutionis certam promittat, sed dubiam relinquat, optima licet præsente suppuratione æger tamen opinione citius moritur. Hinc lucem acquirit vulgatum illud in morbis acutis & præcipuæ malignis: pulsus bonus, urina bona, æger moritur, non alia forte de causa, quam quod νέκρωσις in corpore jam dum præsens sit. Similia enim phænome-

Landesbibliothek Oldenburg

nomena in ægris externe ſphacelo afflictis, & in veſica ſedem habente, obſervare licuit, cum adjuncta ſola de jactura virium, querela &c. Ad dictorum comprobationem exempla quædam ſubjungere conſultum duxi.

§. XXXVI.

Puerum ob ligaturas fortiores ſphacelo digiti annularis correptum, per factas ſcarificationes & adhibitas fomentationes, ſeparatione obtenta, curatum vidi. Alio tempore offerebatur infans duorum annorum, qui totum ſcrotum cum urethra, gangræna correptum exhibebat, ob urinæ ſuppreſſionem. Quia vero in tanta inflammatione ſuccurri haud poterat; cataplaſmate licet exhibito, altero mane, totum ſcrotum cum dimidio urethræ & ultra ſecundum longitudinem ſphacelo erat affectum. Hoc viſo ſtatim ſcarificationes egi, & ſolo adhibito cataplaſmate ſeparationem mortui ſpontaneam exſpectavi & obtinui, eoque modo inventis hinc in urethra duobus calculis albidis, mali fomite, & exemtis, infantem novo ſcroto inſtructum feliciſſime curavi; foramen per quod juxta pubem urina proſiliebat conſolidabatur, & totum penis latus reſtituebatur optime. Alium caſum novi in viro adulto cum deperditione per ſphacelum totius ſcroti, & parte ipſa ſiniſtri teſticuli, bene tamen reſtituto & ſano. Affectum quoque haud abſimilem ſe olim in Noſocomio Amſtelodamenſi notaſſe, retulit mihi Facultatis Medicæ h. t. Decanus ſpectabilis B. Meibomius, in viro quodam, qui ex lapſu in ſcrotum magnam contuſionem paſſus, totum illud gangrænatum & ſphacelatum exhibuit; factis vero ſcarificationibus & fotibus applicatis ſcrotum ſphacelatum feceſſiſſe nudis conſpicuis teſticulis, quos nova tunica inductos fuiſſe ſcroto non diſſimili & curationem optime peractam, memorat.

§. XXXVII.

Vir. 60. ann. experiebatur ſphacelum pollicis pedis ſine inflammatione ſenſibili, ſed ſolo ſenſu obdormiendi & frigoris percepto, tumore aliquo œdematoſo obvio cum febri irregulari. Ex adhibitis ſcarificationibus & continuis fotibus ex ſpiritu vini, ſeparatio partis ſphacelatæ, albo conſpicuo circulo eveniebat; ſed optima præſente ſuppuratione, curata fere una labe, ex improviſo alia macula nigra efflorebat, itidem optime ſuppurans, ſeparationem cunctabatur. Tandem inter ſpem & metum ſuſpenſos eventus firmabat, cum die 21. poſt fatis abſque ulla lucta, cum pulſu bono, unina bona &c. cederet; quod docet ſuppurationi in his caſibus fidem adhibendam non eſſe: id quod in prognoſi bene obſervandum.

§. XXXVIII

§. XXXVIII.

Fida memorati Dn. Eggebeckii experientia & relatione probatum habeo. Virum 70. annor, ſphacelum infimi pedis ab interna cauſa paſſum, adhibitis ſcarificationibus & ex ſolo ſpiritu vini fomentationibus continuatis, conſervatum eſſe ultra dimidium annum. Sphacelo in tarſo ſubſiſtente, tanta ibidem acciderat ſeparatio, ut circumcirca nulla niſi per tendines reſtaret connexio, & pede moto aridorum oſſium colliſio exaudiretur. Huc uſque pluribus id teſtantibus conſervatus, novo mœrore confectus deceſſit. Ab hoc, exemplum haud alienum, me vidiſſe memini Berolini in paupere puella adulta, quam ultra quinque menſes pede infimo ad tarſum uſque toto ſphaceloſo, fomentis ex ſpiritu vini ſabina & ruta roborato, applicatis conſervatam ſcio: bono ordinarie præſente appetitu, inſignis conjuncta erat virium debilitas. Alia, capitis & abdominis quoad integumenta ſphacelati exempla, ſimiliter curata obſervavi, ſed prolixitatis cauſa prætermitto.

§. XXXIX.

Pertractatis jam quantum pro meo ſcopo ſufficit obſtructionibus in vaſis ſanguiferis evenientibus: jam operæ pretium duco pauca delibare de obſtructione viæ ſeu ductus liquidum excretorium derivantis. Exempli loco præ reliquis conſpicua frequens & omnibus phænomenis ſæpe ſtipata, arridet fiſtula lacrymalis dicta. Si quiſquam eſt affectus, qui varie chirurgorum ingenia exercuit eorumque operam propemodum illuſit, eſt certe hæc ipſa fiſtula lacrymalis, cujus genuina idea & decens medendi ratio in pleriſque deſideratur, ab aliis confuſe adeo traditur, ut ſincerum conceptum, inde elicere, minime ſit integrum. Alios enim morbum hunc cum aliis ſimilibus diverſis tamen confudiſſe, alios pro ſimplici & vulgari fiſtula ſeu ulcere fiſtuloſo habuiſſe ſicque tractaſſe, ſcripta ipſorum teſtatum faciunt. Quæ ortum traxiſſe videntur ex ignorantia partium affectarum & minus diſtincta phœnomenorum conſideratione. Habet quidem hic affectus ratione phœnomenorum analogiam cum fiſtulis, theoria vero & curatione toto cœlo ab illis eſt diſtinctus.

§. XL.

Non enim fiſtula lacrymalis in purulento, ut volunt, ulcere cauſaliter conſiſtit, ſed genuinam & immediatam ſui cauſam ſemper agnoſcit, in ductus naſalis obſtructione, à quacunque id demum cauſa contingat. Poſita quippe tali obſtructione, fiſtula præſto eſt: quod ut magis pateat, diſtinctio notanda inter fiſtulam lacrymalem incipientem ſeu recentem &

inveteratam. Verum eſt dici ordinarie fiſtulam lacrymalem non prius quam pure ſcatentem, ſed male, confundunt enim hi ſymptomata cum idea morbi. Humores ſtagnantes in corpore varie degenerant & acredinem contrahunt, quod & hoc loco erit admittendum: ubi fluidum lacrymale ab exitu retentum, ſicque fibrillas parietum ſacci erodendo pus producit; & præterea ipſum fluidum lacrymale, ſola φάσει conſiſtentiam puris aſſumit, quod in oculis ſanis religatis & ductu lacrymali compreſſo ad oculum deprehendi poteſt. Et nemo fiſtulam lacrymalem rite concipere ſibi poterit, ſi bene aperto ductu lacrymali liquida omnia excernantur infra per nares, quæ proinde ſuperiora verſus non regurgitabunt, quod tamen eſſentiale ejuſdem eſt phœnomenon. Pus itaque nec caries unquam hic producet fiſtulam, ſi modo non adſit obſtructio, & deſcenſus impediatur.

§. XLI.

Sic nova Anelli methodus injiciendi per puncta lacrymalia, aliquoties de die adhibita, puris quidem acrimoniam præcavere, & parietum ſacci ulteriorem eroſionem imminuere poteſt, quia ſæpius repurgat, ſicque fiſtulam benignam conſervare. Aſt veram hujus fiſtulæ ideam & injectionis naturam penſitanti; obſtructionem inde tolli plane & curam perfectam obtineri, ſibi perſuadere, erit difficillimum. Concederem quidem præſervandi gratia, nec non in incipienti & recenti malo, ſimplici forte pituitæ & leviore remora in viis lacrymalibus reſtitante, locum habere poſſe, cum vero plerumque incipientes hæ fiſtulæ, vel non animadvertantur vel negligantur ab ægris & ipſis non raro medicis, ordinarie erit fruſtranea: quia ſufficientem impetum ad obſtructionem inveteratam & coalitionem parietum ſæpius conjunctam removendam, injectio haud præſtare poteſt. Stylus vero per punctum lacrymale laborioſe & dolorifice in ſaccum protruſus, nequaquam optatum effectum largitur: quia ob exilitatem cum impetu adactus facile & varie incurvatur, tranſpreſſus vero nova & p. n. foramina ſæpe efformat, unde non raro fallacias in medendo commiſſas eſſe ſuſpicor; ſæpius vero tranſactus ſtylus nec idem foramen ſemper ferit, nec diametrum poteſt reddere majorem, adeoque curam nec initio ſuccedentem, multo minus conſtantem efficit, quod rationi liquet, experientia confirmatur. Superiora probant etiam, abſurdam eſſe curandi methodum ex mala laudata theoria, ulceris ſuppurantis in fiſtula ortam, ulcus curare velle ut fiſtuloſum; inde fit, quod alii per cauſtica curaturi, ſaccum deſtruendo oculum lacrymantem relinquant: alii vero fiſtulæ fomitem corrigere, ſicque ulcus & calloſitatem per acria & ſuppurationem removere intendant; adeo ut in morbi idea decepti, ulcus ſcorbuticum fiſtuloſum inciſione curatum, pro fiſtula lacrymali venditent.

§. XLII.

§. XLII.

Non ulcus, non caries, primario curari poſcunt; ſed liquidum ſtagnans derivandum, ne φάσει ſua lædat. Duplici id poteſt procurari methodo: vel novam viam parando: vel naturalem canalem reſerando & in priſtinam dignitatem reſtituendo. Prior modus, in quo perforatio fit oſſis unguis cum ſacco lacrymali, modo ſuperius, modo inferius, & novus canalis ſtylis plumbeis firmatur, huc uſque fuit uſitatus, utrumque bono cum ſucceſſu factum vidi. Quia vero duriorem paulo, & cura conſtanti exſpectanda laborioſam valde eſſe obſervavi, faciliorem methodum circumſpiciens de via naturali obſtructa ſufficienter reſeranda cogitavi. Quod & perpenſis circumſtantiis exoptato eventu haud cariturum judicavi; occaſione vero data, eandem in nauta tentare non deſtiti ſequentibus.

§. XLIII.

Nauta laborabat per duos circiter annos fiſtula lacrymali ſiniſtri oculi, in cantho majori p. n. tumorem exhibens, quo preſſo regurgitabat per puncta lacrymalia, materia purulenta. Inciſione hinc tumoris lente facta, ſaccum detexi, & altero die fluido repletum ipſum ſaccum aperui: ulterius ſtylum ferreum in ſacci aperturam ſollicite intruſi, & ibidem inferiora verſus tornatilli niſu pergens remoram valde renitentem tactu deprehendi, preſſione vero fortius paulo adhibita, eadem ſuperabatur ſtylo profundius per nares pergente. Hoc modo obſtructionem nunc ſublatam perſuaſus, ſyringa aquam ſimplicem tepidam injeci, quæ & per nares tranſibat; hinc ſtylum plumbeum fere rectilineum acus majoris craſſitiei, in canalem repoſui, poſtea vero diebus ſequentibus, ſtylum pennæ corvinæ minoris diametrum æquantem adhibui; & ſic ſemel de die vel etiam bis ſtylum extrahendo, injiciendo aliquoties per vulnus ad nares, & ſtylum rurſus imponendo, & reliquendo per 14. dies continuavi, abſque ullis aliis adhibitis remediis: vulnus vero externum ad conſolidationem uſque, ſolis carptis linteolis replendo, apertum ſervavi. Denique ad conſiſtentiam & firmitudinem parietum ſacci formandam, ſacharum Saturni cum viridi æris mixtum, per octiduum adhibui per vices. Quo facto ſtylum emiſi, per diem, & omne fluidum tranſire & defluere notavi, tranſitu vero continuante, conſolidationem permiſi exoptato cum ſucceſſu. Sed eum fere vulnus eſſet conſolidatum, febri continua ex ira graviori correptus æger ſuccumbebat; per morbum bene ſe habente ductu naſali & oculo. Viſitare vero poſt mortem haud concedebatur.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XLIV.

De fistula proinde lacrymali rite curanda, cum amico meo sermone forte habito, idem de dicta methodo, meditationes suas fideliſſime aperuit. De eadem instituenda, brevi post in manus venit, *Traité des operations de Mr. Garengeot*, qui primus quod sciam, litteris expressum id docuit, nosque in sententia corroboravit. Eandem methodum, anelliana methodo per tres septimanas adhibita minime tamen juvante, nobis præsentibus à Dn. Dr. Heistero in maxime venerando quodam præsule reiteratam vidi, bono huc usque cum successu. Præter vero ante dicta, injectiones ex aquis mineralibus, essentiis & decoctis vulnerariis, spiritu vini, Aq. Calc. viv., factæ sunt; stylus vero adhibitus est, modo solidus, modo cavus pro liquidi transitu, vulnus linimento digestivo & lapide infernali, apertum servandi gratia, interea curatum est, pro derivatione præstanda interne purgantia, externe scarificationes ut & topica sunt usurpata. Sicque laboriosa & complicata Ἐγχειρέσεις, decem præteriere hebdomades.

§. XLV.

Quando vero obstructiones in glandulis & his continuis ipsis exiliſſimis vasculis lymphaticis contingunt, tumores enascuntur serosi, frigidi dicti & chronici. Ejusmodi tumores vel in poris & glandulis, à fluido collecto & diducente tanquam causa proxima continente, novis efformatis cavitatibus radicantur, ut in tumoribus œdematosis cysticis &c. vel in cavitatibus naturaliter præsentibus, humoribus appellentibus collectis, ut in cavitate abdominis scroti &c. hospitantur: ut alia non memorem. Pro diversitate tamen temperamenti totius, & subjecti, nec non materiæ localiter stagnantis conditione, ratione quantitatis qualitatis & motus, ingens tumorum oritur diversitas, quæ proinde non unimodum servat decursum, & curationem diverſiſſimam exposcit. Solent vero ejusmodi stasium seu tumorum fabri frequentiſſime esse acor, pituita, & atonia: quanquam quidem negari haud possit, externas injurias ut contusiones, plurimum conferre, ab illis tamen frequentius oriri videas, exemplo scorbuticorum cachecticorum & paralyticorum.

§. XLVI.

Ad dictorum illustrationem haud forte injucundum, spero, de herniis scrotalibus vulgo dictis quædam afferre, eo potiſſimum nomine, quod theoriam earum & curationem plerumque minus sufficientem offenderim. Si usum loquendi receptum respicio, herniæ vox improprie tumori-

moribus testium & scroti propriis tribuitur, unde facilis est confusio, non nisi à materiali discrimine deprehendenda. Etenim secundum genuinam pathologiæ rationem, hernia proprie dicta est prolapsus intestinorum & omenti, reliquæ vero ut sarcocele hydrocele &c. proprie tumores notant, non nisi ἀκύρως herniæ dicendæ, frustra enim repositionem tentaveris. Hernia aquosa per se absque conjuncto hydrope, distincte considerata, sedem in tunica vaginali seu processu peritonæi agnoscit, & producitur, quando ob obstructos glandularum poros & ipsa vascula lymphatica læsa & in specie rupta, humor aqueus p. n. colligitur. Occurrit in omni ætate, adultis & recens etiam natis infantibus. Dignoscitur extensione instar vesicæ unius ordinarie lateris scroti, pressioni ut vesica aqua extensa cedit, nec deprehenditur testiculus, tumor vero est permanens, reliqua signa ab aliis memorata magis sunt incerta, vel non universalia.

§. XLVII.

In cura intentio est, liquorem collectum removere, & ejusdem scaturigines destruere. Unde & duplex curatio ortum duxit, altera palliativa, altera perfecta & plenaria; illa aquam derivante: hæc ipsum fomitem corrigere intendit. In infantibus & pueris ordinarie & facilius, emisso liquore contento, fotibus calidis confortantibus & resolventibus nec non emplastris applicatis per aliquot tempus, curatur: nisi quidem diutius duraverit malum, & testis simul vitiatus sit. Idem vero in adultis non æque succedit, nec punctio toties quoties opus, reiterari semper potest: multo minus absque ulteriori noxa cum hac cura palliativa senescere queunt; ut erronee sibi persuadent. Experientia illi haud edocti videntur, quod liquidum contentum non raro, post ter quaterve repetitam punctionem, inprimis in scorbuticis, adeo purulentum fuscum & spissum existat, ut elici paracentesi amplius vix possit; sed ex punctione frustranea acerbi non nunquam sequantur dolores. Cujus gratia & illud maxime notandum, quod in herniis aquosis per annum & ultra durantibus, acrioris seri stagnatione & accubitu, testiculum plerumque vitiari, putredine & corrosione affici, tumidum scirrhosum & cartilaginosum reddi; sicque herniæ aquosæ inveteratæ, carnosam ordinarie, vel testiculum affectum saltim jungi. Unde jam instructio necessaria petenda? & quid punctio proderit? hic instructione opus, at omnes deficiunt. Præter hæc scirrhositas non terminatur in testiculo, sed progressiva & cancrosa fere reddita glandulas processus peritonæi inficit scirrhositate, quæ si annulum transcenderit, malo neglecto incurabili reddito de vita actum est, absque periculo ante conservanda.

§. XLVIII.

Non itaque sufficit cura palliativa ad conservationem, nec applicari cum effectu semper potest; alia requiritur stabilior & perfecta. Ad hanc obtinendam setaceum per scrotum ducere suadent, eoque modo glandularum & vasculorum læsorum suppurationem producere. Incertam vero esse methodum nec sufficere, non illud solum punctum, per quod setaceum transit solum affectum; sed totum non raro saccum in culpa esse, pensitantibus, obscurum esse non potest: affluxum potius auget quam imminuit, unde cura inconstans derivanda &c. Alii prudentius rem gesturi, & testem tam nobile, modo non ad vitam necessarium membrum conservaturi, mediante incisione totum processum aperiunt, hinc linteaminibus carptis infarctum, ad suppurationem glandularum & vasorum destructionem cogunt. Sed nec ita æger ab recidivo tutus & liber est, experientia teste: quia non omnia glandularum & vasculorum vitia æque & certe destruuntur. Sic & ex supra allatis, quia ordinarie testiculus simul est vitiatus, & glandulæ in annulum usque sæpe scirrhosæ sunt, sponte plerumque hæc curandi methodus corruit.

§. XLIX.

Omnibus tandem irritis, tutior adhuc & universalis misere afflictos & quasi destitutos, liberandi restat modus, modo ante annulum adhuc existat malum. Hunc in finem, facta in superiore parte scroti incisione satis longa, processus integer e scroto separatus, filo forti conplicato constringitur & abligatur, & consolidatio decenter exspectatur. Hocque modo omni recidivæ occasio præscinditur. Periculum vero vitæ nullum est, si rite omnia observentur. Herniæ carnosæ, ut dixi, sæpissime aquosis ut effectus junguntur, non raro tamen ex contusione testiculi, ut ex nimia castitate stagnante semine in epididymidibus, nec non excessive & illicite culta venere primo oritur hernia carnosa, per accidens sibi jungens aquosam, ob dilacerata vasa, unde altera ab altera sæpius comitatur. Ita quam plurimas hernias aquosas infantum sæpe & puerorum in aliis citius in aliis tardius, per fomentationes vel emplastra adhibita, ablatas, expertus sum.

§. L.

Puer 14. ann. alebat herniam aquosam satis magnam, cum præsente jam dum vasorum spermaticorum in annulum usque intumescentia & duritie, qui tamen post emissionem aquæ, sola sed continua Emplastri impositione, perfecte restituebatur. In alio puero 7. ann. post multam

tam operam cedere hernia aquosa nolebat, sed potius increscebat. Quapropter curationem perfectam intendens, sectione processum detexi, in eoque testiculum livido atrum, putridum, offendi, ideoque processum constrinxi, & post tres septimanas integerrime curatus est. Vir nobilis herniam aquosam ultra pugni magnitudinem gerebat, & adhibita aliquoties punctione, curationem perfectam expetebat. Hinc incisione facta secundum scroti longum, saccus apertus exhibebat testiculum extensum, durum, & ad extra cum epididymidibus cortosum & callosum, quare processus constringebatur, & vulnus IV. hebdomadum spatio consolidabatur.

§. LI.

Miles nobilis 60. ann. laborabat hernia aquosocarnosa sinistri lateris, quæ in longitudine decem, in latitudine quinque æquabat pollices. Æger ex hoc affectu, vel acrimonia rodente, vel mole gravante, tum in ipso scroto seu testiculo, tum primario in dorso circa renes, summos patiebatur dolores, unde somno privatus & viribus, summe erat debilis & confectus. Hinc ad dolorem leniendum fiebat punctio, sed pauculæ tantum cruoris guttulæ prodibant; intentata vero cura, processus adeo extensus per incisionem longam detegebatur & separatus, filo firmiter constrictus, tollebatur. In tumore perlustrato magna cruenti liquoris copia continebatur cum tumidis & scirrhosis glandulis. Substantiam vero testiculi, partim putredine friabilem, partim vero perfecte, quod mirandum, cartilaginosam & quasi claviculis transactis ornatam deprehendi, & tunica albuginea cum epididymidibus tota erat cartilaginea. Post peractam operationem æger bene & melius quam antea se habebat, dolores ex voto cessabant, nec febris major aderat: & vulneris consolidatione optima succedente quinque septimanarum spatio bene curabatur. Interjecta vero una hebdomade, qua de causa nescio, in febrem incidit, obque summam debilitatem morbo decessit. Durante consolidatione urina procedebat cum copioso sedimento, & fere purulento coagulo, quod de labe interna suspicionem movebat, eventu idem comprobante.

§. LII.

Denique sequens casus, ob complicatas hernias, curiosus, subjungi meretur. Vir 66. ann. per multos jam annos laboraverat hernia intestinali: hinc accesserat etiam aquosa, sustentatis inde in scrotum tendentibus ab aqua subjecta intestinis: jam casu quodam ad iram graviorem commotus, dolorem sentiebat in testiculo ejusdem lateris per dies noctesque maximum; quo per octo dies tolerato, curationem expetebat aut mortem, quare illa, adjecto incerto ob ætatem eventu, est propo-

posita, quam cordatus tamen efflagitavit. Operationem quoque forti & constanti animo sustinuit: ubi processus aquam fuscam, testiculus vero tumidus dissectus, pus genuinum flavescens spissum in medietate exhibebat; cum arrosione & incipienti callescentia parietum. Sicque una, quod aiunt, fidelia duos deabare parietes, una sectione misere afflictus, a tribus herniis, aquosa, incipienti carnosa, & intestinali liberatus est, & absque ullis succedentibus symptomatibus, curatio intra mensem obtenta & absoluta est.

§. LIII.

Liceat mihi triplicibus his vulgo dictis herniis, triplicem etiam causam memoratam accommodare, respective enim acor in carnosa, pituita in aquosa, atonia in intestinali magis occurrit. De illis hactenus brevibus egi. Jam denique de atoniæ vitio speciatim pauca adjicere placet, ob neglectam inprimis theoriam ideoque debitam & necessariam praxin contemtim quasi tractatam. Atoniæ productum sunt herniæ intestinales & inprimis scrotales. Hernia proprie dicta, est prolapsus occultus intestinorum, adæquate omenti, extra suum locum, partes continentes distendens, adeoque sub tumoris specie apparens. Unde causa, materia, & curatione, distinctus ab aliis herniis morbus est. Oritur ex relaxatione annuli & atonia peritonæi, unde intestina partim proprio pondere, partim a musculis abdominis & diaphragmate compressa, opitulante lubricitate, qua data porta & debilissima resistentia ruunt, herniamque excitant; a ruptura vero peritonæi rarius forte contingit, in subitaneis enim casibus & herniis examinatis peritonæum extensum inveni. Dignoscitur hernia intestinalis ex tumore indolenti ordinarie, decumbentibus, & presso manibus tumore retrocedente cum murmure plerumque, moventibus redeunte, testiculo simul contrectabili, ut & ex prægressis &c.

§. LIV.

Ut vias publicas liberas esse convenit, sic & intestini prolapsi & angustati repositio, & in decenti situ conservatio omni modo præstanda. Intendunt id plurimi arcanorum absurdi patroni, per transplantationes, tractionem per fissam quercum &c. quia vero hæc superstitiosa, nullam causarum connexionem admittentia, merito ex solidiori medicorum praxi eliminanda: superstitiosis empiricis commendo. Per interna vero medicamenta, atoniam hanc corrigere sibi fingentibus, inscitiæ & frustranei laboris pœnas reportare permitto. Mirifica sane ex decem, viginti guttulis, in hanc partem resultabit adstrictio & consolidatio. Certius paulo in situ naturali, bene reposita intestina conservantur, in leviori-

bus

bus saltim herniis, per varii generis & structuræ ligaturas. Omnes vero hernias intestinoscrotales quamvis reponibiles, iisdem coërceri & retineri posse; imo quod majus est, in adultis ex adhibitis aliquandiu ligaturis, sanationem & restitutionem perfectam obtineri, credulis lubens relinquo, rationi & experientiæ enim contrariatur.

§. LV.

Illud urbium & locorum imprimis maritimorum incolæ, ut nautæ, operarii &c. utpote durioribus laboribus dediti, oneribus magnis portandis, trahendis &c. toto die testantur. Frequenter enim & magnis afficiuntur herniis; qui tamen afflicti, bonam & fortem ligaturam comparare vel non valent, vel recusant, si vero laboribus continuatis ligaturas adhibent, ob summos dolores, continuum affrictum indeque exulcerationem, easdem ferre sæpius est impossibile. Aliis, bonis ligaturis munitis, ob graves labores, intestina inter musculos & compressionem instrumenti, vi protruduntur, unde lipothymias, gangrænam, sphacelum & mortem experiuntur. Plenariam vero curationem, sperari haud posse, ipsa theoria demonstrat. Cessante enim partium incremento, ex ligatura nihil exspectari potest quam contractio aliqualis læsarum partium. Simplex vero peritonæi corrugatio ad stabilem curam haud sufficit, sed remota ligatura a quovis impetu rursus relaxatur. Difficillimum est tonum partium deperditum, causa etiam correcta, restituere; eadem vero perpetuo restante impossibile est. Attamen præsentibus intestinis tendentibus & prementibus cum lubricitate perpetua conjuncta, egregiam sibii imaginantur constrictionem, stabilem admodum consolidationem.

§. LVI.

Missis aliis, & ut taceam etiam casus, in quibus compressio per ligaturas, locum plane non habet; sufficienter cuique patebit, non solas sufficere ligaturas: sed etiam per sectionem misere afflictis frequenter esse succurrendum, necessitate ita idem efflagitante, etenim conservare decet hominem quousque possibile. Minime vero fas esse & rationaliter actum puto, illam operationem, ut turpem designare, & convitiis ut inutilem, periculosissimam tamen proscindere, cum æque excellens sit ac reliquæ, ac pari necessitate ac laude ægris succurrat; sæpeque ex mortis faucibus miseros eripiat. Abusus vero non tollit usum, quod virum cordatum non debet movere: periculum vero vitæ quod tanti æstimatur, si rite administretur operatio, nullum est per se, sed contradicentis insciiam arguit.

§. LVII.

Ad testis tandem privationem turpem & religiosam provocant, quem conservare una cum herniæ curatione operam navant, aperiendo scilicet, post reposita intestina, scrotum cum peritonæi sacco per incisionem, & annulum hinc inde incidendo, hincque replendo saccum & annulum linteis convolutis, & digestivis acribus adhibitis, per suppurationem novam carnem ex annuli & peritonæi processus marginibus producunt, transitum intestinis denegaturam, sicque remoram prolapsus procurasse judicant. Facit etiam hic modus in delicatioribus & quieta vita, suum sæpe officium, in laboriosis vero pressioni resistere satis non potest, sed cedendo prolapsum permittit. Necessario itaque si curatio constans fieri debet, saccus peritonæi cum testiculo & vasis contentis abligandus est, quæ omnium stabilissima & certa cura est. Jam perpendendum restat, utrum melius sit miserum, ob laborandi inpotentiam sæpe mendicum, vel in mortis periculo versantem, unius testiculi detrimento ex miseriis eripere, quam cum duobus in iisdem turpiter pati perire. Prius sane omnes mecum rectius amoris & misericordiæ officium esse judicabunt. Et quid proderit affecti lateris testiculus, per tot annos ligaturis fortioribus vasis ejus compressis? quanta tum erit ejusdem facultas in generando, & quid detrimenti afferet ejus ablatio? cum duobus præditi testibus nihil amplius possint, quam copiosius veneri litare, quod de scopo generationis non est; & observationes medicæ docent, uno sæpe testiculo præditos, longe copiosiorem producere prolem & alacrius concumbere: quod in hernia sectis, qui ne curationem exspectare potuerunt, sed coitum celebrasse fœmellasque imprægnasse observavi. Quapropter fulmen illud nullius æstimandum, sed operationi herniæ intestinoscrotalis rite adhibitæ, sua merito relinquenda est necessitas & dignitas.

§. LVIII.

Tali methodo plurimas hernias, ligaturis haud coërcibiles curatas vidi, absque tanto vitæ periculo & crudelitate; quas brevitatis gratia recensere hic superfedeo. Inter alia virum nobilem hernia scrotali laborantem, cui testiculus ejusdem lateris in inguine latebat flaccidus, quapropter & ligaturas ferre nequibat, sectione mediante feliciſſime curatum observavi, & quamvis in his operosior & periculosior paulo cura existat, necessitas tamen eandem urget. Vir operarius 40. annorum septem liberorum pareus, laborabat hernia duplici capitis magnitudine, ob egestatem panem mendicando quærebat cum liberis; curatus hinc est sectione utriusque herniæ, sicque restitutus, liberis panem alacris & fortis promeruit. Similem plane casum in viro quatuor liberorum patre, observa-

Landesbibliothek Oldenburg

vavi; qui ligatura fortius adhibita præ doloribus labores ferre non poterat, laxiori vero applicata, herniæ prolapſum patiebatur, ſectione integre curabatur.

§. LIX.

Herniæ incarceratæ exemplum occurrit in fœmina 72. annorum, quæ inde poſt octo dierum obſtructionem pertinaciſſimam alvi, patiebatur ſingultum putridum, ſudorem frigidum, lipothymias, frigus extremorum, peſſimis ſignis præſentibus. Eadem admiſſa ſtatim operatione, inteſtinis repoſitis, omnibus ſymptomatibus mox ceſſantibus liberabatur, aliquot ſedes experiebatur & quietem, & abſque ullis ſymptomatibus convaleſcebat, abhinc integerrime vivens; operatio vero erat neceſſaria, quia reponi nullo modo poterant. Virum 31. annorum ligaturas ægre ferentem, qui equitando ſibi contraxerat herniam incarceratam minime reponibilem & memoratis ſymptomatibus præſentibus, facta ſectione, & repoſitis inteſtinis, feliciſſime curavi.

§. LX.

Vir hernia laborans, ſectione neceſſaria diſſuaſa & neglecta, ligatura licet munitus, quantum poſſibile, caſu quodam reportabat herniam incarceratam & ſphacelum, unde mortem. Similem fere caſum a B. meo parente Med. Dr. relatum habeo de nobili quodam viro, hernia admodum magna laborante. Cui decumbenti retroceſſerat & manu reponi potuerat. Attamen nullis etiam optimis & robuſtis ligaturis vel ſtrictioribus dolorificis, vel laxioribus, in cavitate retineri & conſervari potuerant inteſtina. Quapropter miſere vivere coactus; ſectionem expetiit; deficientibus vero peritis, tandem in herniam incarceratam incidit, & miſere in media ætate occubuit. Hæc intentioni meæ ſatisfacere judico, latius quidem deducenda, imo & plura eſſent addenda. Quia vero ulterioribus meditationibus tempus haud ſufficit, quin urgear potius crudiora hæc, ad limam haud revocata, impreſſioni tradere; reliqua, quæ deſunt, alibi opportunius tractanda, reſervo.

TANTUM.

Landesbibliothek Oldenburg



APPEN-

Landesbibliothek Oldenburg

APPENDIX DISSERTATIONUM
SERIUS ACCEPTARUM.

CLVI.

ANTONII FERREIN,

QUÆSTIO MEDICA,

Quinam sint præcipui, quomodo explicentur, & curentur lentis crystallinæ morbi, quæ est duodecima quæstio, inter eas quas defendit

Monspelii 1732.

Landesbibliothek Oldenburg

CRyſtallina lens *figura*, *ſitu*, & *ſubſtantia* potiſſimum peccat.

§. I.

1°. *Figura* peccat, ubi facies ejus utraque vel alterutra ſphæræ minoris, vel majoris ſegmentum exhibet. Priori vitio fit 1°. ut radii majores refractiones paſſi citius coëant, unde *myopia*.

2°. Ut radiorum omnium objectum depingentium congeries in arctius ſpatium ob refractiones auctas cogatur, & minorem organi viſorii ſuperficiem afficiat, hinc vividior lucis impreſſio. 3°. ut Cryſtallina lens globoſior radios non tantum ab objectis coram poſitis, ſed à ſuperioribus & inferioribus &c. prodeuntes excipiat; quare tum ob hanc, tum ob præcedentem cauſam myopum oculi vividiori luce facile offenduntur. Hinc etiam ipſas ad radios ſuperiores, inferiores arcendas nictari videmus: verum compenſationis quadam lege objecto debite compoſito, & in loco modica luce colluſtrato myopes cæteris acutius vident.

Ex dictis intelligitur Cryſtallina lente ſphæræ majoris partem æmulante contrarium omnino fieri; tum hic vitra convexa, ibi vero concava prodeſſe.

§. II.

Situ peccat Cryſtallina lens, ubi oblique in uno oculo ponitur, dum in alio naturalem, aut ſaltem diverſam poſitionem obtinet.

Jam ſupponamus utriuſque oculi ita conſtituti *Corneam* eidem objecto directe, ut naturaliter fieri ſolet, obverti; duo idem objectum geminum videndum eſſe: etenim hoc ipſo, quod utriuſque oculi *Cornea* in idem punctum dirigitur, Cryſtallinæ lentes varie poſitæ punctis diverſis obvertentur; idemque fiet quoad viſionem, ac ſi oculi rite conſtituti inæqualiter ipſi contorquerentur, nempe duplex apparebit objectum, ut ex legibus optices deducitur. Supponamus 2°. Cryſtallina lente ſitu ut prius peccante, oculum utrumque in diverſa puncta juxta varietates omnes poſſibiles dirigi; evidens eſt, inter omnes ſitus poſſibiles unum quemdam dari in quo lens utraque Cryſtallina directe, aut fere directe eidem puncto obvertetur, quare licet oculi ipſi & pupillæ in diverſas partes dirigantur, radii tamen eadem ratione in utroque oculo refringentur, ac naturaliter in oculis eidem puncto obverſis fieri ſolet, proindeque objectum ſimplex in eo oculorum ſitu perverſo videbitur.

Jam Cryſtallina lens hanc ſitus mutationem in adultis patiatur, quoniam oculi ob naturalem quamdam propenſionem & longam aſſuetudinem in idem objecti punctum pro more ſolito adhuc contorquentur; gemina dein-

deinceps videbuntur objecta, ut propter hanc causam verisimiliter contigit iis, quos Gassendus, Forestus & alii memorantur.

Nunc vero ponamus vitiosam Crystallinæ lentis positionem ab ortu vel incunabulis duci; natura usu & exercitio eo perveniet, ut oculos in diversas partes apte contorquere queat juxta eum obliquitatis gradum, quo opus est, ut Crystallinæ lentes eidem puncto obvertantur, & simplex objectum percipiatur, sicque visus delictum *strabismo* pensabitur.

Hinc patet duplicem *Strabismum* statuendum, alium cum vitiosa oculi constitutione, cujus ultimæ effectibus ipse medetur strabismus efficiendo, ut simplex videatur objectum; alium sine vitiosa oculi constitutione propter musculorum oculi resolutionem, vel convulsionem &c. tumque duplex objectum percipitur. Cæterum Crystallinæ lentis situs vitiosus nulla arte cognita emendari potest.

§. III.

Crystallinæ lentis substantia potissimum peccat opacitate, unde *cataractæ Crystallinæ* circa quam sequentia iteratis sæpius experimentis confirmata proferre sufficiet.

1°. Crystallinæ lentis facies posterior corporis vitrei cavo excipitur intermedia membrana pellucida, nonnihil firma, laxe omnino Crystallinæ lenti, stricte vero corpori vitreo annexa, nihil in *suffusione crystallina* sive per morbum in viventibus, sive per artem in oculis aceto spiritui salis immersis excitata de pelluciditate sua amittens.

2°. *Suffusio crystallina* eo tempore, quo per operationem deponitur, e suo ergastulo exit per disruptam & perforatam membranam, quam crystallino & vitreo corpori interjici diximus.

3°. Suffusio, quæ tempore operationis iteratas depressionis & sublationis vices subit, aut deposita restitutionem adhuc minatur, nondum sibi viam per tunicam prædictam fecit; quæ vero in statu depressionis quieta permanet, per disruptam eam e loco exiit.

4°. Quidquid fere suffusionis dispositioni obsistit oritur a vi, qua eadem membrana ruptioni suæ & cataractæ exitui resistit, ut periculo in suffusione arte excitata centies facto observare licuit.

Methodus practica. Ubi oculo immersa erit acus, cuspis ejus inter suffusionem & membranam prælaudatam protinus impellatur, tum ab anterioribus ad posteriora, seu a *crystallino* versus vitreum corpus oblique deorsum moveatur, ut membrana prædicta prope imam sui partem disrumpatur, & via commoda, suffusioni exituræ paretur, quo præstito suffusio solito more propulsa apertum iter nihil cunctando subibit, ut cataractæ morbosæ in nosocomio Massilienſi ante duodecim annos & innumerum aliarum arte excitatarum depositio juxta hanc methodum instituta edocuit. Sic vel ipsæ suffusiones *caseosæ*, *lacteæ*, immaturæ, &c. facile

facile deponentur, atque tunicarum læsio inflammationem, atrophiam oculi &c. sæpe invehens præcavebitur.

5°. Tunica a retina, ut in oculo semicocto facile observari poterit, oriunda, membranæ, crystallino & vitreo corpori intermediæ nexa, opacitate sua *cataractam membraneam*, ut actorum Academiæ Regiæ scientiarum fide constat, inducens, & tamen pelluciditatem in suffusione crystallina sive morbosa, sive arte excitata servans, anticam *Crystallini* faciem obducit. Hæc cataracta depositæ nativam sedem sub forma veli iridi & corpori vitreo interjecti, atque ligamento ciliari affixi retinet, ut cadaverum sectiones cum professore Regio (*a*) celeberrimo institutæ, & observationes circa suffusiones arte excitatas, atque solita methodo depositas docuerunt; quod etiam Domino *Morand* bis in cadaveribus occurrisse legimus.

6°. Acus oculo ad deponendam suffusionem immersa, & per pupillam conspicua, nusquam inter iridem & *tunicam crystallinam* quidquid vulgo existimetur, sed pone hanc ipsam consistit, ita ut tunica prædicta integra, sana, & sine ulla ab operatione plaga facile servari queat, modo caveatur, ne cuspis acus versus iridem, pupillam, aut cameram oculi anteriorem, ut incaute fieri solet, agatur.

Cautela practica. Ubi suffusio operatione deponitur motus acus ita moderandus est ut tunica anteriorem crystallinæ lentis faciem aspiciens integra & sana servetur; sic enim 1°. suffusionis partes duræ, molles, lactescentes, &c. a camera oculi anteriori avertentur, & plurima operationis impedimenta amovebuntur. 2°. Vitreum corpus crystallinæ lentis sedem jam tenens, & in singula membranæ illius puncta æquali virium momento nitens parte sua anteriori abibit in sphæræ segmentum, quo radii lucis apte refringentur, & crystallini defectus pensabitur; dum perfossa pro more solito ea membrana neque vitreum corpus idoneam ad radios congregandos figuram induere, neque suffusionis fragmenta a camera oculi anteriore averti posse evidens est. Cæterum suffusionis flocculos per vitreum corpus dispersos haud multum curabis; constat enim cataractam ipsam depositam ita absumi posse ut ne minimum quidem ejus vestigium supersit, quod in duobus oculis cum prælaudato professore sectis observavimus.

Sic *exponuntur, explicantur, & curantur præcipuè lentis crystallinæ morbi.*

(*a*) D. Deidier.

CLVII

LETTRE
DE
M. PETIT,
DOCTEUR EN MEDECINE, DE L'ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES.

Dans laquelle il démontre, que le Cryſtallin eſt fort près de l'Uvée, & rapporte de nouvelles preuves, qui concernent l'operation de la Cataracte.

MONSIEUR,

JE vous envoye les reflexions que vous m'avez demandées touchant les Remarques ſur l'utilité de la Saignée dans les maladies des yeux. Le célebre Auteur de ces Remarques (*a*) croit le Criſtallin placé au milieu de l'œil de l'homme, & de cette ſituation extraordinaire du Criſtallin il tire de grandes conſequences, tant pour l'état naturel de l'œil que pour les cauſes & la gueriſon de la Cataracte membraneuſe dont il renouvelle l'hypotheſe.

L'eſtime & la vénération que j'ai pour cet Auteur m'ont fait chercher les moyens de le déſabuſer en agiſſant de concert avec lui. Je me ſuis donné l'honneur de lui ecrire, je lui ai offert *de lui faire les mêmes démonſtrations que j'ai faites à l'Academie, par leſquelles il verroit avec évidence, 1°. Le Criſtallin placé à la partie antérieure de l'œil, non ſeulement dans les yeux gelés, mais encore dans ceux qui ne le ſont pas. 2°. Qu'encore que l'on ne trouve ordinairement dans l'œil de l'homme que 3 grains & demi juſqu'à 4 grains & demi d'humeur aqueuſe*, on en trouve néanmoins quelquefois 5 grains ou $5\frac{1}{2}$ *au lieu de 50 grains ou environ qu'il doit y avoir dans ſa ſuppoſition. 3°. Que le Criſtallin obſcurci fait toûjours la cataracte.* Il me mande dans la réponſe qu'il m'a faite, *qu'il n'a ni le tems ni l'envie de m'écouter, occupé aujourd'hui à des choſes bien differentes.* Ce qui m'a fort embarraſſé, car la reputation que l'Auteur s'eſt acquiſe peut aiſément en impoſer, & faire croire qu'il n'a rien hazardé ſur des choſes ſi poſitives, & qu'il a pris toutes les précau-

[*a*] Hecquet ſur l'abus des purgatifs & amers.

cautions néceſſaires pour ne ſe point tromper. Il eſt vrai que ceux qui liſent les Memoires de l'Academie peuvent très facilement ſe déſabuſer: mais ces Memoires ſont entre les mains de peu de perſonnes; j'ai donc pris le parti de donner ici une courte deſcription de l'œil pour faire connoître ſeulement la veritable ſituation du Criſtallin, & la quantité d'humeur aqueuſe & d'humeur vitrée que l'œil contient.

J'ai pluſieurs de ces deſcriptions que j'ai faites ſur des yeux d'hommes nouvellement morts. J'ai choiſi la ſuivante, je donnerai les autres dans un Supplément que je dois fournir à l'Academie.

J'ai dépouillé un œil de ſa graiſſe & de ſes muſcles, & dans cet état il a peſé 147 grains & demi. Son axe A. P. étoit long de onze lignes un tiers. Cet œil étoit applati par les cotés ſous les muſcles droits, ce qui formoit quatre angles arrondis mais irréguliers, cela eſt aſſez ordinaire dans les yeux d'hommes. Il avoit onze lignes un quart de diametre K. N. meſuré par deux de ſes côtés oppoſés & applatis dextres & ſeneſtres. 10 lignes & un quart par les deux autres côtés plats, ſupérieurs & inférieurs.

La cornée B A B faiſoit par ſa convexité la portion d'une ſphere qui avoit ſept lignes & demie de diametre. La corde B B, qui repréſente l'uvée, meſurée à la partie extérieure de la cornée avoit 5 lignes de diametre: mais elle avoit 5 lignes & demi meſurées par ſa partie interne à cauſe du biſeau que la cornée forme par ſon union avec la ſclerotique, ce biſeau étoit d'un tiers de ligne.

La prunelle D D avoit 1 ligne & demie de diametre: ce que j'ai remarqué après avoir enlevé la cornée qui étoit épaiſſe de $\frac{2}{12}$ de ligne. Si-tôt que l'on a emporté la cornée l'humeur aqueuſe contenue à la partie antérieure du Criſtallin s'écoule. J'ai ôté avec une éponge fine ce qui pouvoit en être reſté ſur le criſtallin & autour de l'œil. J'ai peſé cet œil, je l'ai trouvé moins peſant de 5 grains, c'eſt le poids de l'humeur aqueuſe que l'œil contenoit [le calcul m'a donné 5 grains $\frac{1}{5}$.] J'ai meſuré l'axe de l'œil, je l'ai trouvé de 9 lignes $\frac{2}{3}$, c'eſt 1 ligne $\frac{2}{3}$ pour l'épaiſſeur A G dont il faut ôter $\frac{2}{12}$ pour l'épaiſſeur de la cornée. C'eſt donc une ligne $\frac{1}{2}$ pour l'épaiſſeur des chambres de l'humeur aqueuſe.

Le criſtallin formoit par ſa partie antérieure E G E une portion de ſphere qui avoit 9 lignes de diametre. Sa corde E E qui eſt la largeur du criſtallin, étoit longue de 4 lignes $\frac{1}{2}$, il avoit deux lignes $\frac{1}{4}$ d'épaiſſeur. La hauteur G F du ſegment E G E avoit un peu plus de $\frac{1}{5}$ de ligne.

Ce criſtallin étoit enveloppé d'une capſule tranſparente continue à la membrane hyaloide, au ligament & au proceſſus ciliaire. Cette capſule aſſujettit & retient le criſtallin dans le chaton de l'humeur vitrée, elle

n'eſt adhérante en aucun endroit du criſtallin, qui eſt toujours humecté d'une petite quantité de liqueur. Le criſtallin peſoit 4 grains $\frac{1}{4}$.

L'humeur vitrée qui rempliſſoit tout le reſte de l'œil peſoit 104 grains. Les membranes peſoient 34 grains, ſi l'on raſſemble le poids de chacune de ces parties, le total ſe trouve de 147 grains & demi pour tout le globe de l'œil à peu de choſe près. L'expérience fait voir que tous les yeux d'hommes n'ont pas le même poids, ni les mêmes dimenſions dans les membranes & dans les humeurs, c'eſt ce que l'on trouvera dans quelqu'uns de mes Memoires.

On voit par la Deſcription que je viens de donner, que l'épaiſſeur A G des chambres de l'humeur aqueuſe eſt d'une ligne & demi, qui eſt une des plus grandes que j'aye rencontré. Car pour l'ordinaire cette épaiſſeur n'eſt que d'une ligne & un quart. Pour avoir l'épaiſſeur de chacune de ces chambres, j'ai fait geler le pareil œil de cet homme, j'ai trouvé la chambre antérieure C D D C épaiſſe d'un peu plus d'une ligne & un quart, & la poſtérieure I G I de près d'un quart de ligne. La gelée apporte du changement dans les yeux de Bœuf, comme on le voit dans mon Memoire de 1723, mais ce changement n'eſt pas ſenſible dans les yeux de l'homme.

Outre cela j'ai fait faire une machine nouvelle que M. l'Abbé Bignon à nommée Ophtalmometre, avec laquelle j'ai trouvé la même épaiſſeur des 2 chambres. Le calcul m'a donné la même épaiſſeur de chacune des deux chambres que la gelée, l'on verra dans un Memoire de l'Academie lû au mois de Decembre 1728, de quelle maniere j'examine les dimenſions de ces chambres.

L'on peut encore démontrer le véritable lieu du criſtallin par pluſieurs autres moyens. 1°. Si on perce l'œil au-deſſous de B B de chaque côté oppoſés avec la pointe d'une lancette à un tiers de ligne de l'union extérieure de la cornée avec la ſclerotique, ſi on introduit une aiguille dans un de ces trous, & qu'on la conduiſe par une ligne parallelle à la corde B B pour la faire paſſer dans le trou oppoſé. Si après cela on enleve la cornée avec l'uvée on trouve l'aiguille ſur le criſtallin. Il ne faut pas que cette aiguille ſoit groſſe: car comme l'eſpace qui ſe trouve entre l'uvée & la partie antérieure du criſtallin n'eſt le plus ſouvent que d'un ſixieme de ligne, ſi cette aiguille a un quart on un tiers de ligne d'épaiſſeur elle comprimera & fera impreſſion à la partie antérieure du criſtallin, ou bien elle la percera. 2°. On meſure 3 lignes depuis B juſqu'en S, l'on perce l'œil en cet endroit avec la pointe d'une lancette, on fait la même choſe au côté oppoſé en H. On paſſe une aiguille dans le trou S, on la conduit par une ligne parallelle au diametre K N juſqu'en H où on la fait paſſer. On coupe la Sclerotique autour de la cornée en enlevant l'uvée. Le criſtallin eſt à découvert, on ouvre

la

la capsule, on la coupe, on tire le cristallin de son chaton, & on voit que l'aiguille a passé à la partie postérieure du cristallin sans l'avoir touché. On trouve pourtant quelquefois, que l'aiguille a percé cette partie postérieure d'un douzieme ou de deux douziemes d'épaisseur, ou parce que le cristallin se trouve épais de deux lignes & demie, ce qui est très-rare, ou parce que l'aiguille n'a pas été conduite bien parallelement au diametre K N. Il est facile de déterminer la distance de L partie postérieure du cristallin jusqu'en O qui est de près de deux lignes. On doit observer, qu'en faisant ces expériences il faut percer l'œil de droite à gauche, ou de gauche à droite, & non pas de haut en bas, parce que la conjonctive s'avance plus ou moins sur la cornée à la partie supérieure & inférieure, ce qui peut donner occasion de se tromper.

3°. On peut déterminer l'éloignement de la partie antérieure du cristallin, en examinant le ligament ciliaire B E & la convexité anterieure du cristallin. Ce ligament prend son origine du contour de l'uvée & de la choroide, vis-à vis de B B, & va s'attacher à la membrane cristalline en E E tout autour du cristallin & ne s'attache point au cristallin, comme quelques-uns l'ont crû. Ce ligament a $\frac{1}{4}$ de ligne de longueur. Il n'a quelquefois que demi ligne. Si le cristallin étoit placé au centre de l'œil ce ligament auroit du moins 4 lignes & demi, ce qui fait une difference trop considerable pour pouvoir s'y tromper. On peut encore découvrir par le calcul, quelle longueur il peut avoir, mais cela nous meneroit trop loin, & ce que je viens de dire suffit pour prouver invinciblement le peu d'épaisseur de la chambre postérieure.

Venons présentement à la cataracte. Le sçavant Auteur des Remarques se déclare pour la membraneuse. Il en imagine même plusieurs causes, ausquelles on n'avoit point encore pensé; il seroit à souhaiter qu'il eut bien examiné toutes les preuves que le célebre Heister a rapporté dans son Traité de la Cataracte, par lesquelles il fait voir qu'elle n'est autre chose que le cristallin obscurci. Je me dispenserai de les rapporter ici, ce seroit rebattre trop souvent cette matiere, que cet Auteur a mis dans un grand jour. Je ferai seulement remarquer que c'est une chose étonnante que MM. Antoine Brisseau, Heister, Winslou, Morand, tous gens sçavans & bons connoisseurs en cette matiere, n'ayent jamais rencontré aucune cataracte membraneuse dans toutes celles qu'ils ont examinées sur les cadavres. Je n'ai jamais trouvé que le cristallin obscurci dans un grand nombre de cataractes que j'ai vûes sur les Cadavres humains & sur les Chiens. Supposons, malgré cela quil puisse y en avoir, il s'agit de sçavoir, si elles peuvent être abbatues par l'operation ordinaire, ensorte que le malade en puisse voir les objets de la même maniere qu'il les voit lorsqu'on a abbatu une cataracte cristalline. Tous les Oculistes, ausquels j'ai vû faire cette operation en quelques endroits qu'ils ayent percé l'œil, ont porté la pointe

de leur aiguille vers le centre O de l'œil. Mais (*b*) supposé qu'elle ne soit pas tout-à-fait dirigée au centre, c'est toujours à la partie postérieure du Cristallin, suivant la methode de Celse. De là ils ont porté leur aiguille à la partie supérieure du Cristallin qu'ils ont pressé de derriere en devant & de haut en bas, l'aiguille a passé dans la chambre postérieure où on la voit agir sur la cataracte qu'ils baissent le mieux qu'ils peuvent.

L'aiguille ne peut passer de la partie postérieure du Cristallin à la partie antérieure sans rompre le ligament ciliaire B E, & supposé qu'on évite de couper ce ligament, & qu'en pressant le Cristallin & le poussant vers la partie antérieure, on déchire seulement la capsule du Cristallin dans sa partie supérieure & dans sa partie antérieure, le Cristallin doit sortir de son chaton, & s'avancer vers l'uvée: mais soit que le Cristallin sorte de son chaton, soit qu'il y reste, l'aiguille par ses mouvemens doit agir autant & plus sur le Cristallin que sur la membrane, supposé qu'il y en eut une, parce qu'il est très-près de l'uvée, comme nous l'avons démontré. Cette aiguille brisera le Cristallin en 1000 pieces, que l'on ne peut voir, parce qu'il est supposé, pour l'ordinaire, transparent dans cette hypothese: on ne pourra point voir les pieces qui resteront, & qui troubleront necessairement la vision.

Supposons présentement qu'on pique l'œil en M à 2 ou 3 lignes du rebord de la cornée, & qu'on porte d'abord la pointe de l'aiguille dans la chambre postérieure jusqu'au côté lateral interne de la prunelle, cela ne peut se faire sans traverser le Cristallin, qui sera brisé de même que dans l'operation précedente par les mouvemens de l'aiguille. Fabrice d'Aquapendente avoit bien reconnu cette difficulté qu'il a voulu éviter en perçant l'œil à une ligne du rebord de la cornée, mais le mauvais succès de l'operation lui a fait connoitre qu'il se trompoit, & effectivement il n'est pas possible qu'une aiguille qui a du moins un quart de ligne d'épaisseur, puisse agir de haut en bas dans la chambre postérieure, qui comme je l'ai prouvé, n'a le plus souvent qu'un demi tiers de ligne d'épaisseur, sans déchirer l'uvée ou le Cristallin. Je ne parle point des difficultés, que l'on trouveroit à découvrir les attaches de la prétendue membrane, des risques qu'il y auroit à les chercher & à les rompre, quand même la chambre postérieure seroit plus spacieuse qu'elle n'est.

Enfin ceux qui admettent ces cataractes membraneuses n'ont aucun signe certain pour les distinguer des cataractes cristallines, qu'ils appellent des Glaucomes, qui peuvent s'abbattre par l'operation; ils sont obligés d'avoüer, que les cataractes membraneuses sont très-rares, elles le doivent être certainement, s'il y en a, puisque tous les Sçavans que j'ai nommés ci-dessus n'en ont jamais trouvé non plus que moi; &

(*b*) V. Mem. de l'Acad. 1725. p. 17. 18. & suiv.

& ſi l'on admet ces deux ſortes de cataractes, il faut certainement deux operations differentes pour bien abbatre l'une & l'autre.

Lorſque j'examine la prunelle d'un œil dans ſon état naturel je la trouve noire ; mais ſi je la trouve plus ou moins blanche, jaunatre ou de couleur de perle qui ôte plus ou moins l'uſage de la lumiere, qui laiſſe un petit cercle noir autour de la prunelle, qui avec cela conſerve ſon mouvement de vibration ; voila une cataracte criſtalline, voila celle pour laquelle j'ai imaginé ma nouvelle operation. L'on rencontre quelquefois des cataractes barrées de lignes brunes ou noires qui forment diverſes figures, que quelques-uns ont priſes pour des filets de cataractes membraneuſes. J'en ai trouvé une pareille dans un cadavre de 70 ans, laquelle m'a fait voir que ces lignes n'étoient que des endroits du criſtallin qui n'étoient point opaques. Je remarquai en même-tems que cette Cataracte pouvoit être abbatue ſans être diviſée : c'eſt ce qui a fait que je n'ai point héſité à faire cette operation à Madame le Quin âgée de 76 ans, qui demeuroit rue des Balais, près l'Hôtel de la Force, & mére d'une femme de Chambre de Madame de S. Conteſt ; elle avoit une Cataracte barrée de pluſieurs lignes qui ſe coupoient l'une l'autre, je la lui ai abbatue dans une demi minute, ſans y trouver aucune difficulté, de même que celle qu'elle avoit à l'autre œil, & qui n'étoit point barrée. Après quoi on l'a vuë travailler à la couture comme ſi elle n'avoit jamais eu de Cataraacte.

(c) Après ce que je viens de dire de la ſituation du Criſtallin, il eſt aiſé de voir qu'il ne m'a pas été difficile d'imaginer ma nouvelle methode d'abbattre la cataracte. Il s'agit d'ôter le Criſtallin de devant la prunelle, & de le placer à la partie antérieure du fond de l'œil, où il ne retranche que le moins qu'il eſt poſſible des rayons de lumiere, & pour cela je porte la pointe de mon aiguille à la partie poſtérieure inférieure du Criſtallin, où je fais une ouverture à ſa capſule, puis je retire la plus grande partie de mon aiguille, afin de pouvoir enfiler le Criſtallin un peu au-deſſus de ſon centre, ce qui me donne une grande facilité de le porter auprès du fond de l'œil, en le faiſant paſſer par l'ouverture que j'ai faite à la capſule, je donnerai des Memoires, dans leſquels je détaillerai les cauſes de la cataracte & le Manuel de cette operation, où l'on verra de quelle maniere je conſerve la partie antérieure de la capſule du Criſtallin ſans la déchirer pour les raiſons que je dirai.

Voila, M. ce que j'avois à vous mander, car pour les autres articles que vous me propoſez, j'en parlerai à leur place dans chacun des Memoires que je donnerai à l'Academie ſans y intéreſſer qui que ce ſoit, ces ſortes de diſputes ſon rarement utiles pour le Public, parce qu'elles dégénérent en altercation & finiſſent le plus ſouvent par des invectives, & ſans l'eſtime particuliere que j'ai pour l'Auteur des Remarques ſur l'u-

(c) V. Mem. de l'Acad. 1725. 1726. p. 16.

l'utilité de la Saignée, j'aurois certainement négligé ces sortes de choses. Il est sçavant, il a de la droiture & beaucoup de sincérité, je suis persuadé qu'il ne cherchera jamais aucun détour pour s'empêcher de se rendre à la verité, aussi-tôt qu'elle paroîtra. Si ceux, qui sont en dispute sur quelques points de physique ne sont doués de ces excellentes qualités, leurs disputes dégénérent le plus souvent en injures, marque certaine de leur ignorance & de leur peu de droiture: c'est ce qui m'a empêché de répondre à de mauvaises difficultés que l'on m'a faites avec des expressions un peu fortes pour m'exciter à écrire. Ces gens-la (*a*) diront autant de fausſetés qu'il leur plaira contre moi, ils n'auront jamais aucune replique de ma part. Je plaindrai toujours le sort de l'illustre M. Heister, qui par ses Ecrits nous a fait connoitre sa profonde science dans l'anatomie, son caractere plein de probité & de sincérité, & qui a eu le malheur d'entrer en dispute sur son excellent Traité de la Cataracte, avec des gens qui lui seront toujours beaucoup inférieurs en tout.

J'ai été surpris de ce qu'un homme aussi éclairé que M. Andry Docteur-Regent de la faculté de Medecine de Paris, n'ait pas d'abord reconnu le mérite de M. Heister, mais il a changé de sentiment.

Je vous envoye sa Déclaration à ce sujet, qu'il m'a engagé de joindre à cette Lettre.

Je suis avec respect, MONSIEUR,

Votre très-humble & très obéissant Serviteur,
PETIT, *Docteur en Medecine, de l'Academie Royale des Sciences.* Le 19. Fevrier 1729.

(*d*) V. Memoires de Trevoux Juillet 1728. p. 1340. & Oct. 1953.

LETTRE

CLVIII.

LETTRE
DE
M. PETIT,
DOCTEUR EN MEDECINE, DE L'ACADEMIE DES SCIENCES.

Contenant des Reflexions sur ce que M. Hecquet, Docteur Regent de la faculté de Medecine, a fait imprimer touchant les maladies des yeux, dans son Traité des amers & dans celui de la digestion & des maladies de l'estomach.

VOUS me l'avés bien dit, *Monsieur*, que le célebre M. Hecquet, étoit bien plus faché qu'il ne paroissoit dans la reponse qu'il a faite à la lettre que je me suis donné l'honneur de lui écrire, à l'occasion de ses remarques sur l'utilité de la saignée dans les maladies des yeux. Son chagrin a éclaté dans une lettre écrite à M. de Fontenelle, Secretaire de l'Academie, pour être luë dans cette Academie. Il se plaint de celle que je lui ai écrite; & pour rendre ses plaintes plus justes, il en change les tours & les expressions, d'une maniere que j'ai peine à les concilier avec les idées que je m'étois faites de sa droiture & de sa sincérité, dont j'ai rendu témoignage dans ma lettre imprimée (*a*).

La lettre que je lui ai écrite, ne contient aucun des sujets de plaintes qu'il dit avoir. J'aurois bien fait de vous croire, M. Si j'avois fait imprimer ma lettre & sa reponse, il n'auroit peut être pas rendu publiques les mêmes plaintes qu'il a faites à l'Academie. Vous connoissés les égards pour lesquels je ne l'ai pas fait. Je suis même très faché de faire imprimer cette lettre, qu'il dit avoir brulée, avec celles qu'il a écrites à M. de Fontenelle, & les reflexions que j'ai luës à l'Academie sur une de ses lettres; voici ma lettre.

Mon-

(*a*) Chez Chaubert, Libraire sur le Quai des Augustins, à la Renommée & à la Prudence.

Landesbibliothek Oldenburg

Monsieur,

„ Un très habile Anatomiste me parla il y a quelque tems des remar-
„ ques que vous avés données sur l'utilité de la saignée dans les maladies
„ des yeux. Comme j'ai une extrême avidité de voir tout ce que l'on
„ produit sur les yeux, je fûs acheter ce livre le plutôt qu'il me fût pos-
„ sible, & je devorai, pour ainsi dire, tout ce qui avoit du rapport
„ aux yeux.

„ Quel fût mon étonnement, Monsieur, d'y trouver des erreurs que
„ j'ai relevées avec tant d'évidence, dans les Mémoires que j'ai fournis
„ à l'Academie! Je ne pouvois revenir de la surprise où j'étois de trou-
„ ver le Cristallin placé au milieu de l'œil (*b*), & par consequent une
„ si grande quantité d'humeur aqueuse qui doit être dans l'œil, selon vo-
„ tre supposition; d'y voir un renouvellement de la cataracte membra-
„ neuse que j'ai proscrite avec Mrs. Antoine Brisseau, & le sçavant Heis-
„ ter. Il est aisé de voir que vous ne savés pas l'Anatomie de l'œil,
„ permettés moi de vous le dire, vous n'avés pû vous tromper vous mê-
„ me; il a donc fallu que vous vous soyés abandonné aux lumiéres de
„ quelques personnes. Tout cela n'a rien d'extraordinaire, mais ce qu'il
„ y a de surprenant, c'est que vous ayés été chercher ces lumiéres chez
„ des gens que nous n'aurions certainement jamais osé soupçonner, pour
„ bien des raisons qu'il est inutile de mettre ici. Si vous aviés au moins
„ lû les trois petits Volumes que M. Heister a donnés sur la cataracte,
„ ils vous auroient peut-être donné assés de deffiance, pour ne pas vous
„ en tenir, à ce qu'on vous a fait croire, & que vous venés de rendre
„ public. Cela vous auroit, sans doute, fait naître l'envie de voir tout
„ ce qui s'est fait à l'Academie des Sciences sur cette matiere. Mais la
„ chose est faite, & c'est ce qui fache bien des gens qui connoissent vo-
„ tre vertu sublime, & votre profonde capacité dans la pratique de me-
„ decine; je le suis en particulier plus que personne pour les mêmes rai-
„ sons, mais encore parce que j'ai démontré à l'Academie, la structure
„ de l'œil bien differente de celle que vous avés exposée. Quel remede
„ aporter à tout ceci? Je vous en propose un que je crois le plus con-
„ venable. Je vous offre pour cette nouvelle année, que je vous sou-
„ haite des plus heureuses, de vous faire voir avec évidence le Crista-
„ lin à la partie anterieure de l'œil, dont il n'est éloigné ordinairement
„ que d'une ligne & un quart, non seulement sur les yeux gelés, mais
„ aussi sur ceux qui ne le sont pas, & cela au moyen d'une machine
„ que j'ai inventée, & que M. l'Abbé Bignon a nommé *Ophtalmomètre*.
„ En un mot, je vous ferai les mêmes démonstrations que j'ai faites à
„ l'Aca-

(*b*) Pag. 274. 276. du Traité des amers.

„ l'Academie, qui vous feront encore voir, qu'il n'y a ordinairement dans „ l'œil de l'homme que trois grains & demi, juſqu'à quatre grains & de- „ mi, quelquefois d'avantage d'humeur aqueuſe. Et ſuivant votre ſupo- „ ſition, il doit y en avoir 50 grains plus ou moins, ſelon la groſſeur „ de l'œil: enfin, je vous donnerai des preuves ſuffiſantes pour vous per- „ ſuader, que le Criſtallin obſcurçi fait toujours la cataracte; & pour „ exécuter toutes ces choſes, je veux bien porter chez vous des yeux „ d'hommes, avec tous les inſtrumens & machines néceſſaires pour cela; „ c'eſt à quoi je me prêterai très volontiers, pour l'amour de vous, & „ de vous ſeul; ſi cela vous convient, vous aurés la bonté de m'en a- „ vertir par un mot de lettre. En attendant, prenés la peine de lire „ mes Memoires Académiques de 1723 & 1725, & le Traité de la ca- „ taracte de M. Heiſter; cela ſera d'un grand ſecours pour abréger nos „ diſcutions. Si vous n'avez pas ces livres, je vous les prêterai. Après „ cela, nous concerterons enſemble les moyens de mettre à couvert bien „ des choſes que vous avés rapportées dans votre livre, qui me paroiſ- „ ſent peu convenir avec la véritable ſtructure de l'œil. Enfin, je ne „ vous abandonnerai point, que vous ne ſoyés entierement perſuadé de „ tout ce que j'avance ici, & que je ſuis avec beaucoup d'eſtime & de „ véneration,

Monſieur,

Votre très humble & très obéiſſant Serviteur
PETIT D. M.

A Paris ce 31. *Decembre* 1728.

Il n'eſt pas difficile de découvrir mes intentions dans cette lettre; elle ne tendoit qu'à déſabuſer M. Hecquet entre nous deux, & ſans en inſtruire le public, des erreurs où il pourroit être tombé: voici ſa reponſe,

Monſieur,

„ Vous me dites des duretés, que je ne merite point; je ſçais votre „ habileté, & je n'ai garde d'avoir ſongé à vous contredire ni à penſer „ à vous égaler en connoiſſance d'Anatomie. J'ai pourtant lû ce que vous „ croyés que j'ignore, mais ne voyant point plus de gueriſon des cata- „ ractes depuis qu'on en a creuſé les cauſes, je me ſuis hazardé de pro- „ poſer de pures conjectures ſur la cure de cette maladie. Je raiſonne „ ſur des principes que vous n'aprouvés point, & ſur leſquels vous avés „ la bonté de m'offrir de venir ici pour m'inſtruire. J'ai l'honneur de „ vous en remercier, Monſieur; car outre que je n'en vaux pas la peine,

„ je n'en ai ni le tems, ni l'envie, occupé aujourd'hui de choſes bien „ differentes. Je vous ſupplie ſeulement de ne me croire ni paſſionné, „ ni ſectaire: je ne tiens à perſonne; je me ſuis étudié ſeulement à ap- „ prendre à guerir, ſans me livrer à aucun parti. J'ai même toujours „ eu une conſideration particuliere pour le votre: & dans ces ſentimens „ faites moi l'honneur de me croire dans mon ignorance, ſur les maladies „ des yeux, aſſés éclairé pour vous rendre une juſtice de préference dans „ une ſçience où les plus clairvoyants ont encore à ſe reprocher tant de „ choſes encore inconnuës. J'ai l'honneur de vous ſouhaiter une année „ ſaine & heureuſe, pour l'honneur de la medecine, & le tout, avec „ reſpect.

Monſieur,

Votre très humble & très obéïſſant
Serviteur, HECQUET.

Ce 31. Decembre 1728.

A vous dire le vrai, M., je ne m'attendois pas à une pareille reponſe; je m'imaginois qu'il accepteroit volontiers l'offre obligeante que je lui faiſois; & qu'après avoir reconnu ſon erreur, il ne manqueroit pas d'en parler dans le premier ouvrage qu'il feroit imprimer, en ſe ſervant de tous les avantages, qu'il auroit trouvé bons pour ſe diſculper; alors, il ne ſe ſeroit rien paſſé que de concert entre nous deux. Vous le voyés, M., il n'en a ni le tems ni l'envie.

J'aurois bien ſouhaité n'être pas obligé de pouſſer la choſe plus loin, je fus tenté de l'abandonner. Mais comme on ne fait que commencer à bien connoître la ſtructure de l'œil que j'ai donnée à l'Academie, il y avoit lieu de craindre que la réputation de M. Hecquet n'y donnât quelques atteintes, auſſi bien qu'à ma nouvelle methode d'abbatre la cataracte. Je crus qu'il n'y avoit rien à négliger; je pris le parti de faire une Diſſertation en forme de lettre, où j'ai marqué la ſituation du Criſtallin, & rapporté quelques expériences qui prouvent la difficulté qu'il y a d'établir des cataractes membraneuſes. Je demandai des Commiſſaires à l'Academie pour examiner cet ouvrage (*c*); quelques jours après, M. Hecquet écrivit la lettre ſuivante à M. de Fontenelle, Secretaire perpetuel de l'Academie, qui la lût le même jour à l'Academie.

Mon-

(*c*) Mrs. *Winslow* & *Morand* furent nommés pour Commiſſaires, qui firent quelques jours après leur rapport, ſur lequel M. *de Fontenelle* m'a délivré un certificat, pour faire imprimer ma diſſertation.

Landesbibliothek Oldenburg

Monsieur,

„ Je me reproche les momens, que j'ai derobé à un tems auſſi précieux „ que le votre. Mais vous honorés de vos bontés tous les gens de let- „ tres, & vous gardés de l'équité pour chacun d'eux. Dans cette con- „ fiance, je prens la liberté de vous ſupplier, Monſieur, de vous te- „ nir en garde, & y tenir tout votre Illuſtre Corps, que j'honore & reſ- „ pecte ſans reſerve, contre les plaintes que j'apprens que forme devant „ vous, Meſſieurs, contre moi M. Petit Medecin. Qu'il faſſe quelque „ bel ouvrage, comme il en eſt ſi capable, ſur les maladies des yeux, „ j'en profiterai avec le public; mais je ne dois pas vous laiſſer croire „ toutes les imputations dont il me charge; il me donne pour avoir at- „ tenté à ſon opinion, ſur les cauſes de la cataracte, que l'Academie a „ comme adoptées par les Mémoires qu'elle a donné là-deſſus, & que „ je lui ai répondu eavalierement à une lettre, qu'il a pris la peine de „ m'écrire à l'occaſion du Traité des amers que je viens de donner au „ public. Cette lettre, Monſieur, feroit ma juſtification, tant elle étoit „ impolie, dure & hautaine, ſi par conſcience & pour l'honneur d'un „ Membre de l'Academie, je ne m'étois crû obligé de la ſuprimer ſur le „ champ, & de la ſouſtraire au monde, en la mettant au feu après y „ avoir répondu. Il me traitoit d'ignorant en Anatomie, & pour me re- „ dreſſer là-deſſus, il m'offroit de venir dans le lieu de ma retraite, où „ il feroit apporter, à ſes dépens, tout ce qui ſeroit néceſſaire pour me „ donner des leçons. Mais je vous ſupplie, Monſieur, de vous faire re- „ préſenter ma réponſe, dans laquelle certainement je n'ay rien mis d'un „ pareil ſtile. Je lui diſois ſeulement que je ne méritois pas les injures „ qu'il me diſoit, & que dans la ſituation de retraite où je ſuis, je n'a- „ vois plus beſoin, ni envie de prendre de nouvelles leçons d'Anatomie, „ l'aſſurant d'ailleurs du fond de toute mon eſtime; mais le ſingulier de „ ſes procédés, c'eſt qu'il m'attaque ſans que j'aye penſé ni à lui, ni à „ entrer dans le fond des cauſes des maladies des yeux. Je ne me ſuis „ occupé comme medecin, que de propoſer tout ſimplement que'ques con- „ jectures qui m'étoient venuës, pour tâcher de prévenir des cataractes, „ & pour préſerver les malades des dangers, des incertitudes, & des „ mépriſes qui ſe commettent ſi ſouvent dans cette opération : & pour „ me faire entendre à tout le monde, (car tous ne ſont pas auſſi clair- „ voyans que M. Petit), je me ſuis contenu dans les termes populaires, „ évitant toutes diſcutions.

„ Ai-je pû, Monſieur, m'attendre à des reproches auſſi peu mérités „ de ma part, que ceux de la lettre & de l'expoſé que vous fait M. Pe- „ tit. Cependant, Monſieur, je demeurerai tranquille & content ſi je „ puis vous avoir perſuadé, & tout votre Illuſtre Corps, de la reſpec-

„ tueuſe ſoumiſſion que j'ai pour ſes ſçavantes déciſions, & vous, Mon-
„ ſieur, du reſpect ſingulier avec lequel j'ai l'honneur d'être

Monſieur,

Votre très humble & très obéiſſant
Serviteur, HECQUET.

Le 19. Fevrier 1729.

Je ne ſçai ce que M. Hecquet eſperoit de cette lettre. S'imaginoit-il qu'on l'en croiroit ſur ſa parole, parce qu'il dit qu'il a jetté ma lettre au feu ? Eſperoit-il de faire recevoir par une ſi ſage Compagnie tout ce qu'il lui débiteroit ? Il eſt difficile de comprendre comment un homme que ſa pieté a fait retirer du monde, a pû ſe réſoudre à changer toute ma lettre en des expreſſions auxquelles je n'ai jamais penſé, & que du fond de ſa retraite il faſſe retentir des plaintes ſi amères. Ma lettre ne dit point qu'il eſt un ignorant en Anatomie, je lui mande, il eſt vrai, qu'il paroit qu'il ne ſçait point l'anatomie de l'œil. Il auroit eu raiſon de s'en fâcher, ſi cette lettre eut été deſtinée à être renduë publique, & j'aurois eu tort de n'avoir pas mieux menagé les termes. Voila en quoi elle auroit été impolie & dure. Toute ma lettre eſt d'ailleurs très obligeante. Mais je veux croire qu'il l'ait jettée au feu, comme il l'aſſure ; il faut donc, que ſon imagination la lui ait enſuite repréſentée toute autre qu'elle n'étoit. Elle lui a paru dure & hautaine, parce que j'ai eu la témerité de m'imaginer que j'étois capable de lui montrer quelque choſe ſur la ſtructure de l'œil ; il l'a trouvée encore hautaine, parce que je lui offre de concerter avec lui, les moyens de mettre à couvert bien des choſes qui paroiſſent peu convenir avec la véritable ſtructure de l'œil ; c'eſt ſans doute dans ſon imagination, & nullement dans ma lettre, qu'il a trouvé, que pour le redreſſer, je lui offre de faire porter chez lui à mes dépens, tout ce qui ſeroit néceſſaire pour lui donner des leçons ; comment lui aurois je parlé de mes frais ? Mrs. Andry, Coutier, & d'autres, qui ont bien voulu avoir ces ſortes de démonſtrations, qui ont même eu la modeſtie de croire, qu'elles pouvoient leur apprendre quelque choſe, ſçavent le peu d'appareil qu'elles demandent. L'attirail néceſſaire péſe au plus une livre, & garnit à peine la moitié du fond d'un chapeau, & la dépenſe en eſt faite il y a long tems ; mais afin de faire voir la difference qu'il y a entre la lettre, que j'ai écrite à M. Hecquet & celle qu'il a ſubſtituée, je les ai luës toutes deux le 23 Fevrier à l'Academie, Mrs. de Reaumur, Winslow & Morand, certifierent que ma lettre étoit la même que je leur avois lû au mois de Janvier, en leur parlant de ce que M. Hecquet avoit écrit ſur les yeux ; la compagnie fit paroître

ſon

ſon étonnement ſur un changement ſi extraordinaire ; je lûs enſuite les réflexions ſuivantes.

Reflexions de M. PETIT, *Medecin, ſur la lettre que M.* HECQUET *a écrit à M.* DE FONTENELLE, *pour lire à l'Academie des Sciences.*

ON voit par toute la ſuite de ma Lettre que je n'ai cherché, qu'à traiter amiablement avec M. Hecquet, & lors que je lui ai écrit qu'il paroit qu'il ne ſçait point l'Anatomie de l'œil, je n'ai pas eu deſſein de lui en faire reproche. L'on ſçait qu'il ne s'eſt jamais propoſé d'employer à la diſſection de cette partie, le tems néceſſaire pour en bien reconnoitre la véritable ſtructure. J'ai plutôt voulu faire tomber ce reproche ſur des gens, aux lumiéres deſquels il a crû devoir s'en rapporter, & avec leſquels il a un grand commerce & une liaiſon particuliére. Ce ſont eux qui lui ont fait croire, que le Criſtallin eſt au milieu de l'œil. Ce que j'en ai dit dans les Mémoires de l'Academie auroit cependant du tenir M. H. en garde contre cette opinion. Ces gens là auront entendu dire que j'ai demandé des Commiſſaires pour mon Manuſcrit ; Cela leur a peut-être donné lieu d'inſinuer à M. H. que j'avois fait des plaintes contre lui : mais je n'en ai fait aucune. M. H. dit que je le traite d'ignorant en Anatomie, que je lui offre de faire apporter à mes dépens, dans le lieu de ſa retraite, tout ce qui ſeroit néceſſaire pour lui donner des Leçons. L'on vient de voir qu'il n'y a rien de tout cela dans ma lettre ; Il y a bien de la difference entre dire à un Auteur, *il eſt aiſe de voir, que vous ne ſavés pas l'Anatomie de l'œil, permettés moi de vous le dire*, ou de le traiter d'ignorant en Anatomie ; mais ſuppoſé qu'il ait lieu de ſe plaindre de mon peu de politeſſe ; du moins ne peut il pas ſe plaindre que j'aye rien avancé contre la vérité ; on s'en apperçoit très-bien dans toute la ſuite de ſes Remarques, ſur l'utilité de la ſaignée dans les maladies des yeux. D'ailleurs, comment a-t-il pû s'offenſer d'un offre obligeante que je lui fais d'aller chez lui, pour lui démontrer l'œil avec toutes les expériences que j'ai faites à l'Academie ? Peut on être trop habile dans l'Anatomie d'une partie dont on veut traiter les maladies ? Il n'y a aucun lieu de douter, que M. Hecquet ne ſe ſoit laiſſé ſurprendre ; Il eſt trop homme d'honneur pour en impoſer de lui-même à un Corps ſi reſpectable ; Car de transformer toute ma lettre en termes par leſquels il ſemble, qu'il veuille ſemer la Zizanie, ſouffler la diſſention & la diſcorde, c'eſt un procedé trop irrégulier pour être d'un auſſi honnête homme que lui.

M.

Landesbibliothek Oldenburg

M. H. dit: „ que ma lettre ſeroit ſa juſtification, ſi par conſcience, „ pour l'honneur d'un membre de l'Academie, il ne s'étoit crû obligé „ de la ſupprimer ſur le champ, en la mettant au feu. "

Si c'étoit un autre que M. H. ne nous donneroit il pas lieu de ſoupçonner qu'il a crû ſe mettre en état de pouvoir, ſans crainte d'être convaincu de faux, avançer au ſujet de ma Lettre tout ce qu'il lui plairoit : car en la brûlant ce n'eſt point ſa juſtification qu'il a brûlé, c'eſt ſa propre condamnation.

Ne voit on pas bien que ſi cette Lettre eut pû ſervir à ſa juſtification, il l'auroit conſervée, il en auroit envoyé une copie à l'Academie, avec promeſſe de repreſenter l'original en cas de diſcution.

M. H. dit qu'il n'a point penſé à moi, & qu'il ne m'attaque point. Mais n'eſt ce point attaquer un Auteur que d'attaquer ſes ſentiments? Il combat mon hypothéſe de la cataracte, il ſe déclare entierement pour la cataracte membraneuſe, il donne une ſituation au Criſtallin toute differente que celle que je lui ai donnée à l'Academie, & qui eſt eſſentielle pour ma nouvelle methode d'abattre la catataracte, puiſque c'eſt ſur cette ſituation du Criſtallin qu'elle eſt fondée.

M. H. prétend, que pour ſe faire entendre il s'eſt contenu dans les termes populaires, je n'en ai point remarqué dans ſon ouvrage. Il ne s'eſt point propoſé d'écrire pour le peuple, il a écrit pour les Sçavants. Il eſt vrai qu'il s'eſt ſervi de quelques termes qu'il auroit pû mieux employer, mais ils ne ſont point populaires, laiſſons pourtant ces bagatelles, il y a bien d'autres choſes de plus grande conſequence dans ſon Traité, qu'il corrigera, ſans doute, dans une nouvelle édition, pour le rendre plus utile au public.

Cette Lettre étant faite, M. de Fontenelle fut chargé de mander à M. H. quelles étoient mes intentions pour lui. Le 9. de Mars, M. de Fontenelle lût à l'Academie la Lettre ſuivante.

Monſieur,

„ Je reçois avec autant de reconnoiſſance que de reſpect les marques „ de bonté dont vous m'honorés de la part de vôtre illuſtre Compa- „ gnie, je lui dois le plaiſir & la ſatisfaction de me voir remis dans les „ bonnes graces de M. Petit, le Medecin, leſquelles je n'avois pas méri- „ té de perdre; mais outre, qu'il m'auroit été conſiderable par cela „ ſeul, qu'il a l'honneur d'appartenir à un auſſi reſpectable Corps, ſon „ mérite perſonnel, & l'obligation que lui ont les beaux arts, dont, „ Meſſieurs, vous êtes les protecteurs, ne m'auroient jamais permis de „ ſortir des égards qui lui ſont dûs. Je veux même me perſuader „ que l'on a groſſi quelques expreſſions qui m'étoient revenuës comme „ échappées de ſa part contre moi; & me confiant, M. dans l'aſſurance

„ que

„ que vous me faites l'honneur de me donner de ſes diſpoſitions à mon
„ égard, j'eſpere qu'il me permettra de me compter d'orénavant parmi
„ ceux qu'il veut bien mettre au nombre de ſes amis.

„ Je vous ſupplie M. de bien aſſûrer votre illuſtre Compagnie de ma
„ reconnoiſſance & de mon profond reſpect.

„ Mais je vous dois, M. en particulier un remerciement pour la bon-
„ té, avec laquelle vous avés bien voulu agréer le Traité des Amers
„ que j'ai pris la liberté de vous envoyer, en vous ſuppliant de trou-
„ ver bon que j'aye l'honneur, n'étant plus en état de ſortir moi-même,
„ de vous envoyer, lorſqu'il ſera imprimé, le petit ouvrage qui eſt ac-
„ tuellement ſous preſſe; Je ſuis avec reſpect,

Monſieur,

Votre très humble & très obeiſſant
Serviteur HECQUET.

Le 9. Mars 1729.

Je croyois après cela que M. H. reſteroit tranquile, d'autant plus que dans la diſſertation que j'ai fait imprimer chez Chaubert, il n'y a rien que d'honnête & d'obligeant pour lui. Devois je m'attendre, qu'il feroit imprimer tout ce qu'il a mis à la ſuite de ſa 5. Lettre inſerée dans ſon Traité de la digeſtion? voyés le p. 614.

„Je n'aurois rien à ajoûter à ma Lettre, ſi M. Petit s'étoit abſtenu
„ de faire mention de celle qu'il m'a écrite la deſſus; & que j'aurois
„ voulu qu'il eut enfermé dans le ſilence, comme j'ai fait alors en la
„ brûlant, pour la derober à la connoiſſance des gens de lettres, devant
„ qui certainement elle ne lui auroit pas fait honneur, tant le ſtile &
„ les expreſſions y étoient peu ménagées; en m'imputant, par exemple,
„ ſur la ſituation du criſtallin, d'avoir avancé des choſes auxquelles je
„ ne ſongeai jamais; il m'accuſoit d'ignorance en Anatomie; & pour
„ me redreſſer, il avoit la bonté de s'offrir à me donner là deſſus des
„ leçons à ſes frais & dépens: ſa lettre continuoit dans ce même de-
„ gré de politeſſe &c. „

Je vous prie M. d'obſerver que M. H. a brûlé ma Lettre *pour l'enfermer dans le ſilence*, & neanmoins il l'envoye toute défigurée à l'Academie, puis il la fait imprimer. Il prétend en avoir le droit parce que, dit il, *je ne me ſuis pas abſtenu de faire mention de celle que je lui ai ecrite*, & moi de mon côté, c'eſt cette addition qui m'oblige de faire imprimer cette diſſertation.

Vous me dites M. que je n'y gagnerai rien, que M. H. ne manquera pas de dire que j'ai changé moi-même ma Lettre. Mais il y a trop

d'honnêtes gens qui l'ont vûe au commencement de Janvier, dans un tems où je ne pouvois pas prévoir tout ce qui eſt arrivé depuis, & que je me verrois contraint de la faire imprimer; que dira-t-il lorſque M. de Reaumur, Winslow, Morand, Andry & d'autres le certifieront par écrit? Encore un coup, croyons qu'il l'a brulée; j'ai bien de la peine à me perſuader, que ce ſoit par un principe de conſcience. Mais quand il ne ſe ſeroit pas aviſé de la bruler, comme cela peut être, je doute qu'il eut voulu montrer une Lettre où on lui offroit de lui donner tous les éclairciſſemens poſſibles par rapport à une matiere ſur laquelle il lui importoit d'être inſtruit, & je doute, ſur tout, qu'il eut voulu faire connoitre d'avoir refuſé de pareils éclairciſſemens.

En voila aſſés ſur cette affaire: paſſons à d'autres points plus utiles, & faiſons quelques remarques, ſur ce que M. H. a donné touchant les maladies des yeux, dans ſon Traité des Amers & dans celui de la digeſtion.

Examinons d'abord comment ſe forme, ſelon lui, la cataracte membraneuſe, dont il devient le Protecteur dans ſes remarques ſur l'utilité de la ſaignée, &c.

Après avoir fait voir que ce „ ſont les artéres lymphatiques [1] qui „ tranſmettent les humeurs dans la capacité ou la chambre de l'œil (*d*) „ il dit que ſi le ſang ſe trouve dégéneré de ſa craſe ou de ſon état naturel, il communiquera ſes impuretés [2] „ aux humeurs des yeux, ſur- „ tout à la criſtalline & à l'aqueuſe; elles en terniront la diaphaneité... „ Ne pourra-t-il pas ſe former dans la lymphe criſtalline, ou dans les „ humeurs vitrées & aqueuſes [3], plus d'une ſorte d'épaiſſiſſement, ou de „ nuages par les molécules, ou concretions bizarres, comme des floc- „ cons voltigeans... ou des atomes volans, qui annoncent ordinaire- „ ment des cataractes. Et à la page 256. [4] ne devient pas croyable „ que c'eſt en elle (l'humeur aqueuſe) qu'apparoiſſent ces atomes volans „ qui annoncent une cataracte, & qui peuvent jetter les fondemens „ de cette maladie dans l'humeur aqueuſe. Y nageant donc d'abord comme „ de legers floccons, il s'accrocheront enfin l'un l'autre à meſure qu'il „ s'en accumulera plus, qu'il n'en peut être reporté par la circulation... „ Ils doivent former un corps étranger [5], lequel interpoſé entre le criſtal- „ lin & la prunelle, fera une cataracte [6]. Vous me trouvés peu à la „ mode, M. en autoriſant ainſi le ſyſtême des anciens, oppoſé à ce- „ lui des modernes [7], qui mettent le ſiége de la cataracte dans le criſtal- „ lin; mais je ſuis ſur les routes de la nature, j'aime à les ſuivre, „ &

[1] Pag. 221.

(*d*) On ne dit point chambre de l'œil, on dit les chambres de l'humeur aqueuſe, diviſées en chambre antérieure & en chambre poſtérieure.

[2] p. 224. [3] 225. [4] 256. [5] 267. [6] 268. [7] Voyés le journal des ſçavants 1729. Avril.

Landesbibliothek Oldenburg

„ & quand en même tems je trouve les Anciens concertés avec elle, j'ai „ (je vous l'avoue) du penchant à penſer comme l'un & l'autre.

M. H. donne enſuite une nouvelle cauſe de la cataracte de ſa façon. „ C'eſt une oſcillation inſenſible [8], mais continuelle & efficace dans ces „ tuniques (de l'œil) comme dans celle des arteres qui preſſe l'humeur „ aqueuſe vers le centre de l'œil où eſt le criſtallin, au moyen de la- „ quelle s'exerce ſur la ſurface de ce corps eſſentiellement diaphane, „ un roullement ou frottement mou, doux, lent & continuel qui en fait „ la poliſſure, & entretient la tranſparence & la limpidité... Ce même frottement ſourd „ peut détacher des atomes membraneux de la tunique „ qui enveloppe le criſtallin... qui ſe prennent [9], s'uniſſent, & ſe corpori- „ fient ſous la forme de pellicule, ou de membrane; Car l'action ſyſtal- „ tique du globe de l'œil [10] tenant ramaſſés vers le centre où eſt le criſtal- „ lin, ces floccons legers & plians, & ceux-ci pouſſés continuellement „ contre lui, & perpetuellement roulés ſur ſa ſurface, y trouveront „ continuellement un point d'appui, ſur lequel ſe frottant & ſe preſſant „ mollement, ils s'épaiſſiront en s'applaniſſant ſur cette ſurface, & voila „ une cataracte membraneuſe „.

M. H. prétend donc que la même oſcillation, le même mouvement ſyſtſaltique des membranes qui ſert à polir la partie antérieure du criſtallin, c'eſt-à-dire à empêcher qu'il ne s'amaſſe rien ſur cette partie qui en puiſſe ternir la tranſparence, & qui peut détacher des atômes membraneux de la tunique qui enveloppe le criſtallin, ſert auſſi a y ramaſſer ces mêmes atômes, & y produire un corps opaque. Méchanique très ſinguliere, & dont on pourra peut-être ſe ſervir pour faire remonter une telle cataracte, en cas qu'elle pût être abbatuë ſans déchirer la capſule du criſtallin, ce qui ne ſe peut; & ſitôt que cette capſule ſera ouverte, le criſtallin ſortira d'abord de ſon chaton, il s'avancera ſur la partie poſtérieure de l'uvée, où il s'appliquera, & en cet endroit il troublera la viſion. J'ai d'ailleurs prouvé, qu'on ne peut abbattre une cataracte membraneuſe par la methode ordinaire ſans briſer le criſtallin. Après avoir ſi bien établi la production d'une cataracte membraneuſe M. H. ſe déclare [11] derechef pour ce ſiſtême, comme ſi ce qu'il a dit à la page 268. ne ſuffiſoit pas.

„ Je ſens bien, „ dit il [12], „ que c'eſt me déclarer pour l'ancien ſyſtême, „ je trouve le ſentiment tant prouvé [13] par la maniere d'operer des plus „ habiles praticiens ſur cette maladie, & par toutes les reflexions con- „ firmées par un long uſage, & une ſuite conſtante d'obſervations, „ qu'il ne paroit pas ſeur d'abandonner ce ſentiment pour y ſubſtituer „ l'opinion renouvellée de quelques ſçavants modernes, qui mettent le „ ſiege de la cataracte dans le criſtallin... [14], Il me paroit que la mede- „ cine doit prendre, au ſentiment qui met le ſiege de la cataracte dans

[8] p. 274. [9] 275. [10] 276. [11] 176. [12] 176. [13] 177. [14] 179.

„ l'humeur aqueuſe, un interêt d'autant plus ſingulier, que rien ne „ rend tant ſenſible l'utilité de l'arteriotomie.

Peut on ſe déclarer plus fortement & d'une maniere plus poſitive pour „ la cataracte membraneuſe „. Cependant [15] M. H. nous dit hardiment dans ſa 5 lettre inſerée à la fin de ſon Traité de la digeſtion „ qu'il „ n'a jamais ſongé à donner la moindre atteinte au fond du ſyſtéme des „ cataractes criſtallines. Je l'ai crû, dit-il, ſi parfaitement démontré par „ tout ce qui a été publié la-deſſus dans les mémoires de l'Academie, „ & en particulier par le célébre M. Petit, Medecin, que je ne me ſuis „ occupé que de pourvoir à la cure d'une maladie, qui m'a paru de- „ venir d'autant plus équivoque, que l'opération qui en eſt le ſeul re- „ mede ordinaire, eſt montrée incertaine, difficile, & d'autant plus dan- „ gereuſe, qu'il devient démontré que la plus part des cataractes ſont „ criſtallines. „

Voila donc M. H. preſque des Nôtres. Voila „ les routes de la nature delaiſſées. Voila „ les Anciens „ dont on s'eſt bien ſervi, abandonnés, & en particulier le pauvre „ Mercurial qui mérite bien qu'on „ lui ſacrifie quelques obſervations encore neuves & légeres, ſi on les „ compare à celles de tant de ſiecles, & de tant d'illuſtres Praticiens (*e*)

C'eſt un bonheur pour nous que M. H. ne trouve pas aujourdhui ces obſervations ſi légeres, puis qu'il déclare [16] „ qu'il ſe trouve vingt „ criſtallins à abbattre pour une cataracte membraneuſe. „

Le ſyſtème des cataractes criſtallines eſt donc vingt-fois plus fort que celui des cataractes membraneuſes. Ce ſeroit pourtant dommage de voir tomber ſi promtement, dans une diſgrace entiere, cette cataracte membraneuſe; M. H. n'a garde de l'abandonner abſolument, il ne la laiſſera échapper que par force. Il croit pouvoir la retenir par quelque endroit, il ne manque pas de reſſource. Il dit „ avec cet air de „ confiance & d'aſſertion, prononcé comme de deſſus le trépied (*f*). „ Mais „ il eſt auſſi vrai que l'opération d'abattre un criſtallin eſt vingt fois „ plus dangereuſe, que celle d'abbattre une cataracte membraneuſe.

Voyons ſi cela eſt vrai. M. H. a dit que „ l'opération eſt montrée in- „ certaine, difficile, dangereuſe, pour deux raiſons. [17] La principale, c'eſt „ qu'en matiere de cataractes à abbattre, la précaution la plus ſingulie- „ rement recommandée dans les ſiecles paſſés, a conſtamment été d'evi- „ ter d'atteindre aucunement le criſtallin par la pointe de l'aiguille, & „ ceci regarde la cataracte membraneuſe. „

De

[15] p. 585.

(*e*) Remarque ſur l'utilité de la ſaignée, p. 228.

[16] 5. lettre, p. 598.

(*f*) Expreſſion dont M. H. ſe ſert contre M. Silva, p. 325. Traité de la digeſtion.

[17] p. 585.

Dequoi sert cette raison, si c'est une cataracte cristalline qu'il faut abbattre, que selon lui, sur 21 operations il y en a 20 pour les cataractes cristallines, & qu'on ne peut distinguer l'une de l'autre. La seconde raison est „ de se bien assurer contre la remontée de la cataracte, „ quand l'aiguille l'a bien précipitée... Il devient donc manifeste, qu'il „ est d'autant plus à craindre que le cristallin ne remonte après l'opé„ ration, quoique bien faite, qu'il est moins facile à un corps rond de „ se laisser précipiter, & de rester précipité dans un fluide, qu'à une „ matiere membraneuse, qui aura été tortillée, puis assujettie dans le fond „ de ce fluide. „

J'ai pourvû à cet inconvenient, j'ai demontré (*g*) en quel endroit il falloit percer l'œil, & cet endroit n'est pas si difficile à rencontrer qu'on se l'imagine, pourvû qu'on se soit exercé sur des yeux de cadavres, comme je l'ai fait voir à quelques medecins de mes amis. Ils ont remarqué avec surprise, que lors que j'ai voulu percer l'œil à deux lignes & demi, j'ai souvent rencontré juste, & que je ne m'écartois quelques fois que d'un demi quart de ligne [18]. J'ai encore fait voir de quelle maniere il faut conduire l'aiguille pour placer le cristallin, ensorte qu'il ne puisse remonter. Si l'operation est faite suivant les regles que je propose, le cristallin ne remonte point, ce qui est confirmé par l'expérience. Mais M. H. se trompe s'il croit, qu'on précipite le cristaliln dans l'humeur aqueuse. Le cristallin se place au fond de l'humeur vitrée, où il ne flotte point. L'humeur vitrée a de la consistance; & lors que le cristallin n'y est pas entierement enveloppé, il est repoussé vers son châton par le ressort de cette humeur. Mais lors qu'il y est tout à fait enveloppé, il ne peut plus remonter. [19] M. H. rapporte ailleurs une raison qui pourroit prouver avec plus de solidité (si elle étoit vraye) que l'opération d'abbatre un cristallin est vingt fois plus dangereuse [20] que celle d'abbatre une cataracte membraneuse.

„ C'est, „ dit-il, [21] „ parce qu'il faut rompre les attaches du cristal „ lin, & ces attaches ne sont rien moins qu'un ligament (ligament ci„ liaire) tout vasculeux, tissu d'un million de vaisseaux sanguins... On „ doit juger des accidens, dont menace le détachement du cristallin, „ ils sont terribles; Mais ces maux qui ne sont presque que des me„ naces dans l'opération des vrayes cataractes, se trouvent si réelle„ ment attachés à l'opération qui abbat les cristallins, que celle-ci paroit „ formidable quand on considere la structure naturelle des parties. „

Le système de M. H. n'est pas heureux en ressource; si cet auteur m'avoit vû démontrer la structure de ces parties, comme je l'ai fait voir à l'Academie. & à plusieurs de ses amis; S'il l'avoit examiné &

(*g*) Mem. de l'Acad. 1726. p. 262. & suiv.
[18] ibid. [19] p. 595. [20] 596. [21] 597.

Landesbibliothek Oldenburg

bien compris dans la lettre imprimée chez Chaubert ; il auroit trouvé tout le contraire de ce qu'il avance. Il auroit vû que le criſtallin eſt enfermé dans une capſule à laquelle il n'eſt adhérant par aucun endroit, il en eſt pour l'ordinaire ſéparé par une très-petite quantité de liqueur qui ſe trouve renfermée dans ſa capſule. C'eſt à cette capſule que le ligament ciliaire eſt attaché ; il auroit vû que dans l'opération je ne touche jamais au ligament ciliaire, ni au proceſſus ciliaire ; on n'a qu'à regarder la figure de l'œil entre M & S & portant la pointe de l'aiguille en F je ne cours aucun riſque de bleſſer les vaiſſeaux du ligament ciliaire B I & du proceſſus ciliaire M E (*b*) Mais ſi l'on veut pouſſer l'aiguille dans la chambre poſtérieure ſans toucher au criſtallin pour y chercher & abbattre la pretenduë cataracte membraneuſe, il faut percer l'œil à une ligne du rebord de la cornée, entre M & B comme a fait Fabrice d'Aquapendente. Il eſt impoſſible pour lors d'éviter ce million de vaiſſeaux dont parle M. H. car on perce toujours le ligament ciliaire & le paquet de vaiſſeaux qui joint le ligament & le proceſſus ciliaire. Je puis donc aſſurer le contraire de ce que M. H. a avancé, je puis donc dire que l'opération de la cataracte criſtalline eſt vingt fois moins dangereuſe que celle de la cataracte membraneuſe, ſuppoſé qu'il y en eut, & qu'on pût les diſtinguer des criſtallines ; la piquure du criſtallin n'eſt ſuivie d'aucun accident ; ce n'eſt point le criſtallin qui a occaſionné les deſordres rapportés dans l'obſervation de la bibliotheque chirurgicale de Manget p. 573. & cittée par M. H. p. 596. c'eſt l'irritation excitée dans les autres parties. Lors qu'on veut vuider un œil, le plus ſur eſt de couper la ſclerotique tout autour de la cornée, à une ligne de ſon rebord, & emporter cette cornée. Si le chirurgien s'y fut pris de cette maniere, il auroit évité tous les accidents : car pour lors la ſclerotique ſe met peu à peu dans une grande contraction, pouſſe dehors le criſtallin, & l'humeur vitrée, ce qui vuide entierement l'œil ſans peine & ſans irritation.

Voyons préſentement de quelle maniere M. H. croit que ſe forment les cataractes criſtallines. Il dit [22] „ que les cataractes dépendent bien „ plus de l'intérieur du corps, que de la léſion locale de l'œil, qui ne „ ſe bleſſe & ne s'obſcurcit guére qu'autant qu'il eſt comme aſſailli par „ trop de ſang, ſoit par ſa partie rouge, qui lui porte trop de lymphe, „ ſoit par ſa partie blanche, dont l'affluence fait l'embarras dans les „ vaiſſeaux, & l'amas dans les chambres de l'œil... [23] Ces ſucs ve- „ nants à croupir dans les vaiſſeaux ou dans leur cavité ſeront „ des cauſes nouvelles d'épaiſſiſſemens dont ſe formeront des con- „ cretions ou des pellicules, & ces epaiſſiſſemens feront des cataractes „ ou

(*b*) V. les Mem. de l'Acad. 1725. & 1726.
[22] p. 608. [23] ibid.

„ ou cristallines, ou membraneuses... Mais les unes & les autres ayant „ originairement la même cause „.

Voila donc les cataractes cristallines causées par un flux & un dépôt d'humeur. M. Morgagni croit au contraire [24] que le deffaut de la liqueur qui se trouve entre le cristallin & sa capsule, produit le desséchement, & l'opacité du cristallin. Mais la cataracte, soit qu'elle soit molle, soit qu'elle soit ferme, n'est point produite, ni par le dépôt d'humeur sur le cristallin, ni par le deffaut de la liqueur qui se trouve entre le cristallin & sa capsule. J'ai toujours trouvé dans les cadavres tous les cristallins cataractés, humectés à leur partie extérieure de cette liqueur naturelle. Le cristallin ne se desseche point absolument dans l'œil, comme un cristallin que l'on expose à l'air, que par le deffaut de l'humeur aqueuse; & pour lors l'opération est impossible. C'est ce que j'ai reconnu par plusieurs observations pareilles à une des deux que j'ai envoyées à M. Brisseau en 1708 & qu'il a inserées dans son Traité de la cataracte, imprimé en 1709 p. 161. Il rapporte de pareilles observations p. 215 & 252. Le depôt d'humeur devroit augmenter le volume du cristallin, neanmoins en quelque état que l'on trouve une cataracte, soit molle soit ferme, dans les yeux d'un cadavre, le cristallin se rencontre toujours plus petit qu'il n'est naturellement. J'en ai examiné un assés bon nombre dans les Hôpitaux du Roy, à l'Hôtel-Dieu, & à la Charité. J'en ai démontré à l'Académie, j'y ai toujours fait voir le cristallin plus petit que le naturel. C'est ce que l'on peut aussi remarquer dans les deux observations de Cataractes que j'ai envoyées à M. Brisseau, dont je viens de parler. M. Antoine en rapporte dans son Traité des maladies des yeux chap. 3. obs. 4. & 5. M. Meri a aussi trouvé le cristallin plus petit. Mem. de l'Acad. 1707| p. 499. & 1708 p. 243. Je l'ai même remarqué dans des cataractes qui ne faisoient que commencer, soit par des marques blanches au centre du cristallin, soit par une opacité légere répandue dans la plus grande partie du cristallin. Bien plus, c'est que cette maladie arrive le plus souvent à des personnes qui sont d'un assés bon temperament, & qui ne sont point sujettes à être malades; elle vient pour l'ordinaire d'une maniere insensible, de sorte qu'il arrive assés souvent que des gens ont eu des cataractes depuis long-tems à un œil sans s'en être apperçû que par hazard, ou lors qu'on le leur a fait remarquer; Je connois plusieurs personnes dans ce cas; c'est ce qui a fait croire à quelques uns que cette maladie leur étoit venuë subitement. La cataracte est causée par la contraction contre nature des muscles & des membranes de l'œil, qui compriment le cristallin, & qui en rapprochent les parties, & suivant que cette pression est plus ou moins uniforme & plus ou moins forte, le cristallin se durcit

[24] Adors 6. p. 90.

cit ou se ramollit selon la disposition où il se trouve, ce qui est occasionné par la trop grande attention à la lecture & à examiner les choses fines, sur lesquelles l'on travaille. C'est ce que je prouverai dans un memoire que je donnerai à l'Academie; s'il arrive quelque cataracte à la suite des fluxions ou des inflammations, ou des coups reçûs sur l'œil, ces sortes de causes font un si grand derangement dans l'interieur de l'œil, qu'il n'est pas sûr d'en entreprendre l'opération. Après cela, il est aisé de juger s'il y a beaucoup à esperer de l'arteriotomie, des saignées de quelques veines que ce puisse être, & des remedes intérieurs pour en empecher le progrès, ni de cette paracenthese, abandonnée comme inutile, par laquelle on veut évacuer l'humeur aqueuse, parce que dans ce cas, on la croit trouble & capable de produire une cataracte, ni par aucune injection pour nétoyer les chambres de l'humeur aqueuse, & qui produiroit des accidens terribles. Je recommande seulement, pour éviter le progrès des cataractes, de s'abstenir de lire longtems, de ne s'attacher à aucun ouvrage qui demande une grande attention de la vuë, de ne point se présenter à la grande lumiere, soit du soleil, soit du feu, parce que l'irrégularité avec laquelle les rayons rentrent dans un œil où il y a une cataracte commencée, occasionne de fortes contractions qui augmentent la pression, & qui peuvent même en produire dans l'autre œil où il n'y en a pas encore.

Il n'en est pas de même de la cause de la goutte sereine. Cette maladie est produite par un engagement d'humeur, soit dans les nerfs, soit dans les vaisseaux; elle vient quelque fois par degré & souvent subitement. Je n'entrerai point dans toutes les causes de la goutte seraine, on peut les voir à la fin du traité de la cataracte de celébre Heister; Je ne parlerai que de la saignée du pied, que l'on dit avoir causé des gouttes sereines. M. H. dit (*i*) „ qu'on, a vû quelques fois la vuë se „ perdre tout d'un coup dans le tems d'une saignée du pied, comme „ si le sang qui couloit alors, avoit dérobé les esprits visuels; mais „ c'étoit une saignée accélerée, pratiquée sans la précaution d'avoir sai- „ gné au bras. „

Nous avons des observations de gouttes seraines arrivées après la saignée du pied, mais non pas aussi subitement que M. H. le dit. Toutes celles qui sont venuës à ma connoissance ne sont survenuës que le lendemain de la saignée. Dans les unes, la saignée du pied avoit été précedée d'une saignée du bras, dans les autres de deux ou trois saignées du bras; Ce même accident est survenu à d'autres personnes après la saignée de la gorge, après la saignée de la preparate, & même après la saignée du bras. J'ai fait faire un prodigieux nombre de saignées de toutes les sortes dans les Hôpitaux du Roy, je n'ai jamais vû arriver de goutte se-

(*i*) Remarque sur l'utilité de la saignée, p. 244.

ſeraine à la ſuite d'aucune ; cette cauſe ne paroit pas avoir été connuë des Anciens. Il eſt difficile de ſe perſuader, que la goutte ſeraine puiſſe être cauſée par une ſaignée ; on ne peut décider ſi elle ne ſeroit ,, point ,, arrivée indépendamment de ces ſaignées. ,, Après cela M. H. n'a pas raiſon de dire que ,, c'eſt une ſaignée accélerée, pratiquée ſans la pré- ,, caution d'avoir ſaigné du bras. ,, Il donne même une explication de la maniere dont cela ſe fait, il croit ,, qu'une ſaignée du pied dimi- ,, nuant le volume de la colomne du ſang, qui en ſoutient la circula- ,, tion dans les parties ſupérieures, il arrive que le ſang qui étoit ra- ,, lenti & en congeſtion dans les vaiſſeaux du cerveau, ſe deplace, s'en- ,, gage & s'affaiſſe tout d'un coup ſur les membranes, & dans les vais- ,, ſeaux des yeux. ,,

Il paroit, que M. H. n'eſt plus de ce ſentiment comme on peut le remarquer dans la reponſe qu'il fait à M. Sylva, p. 291. où il tâche de prouver, que l'effet de la ſaignée du pied ne remonte pas plus haut que le cœur. Il en donne la raiſon ſuivante : ,, le cœur interpoſé entre ,, l'aorte aſcendante & deſcendante, interrompt le contact de l'une avec ,, l'autre ; la ſaignée du pied dégage donc la deſcendante, ſans pouvoir ,, atteindre l'aſcendante, ni les ſouclavieres. C'eſt pourquoi la preſſion ,, du ſang demeurant la même dans les arteres ſupérieures, elle de- ,, meurera la même vers le cerveau. ,, M. H. dit encore [25] : ,, Cette co- ,, lomne (du ſang) ne ſera point continuë avec le cerveau, parce qu'elle ,, ſera coupée en quelque endroit, & cet endroit n'eſt pas imaginé ; il ,, eſt auſſi réel que le cœur dont le ventricule gauche, comme une ,, foſſe, doit fauſſer la marche du ſang, & les valvules, comme des di- ,, gues, rompre la continuité de cette colonne. ,,

Il eſt ſi certain de cette ſtructure qu'il aſſure [26] ,, qu'on ne doit jamais ,, perdre de vuë ces reflexions anatomiques, qui perſuaderont les lec- ,, teurs attentifs, & de bonne foi, contre les illuſions, que peuvent ,, faire des raiſonnemens adroitement faits ſur la diſtribution des vaiſ- ,, ſeaux. ,,

Selon M. H. la ſaignée du pied ne doit donc produire aucun changement à la circulation du ſang qui eſt dans le cerveau, donc elle ne peut produire la goute ſeraine. Mais où M. H. a-t-il appris que ,, le ,, cœur eſt interpoſé entre l'aorte aſcendante & deſcendante, & qu'il ,, en interrompt le contact ,, ce n'eſt pas certainement ſous les yeux & aux pieds du Gamaliel de nos jours (*k*) : il auroit bien fait de conſulter un ſi habile anatomiſte. Il lui auroit dit que l'aorte en ſortant du cœur, ne forme qu'un ſeul tronc, qui s'étant un peu élevé vers la partie ſupérieure, ſe baiſſe enſuite vers la partie inférieure, en ſe dé-

[25] p. 293. [26] 292.

(*k*) Expreſſions dont M. H. ſe ſert en parlant de M. du Verney, pag. 615.

tournant du côté gauche, & par le contour qu'elle fait, produit une crosse; c'est de la partie supérieure de cette crosse que sortent les sous-clavieres, & la carotide gauche; car pour la droite elle est produite par la souclaviere droite. Il lui auroit encore fait voir, qu'il n'y a point de valvules entre l'aorte ascendante & la descendante. Peut-être que M. H. qui a refusé de voir la structure de l'œil, connue encore de peu de personnes, & qui est d'un grand secours lors qu'on se méle d'écrire sur les maladies des yeux, voudra bien me pardonner la liberté que je prens de le remettre dans la route de l'aorte, qui lui a été, sans doute, autres fois connuë. Connoissance dont on a absolument besoin, aussi bien que de tous les vaisseaux du corps, pour déterminer l'usage de toutes les saignées, mais dont il ne reste aucune trace à M. H. comme on peut le reconnoitre dans plusieurs endroits de ses ouvrages, où il a voulu parler méchanique. Je n'ai pas le tems de les détailler, cela m'éloigneroit de mon sujet. Je le laisse à M. Sylva qui y est le plus intéressé. Il aura un beau champ pour se servir de l'habileté de M. Winslow.

M. H. se plaint dans sa 5 lettre, que je lui reproche d'avoir dit que le cristallin est au centre du l'œil [27]. Il le dit dans deux endroits de ses remarques sur l'utilité de la saignée, dans les maladies des yeux, voici ses propres termes: „ C'est une oscillation insensible mais conti-„ nuelle & efficace, qui presse l'humeur aqueuse vers le centre de l'œil „ où est le cristallin. . . [28] Car l'action systaltique des tuniques du globe „ de l'œil tenant ramassés vers le centre où est le cristallin, ces floccons „ legers & plians. „

On ne peut pas dire plus clairement que le cristallin est au centre de l'œil [29]. Voici comme il s'excuse dans sa 5 lettre „ Or il est „ manifeste que par centre je n'entens généralement qu'une sorte de „ milieu, ou de terme commun, comme centrale, où se portent les „ vaisseaux pour la circulation des humeurs de l'œil [30], dont je suis „ occupé, comme on appelle centre ou foyer le point ou l'endroit où „ se reflechissent les rayons du soleil. Et en effet les rayons visuels „ ne se reflechissent ils pas vers le cristallin? Où est donc le crime? „ Ne dit on pas encore qu'un tel endroit est le centre d'une ville ou „ d'une province, & c'est ce qui s'exprime en latin par *umbilicus*. Je „ n'ai voulu tirer aucun avantage, pour mon dessein, de la situation „ du cristallin, & ne dire autre chose si non que les vaisseaux se por-„ tent au cristallin, comme à une espece de centre. „

Voila des efforts bien inutiles, & une ressource bien foible. Car 1°. il ne s'agit pas ici des vaisseaux dont M. H. n'a eu aucun dessein de parler dans ce cas ici. 2°. Il n'est pas vrai que les rayons visuels se re-

[27] p. 578. [28] 274. [29] 276. [30] 578.

réfléchiſſent vers le centre du criſtallin ; ils traverſent le criſtallin pour ſe terminer à la retine. 3°. Quel rapport y a-t-il du centre d'une ville ou d'une province au centre de l'œil ou du criſtallin ? Lors qu'on parle du centre d'un globe comme l'œil, on parle d'un point qui eſt au milieu de l'œil. Enfin, on ne doit point déterminer la ſituation du criſtallin d'une maniere vague, principalement lors qu'il s'agit de cataracte ; M. H. en veut former une de ſa façon ; il a beſoin pour cela d'un grand eſpace entre le criſtallin & l'uvée : quoiqu'il diſe, voila l'avantage qu'il en veut tirer ; il met pour cela le criſtallin au milieu de l'œil, la nature y a pourvû d'une autre maniere ; mais puis que nous en ſommes ſur le mot de centre de l'œil, voyons encore un fait fort ſingulier que nous apprend M. H. en deux endroits de ſa 5 lettre [31] „ Car le fait étant conſtant, qu'il ſe trouve une eau au centre du criſ„ tallin, & que ſa ſurface antérieure ſe trouve baignée, ſouvent même „ couverte d'une glue mucilagineuſe... En effet, quoi que l'eau lym„ phatique obſervée par M. Morgagni dans le centre du criſtallin, s'é„ tant abſolument corporifiée [32], faſſe un glaucome parfait. „

Je ne crois pas que qui que ce ſoit ait jamais obſervé une eau au centre du criſtallin, non pas même M. Morgagni ; cela ne ſe trouve ni chez les Anciens ni chez les Modernes.

M. H. a donc eu raiſon de nous dire [33] „ Qu'il ne repond pas d'a„ voir toujours parlé Anatomie, Phyſique, Geometrie, autant exacte„ ment qu'il auroit taché de faire, à l'aide de ſes amis, dont (dans „ un traité complet s'il avoit entrepris) il l'auroit emprunté les lumieres. „

Mais que deviendront toutes les hypotheſes que M. H. a voulu établir ſur la ſtructure des parties, & ſur la diſtribution & l'ordonnance des vaiſſeaux ? C'eſt ſur ces connoiſſances qu'il ſouhaiteroit qu'on fit une anatomie Pathologique, neanmoins dans d'autres endroits de ſes ouvrages il ſemble que l'anatomie eſt inutile à un bon praticien [34] „ parce „ que lors qu'il s'agit de déciſion de pratique, les anatomiſtes ne ſont „ pas par état d'auſſi bons guides qu'il convient d'en prendre pour l'u„ ſage de la medecine &c. „

Enfin, on ne comprend pas bien ce qu'il veut dire à la pag. 604. de ſa 5 lettre ; il dit „ Qu'un Oculiſte croit ſçavoir tout ce qu'il lui „ faut d'anatomie, dés qu'il ſçait l'arrangement des parties qui compo„ ſent l'œil, l'emplacement de l'humeur aqueuſe, ſon partage dans les „ deux chambres, la poſition du criſtallin, ſa ſituation, ſes diſtances, „ tant il eſt uniquement occupé, que pour la guériſon des cataractes, „ il ne faut étudier que l'art de les ſçavoir abbattre. „

Il ſeroit à ſouhaiter que tous ceux qui ſe mêlent des maladies des yeux euſſent ces connoiſſances ; ils ont beſoin de la poſition certaine

[31] p. 581. [32] 586. [33] 608. [34] Traité de la digeſtion, p. 179.

du criſtallin pour bien abbattre la cataracte, c'eſt le ſentiment de M. H. p. 598. de ſa 5 lettre. Il eſt certain qu'un Oculiſte doit ſçavoir „ autre choſe que de piquer des yeux „ ; & pour parler en termes moins ironiques, il faut qu'il ſache autre choſe que de faire l'operation de la catarecte, l'on ſçait qu'il lui faut encore de la bonne Phyſique. Il ne faut pas [35] qu'il ſe trouve dans la néceſſité d'aller chercher ſes amis pour s'inſtruire de ces choſes. Il eſt vray qu'il y a peu de Medecins qui ſe mêlent de traiter les maladies des yeux. J'ai pourtant l'honneur de connoitre quelques Medecins de la faculté qui s'y ſont rendu très habiles; ſi M. H. les eut conſulté, il ne ſeroit pas „ devenu comptable en- „ vers l'art des Oculiſtes. „ Je reſpecte M. H. parce qu'il a l'honneur d'être Medecin de la faculté de Paris. Je ſçai tous les égards ſinguliers que je dois avoir pour tout ce qui appartient à une Compagnie auſſi reſpectable. Je ſouhaiterois témoigner ici, dans les termes les plus forts, ma ſoumiſſion, mon reſpect & ma profonde vénération pour cet illuſtre Corps, & combien je ſuis penetré de l'amitié, & ſi je l'oſe dire, de l'eſtime que beaucoup de ſes membres m'ont témoigné en differentes occaſions.

[36] M. H. croit „ que tous les vaiſſeaux du corps ſont faits pour „ ceux du cerveau, parce que, dit il, les arteres, à meſure qu'elles „ cheminent vers l'habitude du corps, deviennent veines ſanguines & „ lymphatiques „ comme les artéres qui ſe diſtribuent dans le „ cerveau „ deviennent des vaiſſeaux lymphatiques. Ne peut on pas dire par la même raiſon, avec tous les plus ſçavants Anatomiſtes, que tous les vaiſſeaux du corps ſont faits pour le foye, pour l'eſtomac &c. mais on le peut dire plus particulierement du cœur, parce qu'il eſt, pour ainſi dire, l'origine, & le terme de tous les vaiſſeaux du corps; qu'il eſt fait pour le cerveau, comme le cerveau eſt fait pour le cœur; que l'un & l'autre ſont faits pour toutes les parties du corps; que le cerveau doit reçevoir continuellement, & dans une juſte proportion le ſang que le cœur lui envoye, & reciproquement le cœur ne peut continuer ſon mouvement, s'il ne reçoit continullement du cerveau des eſprits animaux: mais ſi toutes les parties du corps ont beſoin abſolument du cœur & du cerveau, l'un & l'autre ſont ſecourus par tous les autres viſçeres. Si les poulmons ont beſoin du cœur, & du cerveau pour leur mouvement continuel, ces deux viſçeres ont beſoin des poulmons pour donner du reſſort & une certaine conſiſtance au ſang, ſans quoi les parties du ſang ſe trouvant trop ſeparées les unes des autres, &, pour ainſi dire, trop lâches, laiſſeroient échaper beaucoup de parties étrangéres avec la bile, le ſuc pancreatique, les eſprits animaux, &c. qui en ſeroient moins purs,

[35] p. 616. [36] Remarq. ſur l'utilité de la ſaignée dans les malad. des yeux p. 218.

purs, & comme incapables de bien faire les fonctions auxquelles ils ſont deſtinés.

Si l'eſtomac a beſoin du cœur & du cerveau pour la digeſtion, l'un pour lui envoyer le ſang qui lui fournit un ſuc propre à digrer les aliments; l'autres, des eſprits animaux pour entretenir ſon reſſort & ſa contraction. D'un autre côté, le cœur & le cerveau ont beſoin de l'eſtomac pour faire la digeſtion des alimens, & fournir au ſang ce qui lui eſt néceſſaire pour reparer les pertes continuelles qu'il fait dans tous les filtres, & pour la nourriture des parties. On doit faire le même raiſonnement pour les inteſtins, le foye, la rate, le pancreas &c.

Les alimens ont beſoin d'une certaine quantité de ſéroſité, pour être délayés, & pour leur donner moyen de franchir tous les paſſages depuis l'eſtomac juſqu'au cœur: mais cette quantité n'étant plus néceſſaire dans la maſſe du ſang, auſſi bien que beaucoup de terre qu'elle charie avec elle, il a fallu un filtre pour l'en ſéparer, & c'eſt l'office des reins, ſans quoi tous les viſceres ſeroient inondés de cette ſéroſité mêlée de terre. Tous les vaiſſeaux du corps ſont donc faits pour tous les viſceres, qui ſe ſecourent naturellement les uns & les autres. Ils ne ſe rendent point particulierement au cerveau; ils ſe rendent, généralement parlant, à toutes les parties du corps. M. H. n'a donc pas eu raiſon d'avancer les propoſitions ſuivantes qui ſont repandues dans ſa diſſertation, ſur l'utilité de la ſaignée dans (les maladies des yeux, ſavoir)

„ [37] que tous les vaiſſeaux du corps ſont faits pour ceux de cerveau. . .
„ que tout porte naturellement [38] vers le cerveau, & y détermine
„ ſont courant & ſes mouvements. . . que tout le reſte du corps paroit
„ fait pour le cerveau, ou travaille pour lui. . . Il falloit pour ſatisfaire
„ aux beſoins méchaniques de ce viſcere, que preſque tout y abordat.
„ C'eſt à quoi ſert la ſomme de toutes les puiſſances qui meuvent le
„ ſang, ou le font circuler, c'eſt-à-dire tout ce qui reſulte de force de
„ toute la vertu ſyſtaltique repandue par tout le corps, parce qu'elle
„ eſt toute employée ou à chaſſer directement le ſang vers le cerveau,
„ ou à l'y determiner. „

Ce ne ſont pas là des idées bien nettes en matiere de phyſique; tout ſert à M. H. juſqu'aux veines, qui, ſelon lui, portent le ſang vers le cerveau. Mais ceux qui connoiſſent la route des vaiſſeaux & la maniere dont le ſang y circule, ſçavent que celui qui retourne au cœur par les veines, ne va pas plus au cerveau qu'aux autres parties du corps.

M. H. n'en demeure pas là; il veut que „ tous les diametres ſer-
„ vent à porter les humeurs, ou à les déterminer naturellement vers
„ le cerveau, c'eſt là même où les humeurs iront prendre leur engage-
„ ment. [40]. „

[37] p. 218. [38] 232. [39] 334. [40]. 238.

Landesbibliothek Oldenburg

Vous voyez, M., que voilà des Diamètres assez mal placés. Ils le sont à peu près de même en quelques autres endroits de ses ouvrages, & qui ne méritent point de replique.

Je ne sçai où M. Hecquet a trouvé que l'humeur aqueuse sert immediatement à la vision. Ce n'est point certainement chez les modernes, ce n'est point chez les anciens, qui ont suivi le sentiment de Gallien, qui étoit persuadé que c'est le cristallin, mais ce n'est ni l'humeur aqueuse ni le cristallin. L'un & l'autre ne servent que de milieu pour réünir les rayons de lumiere sur la rétine. L'humeur aqueuse sert à retenir la cornée tenduë avec une certaine convexité, afin qu'elle ne se fronce pas, & à laisser passer les rayons de lumiere à peu près avec la même refraction, qu'ils ont souffert en traversant la cornée.

C'est à tort que M. H. se plaint, qu'on lui impute de n'avoir pas fait une juste repartition de l'humeur aqueuse, dans les deux chambres de l'œil. „ Vos Zelateurs, dit-il, (5 Lettre pag. 579.) me font soupçonner encore d'avoir parlé avec aussi peu d'exactitude au sujet de l'humeur aqueuse, „ parce qu'ils trouvent que je n'en ai point fait une juste repartition ".

Je n'ai rien dit de cela, j'ai seulement tiré une consequence de la supposition qu'il a fait, en mettant le cristallin au centre de l'œil, qui dans ce cas, doit contenir 50 grains, ou environ d'humeur aqueuse, au lieu de trois grains & demi, jusqu'à cinq grains & demi qu'il contient.

M. Hecquet raisonne sur l'opération de la cataracte, comme si elle ne réussissoit presque jamais. Il veut, dit-il, chercher les moyen d'éviter cette opération, c'est une belle & louable entreprise; mais si jamais on la trouve, ce sera par une autre route que celle qu'il a prise. Après tout, lorsque la cataracte est une fois formée, il n'y a plus moyen de guérir que par l'opération, nous n'en connoissons point d'autres: ne faudra-t-il pas s'en servir parce qu'elle ne réussit pas toujours, à cause qui s'en trouve de molles, sur lesquelles l'éguille n'a que peut ou point de prise? Faudra-t-il donc abandonner la taille, l'amputation, le bubonocele &c. parce qu'il ne rechape qu'une partie de ceux auxquels on fait ces opérations? Mais on en réchape, qui perdroient infailliblement la vie sans secours. J'ai cherché les moyens de rendre l'opération de la cataracte plus facile & plus certaine. Je l'ai trouvé, je réussis à toutes les cataractes où le cristallin à assés de consistance pour soutenir l'effort de l'éguille; mais lors qu'il est trop mou, je ne m'obstine point, je laisse cette cataracte, & pour lors, il n'en arrive rien à cet œil, qui ne se trouve pas en pire état qu'il étoit auparavant; personne n'en est mort. Il s'agit présentement de faire réussir ces cataractes molles, j'en cherche les moyens; je ne me promets pas absolument d'y parvenir, mais je ferai de mon mieux. Quelque épineuse que soit cette matiere, il ne faut desesperer de rien.

Voilà

Voilà, M., ce que j'avois à vous mander, touchant ce qui me regarde des ouvrages de M. Hecquet. Je me tais sur bien des endroits que j'aurois pû relever. Vous avés vû la plaisante Analogie qu'il trouve entre les vaisseaux & les attaches du cristallin (p. 334), & les pedicules des fruits. Sa doctrine, sur ce seul point, suffiroit pour faire voir qu'il connoit peu, les rapports du cristallin (p. 598) avec les autres parties de l'œil.

Je n'entreprendrai point d'examiner si les fibres du ligament ciliaire (p. 334) meuvent, compriment, & avancent le cristallin en devant.

Si une cataracte peut se dissiper en une nuit.

Si le glaucome des Anciens est different d'une cataracte cristalline. Je parlerai de toutes ces choses dans les Mémoires que je donnerai sur les yeux.

Il n'a tenu qu'à moi, de prouver que l'artère bronchiale n'est point un canal de décharge, & qu'il sert à fournir la nourriture aux poulmons. C'est l'affaire de M. Sylva, aussi bien que beaucoup d'autres articles.

J'aurois pû pousser les choses encore plus loin, mais je ne puis le faire (par conscience) pour les raisons que vous savés. M. Hecquet peut se tenir tranquille & en repos; car en cas qu'il veuille encore écrire, je ne crois pas d'orénavant avoir le tems de lui répondre. Mais je vous prie de croire, que je l'aurai toujours pour vous donner des assurances de mon amitié, & de l'affection avec laquelle je suis,

Monsieur,

Votre très humble & très obéissant Serviteur,
PETIT D. M.

LETTRE

CLIX.

LETTRE
DE
M. PETIT,
DOCTEUR EN MEDECINE DE L'ACAD. ROYALE DES SCIENCES.

Contenant des Réfléxions sur les découvertes faites sur les yeux.

MONSIEUR,

J'Ai reçû la lettre que vous m'avés fait l'honneur de m'écrire: Je commence par vous rendre mille graces de la part que vous prenés à ce qui me regarde. Je vai tâcher de satisfaire aux demandes que vous me faites, autant qu'il me sera possible.

La premiere est que vous êtes étonné que Mr. Winslow, étant de l'Academie Royale des sciences, n'ait pas pris l'approbation de cette Academie pour son exposition Anatomique qu'il vient de donner au public; d'autant plus que vous savés qu'on y avoit nommé des commissaires pour examiner cet ouvrage.

La seconde, que de la maniere dont M. W... décrit l'intercostal, il paroit qu'il a découvert il y a vingt ans, que ce nerf ne tire pas son origine du cerveau.

La troisieme, que vous êtes en peine de sçavoir si le canal que M. W. dit avoir trouvé entre le cristallin & sa capsule, il y a plus de dix ans, ne seroit pas le canal gauderonné, que j'ai découvert autour du cristallin, & que j'ai donné à l'Academie des sciences, dans un Memoire en 1726. p. 80.

Pour ce qui regarde vôtre premiére proposition, je ne puis vous en donner aucun détail dans cette lettre, cela me meneroit trop loin: mais M. de... qui sçait très bien comment la chose s'est passée, & qui est dans vôtre voisinage, peut vous en informer; neanmoins si vous souhaités absolument, que je vous en instruise moi-même, je m'en acquiterai avec plaisir dans une autre lettre.

Pour satisfaire à vôtre seconde proposition, il est bon de rapporter ici

ici tout ce que M. W. dit sur cet article, p. 461. N°. 357 & suiv. le voici.

„ On avance pour l'ordinaire que ces nerfs commencent chacun par „ un filet de la sixieme paire de la moëlle allongée, & par deux filets „ de la cinquieme, & que ces filets composent d'abord un nerf fort „ grêle, qui retrograde pour sortir du crâne par le canal osseux de l'apophyse pierreuse de l'os des tempes, & grossit à mesure qu'il descend.

„ 358. Mais après avoir examiné avec attention la prétendue naissance de ces filets, ils m'ont paru plus-tôt monter de la base du crâne „ avec la carotide interne, & aller de derriere en devant, pour se joindre „ à la sixieme & à la cinquieme paire; & j'ai trouvé l'angle de leur union „ avec ces trois paires, tourné vers le devant, & si aigu, qu'on ne peut „ les regarder comme des nerfs récurrens.

„ 359. Ayant depuis ce tems là, c'est-à-dire depuis près de vingt ans, „ trouvé la même disposition de cet angle dans tous les sujets que j'ai „ disséqué; j'ai toujours été dans l'opinion, que ce qu'on avoit pris pour „ la premiere racine, & comme une espece de tige descendante du nerf „ appellé intercostal, n'en étoit qu'une branche ascendante, qui en „ entrant dans le crâne se divisoit en filets, & par ces filets s'associoit „ étroitement avec les deux paires nommées.

„ 360. L'observation particuliere que M. Petit, Docteur en medecine, a communiquée à l'Académie Royale des sciences sur la différente grosseur des portions du nerf de la sixieme paire, paroit entiérement démonstrative: ses expériences sur la cooperation réelle de ce „ nerf dans l'organe de la vûe, le confirment encore d'avantage. „

Vous étés étonné, dites vous, Monsieur, de ce que à la face de l'Académie, on ose s'attribuer une découverte, qui fait le sujet d'un Mémoire donné à cette compagnie au mois de Mars 1727. p. 1. Vous allés voir, que vous n'avés pas sujet de vous recrier, puisque ce que vous croyés être une découverte, va se reduire à un simple soupçon, & peut-être à quelque chose de moins.

Remarqués d'abord, Monsieur, que ces angles aigus, que font les filets de l'intercostal avec la cinquieme & sixieme paire, en quoi consiste toute la découverte de M. Winslow „ car c'est ainsi que vous la nommés „ ont été donnés par M. Vieussens, il y a du moins 48. ans, dans la 22. planche de sa belle nevrologie: il n'y a pas lieu de douter que M. Vieussens en faisant dessiner & graver ce nerf, n'ait eu le même soupçon.

La seule inspection de cette 22me. planche, m'a donné le même soupçon sur l'origine de l'intercostal, comme je le dis dans mon Mémoire. Après cela, il n'est pas étonnant, qu'un aussi habile Anatomiste que M. Winslow, en ait eu un pareil, mais qui devenoit inutile, si l'on ne se

mettoit pas en peine de le prouver. Obſervés, Monſieur, que M. W... cite mes obſervations & mes expériences par rapport à ce nerf : il eſt vrai que tout ce qui concerne cet article, eſt décrit d'une maniere, qui lui donne un air de découverte ; ce qui vous a fait croire, & à d'autres perſonnes, que ce que j'en ai dit, ne fait que la confirmer. La datte de 20 années qu'il prend, ne contribue pas peu à jetter dans cette erreur. Voilà, Monſieur, ce qui vous a trompé, & quelques autres ſçavants. Je vous dirai plus, & vous ne le croirés peut être pas, j'y ai été trompé moi-même : mais après l'avoir mûrement examiné, je ſuis revenu de mon erreur ; & pour vous faire revenir de la votre, prenés garde que M. W... ne la donne que comme un doute, ou comme il dit, une opinion ; il ne s'eſt pas mis en peine de la prouver.

J'ai eu le même doute ; j'ai cherché les moyens de m'en éclaircir : la choſe n'étoit pas facile ; cela ne ſe pouvoit faire par la diſſection, comme je l'ai dit dans mon Mémoire : j'en ſuis venu à bout par des obſervations & des expériences ; mais des expériences très particulieres ſur des chiens vivans, & j'en ai fait une nouvelle découverte. Je l'ai annoncée à l'Academie en 1720 & en 1726 pag. 69, & j'en ai donné un Mémoire en 1727 pag. 1. J'avois fait à Namur des expériences à ce ſujet ; je les ai réiterées à Paris ; M. M. Winslow, Hunauld & Serac y ont été préſens ; & dans toutes ces occaſions M. W... n'a jamais dit un ſeul mot de ſon opinion, ni dans les aſſemblées de l'Academie, pendant la lecture de mon Mémoire, ni dans les converſations particulieres que nous avons eues à ce ſujet. En voilà aſſés pour vous prouver que M. W... n'a pas prétendu donner une découverte ſur le nerf intercoſtal, malgré les apparences, que donnent ſon expoſition Anatomique. Un homme auſſi ſage & auſſi judicieux qu'eſt M. W... ne donnera jamais de pareilles choſes pour plus qu'elles ne valent.

Venons à votre troiſieme propoſition, & vous allez voir qu'il ne s'agit pas de mon canal gauderonné. Voici ce que M. W... dit pag. 666. N°. 235 & 236. „ La tunique ou capſule criſtalline eſt formée par la „ duplicature de la tunique vitrée... la portion antérieure de la capſule „ du criſtallin eſt plus épaiſſe que la partie poſtérieure, & elle eſt com- „ me élaſtique : l'une & l'autre, je veux dire l'épaiſſeur & l'élaſticité, „ ſe découvre par la ſeule diſſection, la même portion antérieure ſe gonfle „ par la macération dans l'eau, & paroit alors compoſée de deux pel- „ licules unies enſemble, par un tiſſu ſpongieux fort fin & fort ſerré. J'ai „ démontré viſiblement cette duplicature dans un œil de cheval par le „ ſeul ſcalpel, & j'ai même pouſſé la ſeparation des deux lames juſque „ dans la tunique vitrée.

„ J'ai quelque fois fait avec la pointe du ſcalpel, ſur le milieu de la „ capſule un petit trou ; & y ayant ſouflé par un tuyau, le vent eſt en „ partie reſté entre le bord de la maſſe du criſtallin, & le bord de ſa cap-

ſule,

„ fule, en maniere de cercle tranſparent : c'étoit ſur l'œil du bœuf, &
„ il y a plus de dix ans que je l'ai fait.

Avant toutes choſes, il faut vous reſſouvenir, Monſieur, 1°. que j'ai fait voir dans un Memoire lû en 1726. page 82, & dans un autre lû en 1730 pag. 437, que la capſule du criſtallin eſt plus épaiſſe en ſa partie anterieure qu'à ſa partie poſterieure. 2°. J'ai démontré dans les mêmes Mémoires, & particulierement en 1730 page 444, que „ cette mem-
„ brane eſt extenſible, comme il eſt facile de le remarquer par le gon-
„ flement qui lui arrive en la ſouflant par une inciſion qu'on y fait ex-
„ près, comme je l'ai fait voir à l'Academie ; puis elle ſe remet dans
„ ſon premier état, ce qui marque ſon reſſort qui lui eſt néceſſaire, afin
„ qu'elle s'étende & ſe reſerre, toutes les fois qu'il ſe répand de la li-
„ queur dans ſa cavité, & que cette liqueur ſe diſſipe". Lorſque cette membrane s'affaiſſe après l'avoir ſoufflée, elle retient quelque fois de l'air enfermé entr'elle & la circonférence du criſtallin, qui y forme comme une eſpéce de cercle tranſparent, ou une partie de cercle, ſuivant qu'il y reſte plus ou moins d'air. Mais cette circonſtance ne m'a paru d'aucune conſéquence, parce que c'eſt la capſule entiere qui ſe gonfle lors que l'on ſoufle l'air : cet air n'entre dans aucun canal particulier, ni dans la duplicature de la capſule, qui eſt remplie de vaiſſeaux lymphatiques dont j'ai parlé Mem. 1730 page 438 & 439 ; en un mot, ce n'eſt point là mon canal. Il eſt décrit Mém. 1726 page 80. Vous pourrez le confronter avec la deſcription de M. Winslow ; vous verrez que mon canal eſt gauderonné ; qu'il eſt enfermé dans la duplicature de la membrane vitrée ou hyaloïde, qui forme un vrai canal circulaire hors des limites du criſtallin & de ſa capſule qui l'environne. L'air que l'on pouſſe dans ce canal n'entre point dans la capſule, & celui que l'on ſoufle dans la capſule n'entre point dans le canal, à moins que les membranes qui en font la ſéparation ne ſe déchirent. Un très habile Anatomiſte m'a aſſuré que cela lui étoit arrivé ; j'ai voulu l'expérimenter en pouſſant l'air avec violence dans la capſule, mais je n'en ai pû venir à bout.

Il me ſemble, Monſieur, qu'il y a deux choſes, qui peuvent vous avoir trompé ; la premiere eſt la datte donnée par M. Winslow ; il dit qu'il y a dix ans qu'il a ſouflé dans la capſule de l'œil du bœuf ; la ſeconde, qu'il ne parle point de mon canal circulaire, il étoit préſent lors que j'en ai fait la démonſtration à l'Academie en 1726.

J'eſpére que tout ce que je viens de rapporter, vous fera revenir de votre mépriſe : vous verrez que les dattes de M. W... ne tombent point ſur mes découvertes, comme vous l'avez crû, puiſqu'il n'a donné aucune preuve de l'origine du nerf intercoſtal, & que ce qu'il dit de l'air ſoufflé dans la capſule, ne reſſemble point du tout à mon canal ; ce qu'il en rapporte, ne regarde que l'extenſibilité & le reſſort de la capſule que j'ai donné en 1730. Soyez perſuadé, Monſieur, que M. W...

n'a pas eu d'autre penſée. Ces choſes m'ont paru de ſi peu de conſéquence, que je ne me ſerois jamais mis en peine d'en parler, ſi ce que j'ai lû dans le Journal des Sçavans du mois d'Aouſt 1732 page 477, ne m'y eut contraint : c'eſt une choſe que vous ne ſavez peut-être pas encore, & qui va vous ſurprendre. Voici comme il s'explique.

„ Comme certains petits Auteurs, pour ſe faire de la réputation à „ peu de frais, ont publié comme d'eux, pluſieurs choſes qu'ils ont ap„ priſes de M. Winslow dans ſes Cours publics, & dans ſes Cours par„ ticuliers ; nous croyons à propos d'avertir, que ces plagiaires ver„ront ici leurs larcins découverts ; non que M. Winslow s'explique „ en aucune façon ſur cette matiere, mais parce qu'en divers endroits „ de ſon ouvrage, on trouve les dattes de certaines obſervations, qu'il „ a faites, & qu'en confrontant ces dattes, on démêle ſans peine les „ plumes étrangeres, dont ſe ſont parés quelques geais ".

Voilà qui eſt bien clair ; les endroits où il y a des dattes, marquent autant de larcins que l'on a fait à M. W... Ne vous ſemble-t-il pas, Monſieur, que l'on m'accuſe ici d'être plagiaire ? Pour m'en éclaircir, j'ai eu la curioſité de chercher tous les endroits de l'expoſition Anatomique, où il ſe trouve de telles dattes, & j'y ai vû les ſuivantes.

La premiere eſt à la page 373. N°. 111. M. W... dit, qu'en 1729, il a vû „ une communication très manifeſte entre les rameaux de la vei„ ne pulmonaire gauche, & les rameaux d'une artere œſophagienne, „ qui venoit de la premiere artere intercoſtale gauche, conjointement avec „ une bronchiale du même côté.

La ſeconde & la troiſieme datte page 374. N°. 113. Il a trouvé l'an 1719 ou 1720. „ une communication de l'artere bronchiale gauche avec „ la veine azigos ; (il a encore vû l'an 1721 au mois d'Avril) un „ rameau de l'artere bronchiale gauche, s'anaſtomoſer dans le corps de „ cette veine. Ces mêmes obſervations & ces mêmes dattes ſe trouvent „ répétées dans les mêmes termes page 600. N°. 120. & 121.

La quatrieme datte page 461. N°. 357. & ſuiv. où il décrit les angles de l'intercoſtal.

La cinquieme datte page 666. N°. 236, où il s'agit du cercle tranſparent ; j'en ai parlé ci-deſſus.

Les trois premieres ne me regardent pas : il paroit que ce ne ſont que des ſimples obſervations, qui ne ſe trouvent que très rarement, ce qui ne mériteroit pas de taxer de plagiaires, ceux qui en auroient fait de pareilles, principalement lors qu'elles n'ont point encore été données au public : néanmoins le Journaliſte tranche le mot. Il ne m'a pas fait plus de quartier ; car par la quatrieme & cinquieme datte, me voilà plagiaire en forme. Il eſt vrai que je n'y ſuis point nommé ; M. W... ne nomme perſonne. Il auroit fait plaiſir au public, de marquer les endroits des ouvrages, où ſe trouvent ces prétendus pillages ; il nous auroit tiré d'em-

d'embarras, & m'auroit sans doute, évité la peine d'écrire cette lettre. Il me paroit trop homme de bien, pour avancer des choses qu'il croiroit fausses : je suis même persuadé, que le Journaliste ne manquera pas de dire que, dans cette occasion, il n'a pas prétendu me mettre au nombre des plagiaires, dont il entend parler : je suis prêt d'en croire tout ce qu'il lui plaira ; mais pourtant, de cinq dattes dont il est parlé, il paroit au public que j'y suis pour deux. N'en voilà-t-il pas assez pour induire les Sçavans en erreur ? Comment accorder tout cela ? Si le Journaliste avoit pris la peine de confronter les matieres en question avec mes Memoires, il auroit d'abord reconnu, que les deux dattes qui me regardent portent à faux ; l'on ne doit pas traiter de plagiaires sur de simples dattes, des personnes qui sont fort éloignées de ce caractere : car je suppose que l'on n'a pas prétendu me mettre de ce nombre ; mais le public n'aura pas lieu de croire, qu'elles ne tombent pas sur moi, comme sur les autres, puis que vous y avez été trompé.

M. Winslow est un très habile Anatomiste. Il est d'une célebre Academie ; il a pû y déposer ses découvertes à mésure qu'il les a faites ; il en a eu assés d'occasions depuis ces dattes ; il a été présent aux démonstrations que j'ai faites à l'Academie, & à la lecture de mes Mémoires ; il n'a tenu qu'à lui, de revendiquer les découvertes que j'exposois, & de prouver qu'elles lui appartenoient ; il n'en a rien fait.

M. W... rapporte plusieurs de mes découvertes, où il me cite comme Auteur ; mais il en rapporte d'autres où il ne me nomme point, sçavoir.

1°. Sur le croisement du nerf optique, page 631. N°. 137, j'ai donné cette découverte en 1720 & 1726, page 70 ; où j'ai dit, que „ les „ nerfs optiques se divisent en plusieurs lames à l'endroit de leur jonc- „ tion, où elles passent les unes entre les autres, après quoi, ces lames „ se réunissent de chaque côté pour se rendre aux yeux ; ensorte que les „ lames du nerf optique, qui tire son origine du côté droit du cerveau, „ passent contre celles du nerf optique qui part du côté gauche, & par „ leur réünion, forment un nerf qui va se rendre à l'œil gauche ; & „ les lames du nerf optique qui tire son origine du côté gauche du cer- „ veau, passent entre les lames du nerf optique du côté droit, puis en se „ réünissant, forment un nerf qui va se rendre à l'œil droit ".

Il est vrai qu'on avoit soupçonné que le nerf du côté droit du cerveau, passe dans l'œil gauche, (& vice versa), mais j'ai découvert que ces nerfs se divisent en lames dans l'homme & dans les animaux à quatre pieds, & en paquets de fibres dans les oiseaux ; ces nerfs se croisent dans les poissons, en passant sans se confondre l'un sur l'autre. Si je n'ai pas dit ces choses dans cet article, c'est que je me suis proposé d'en faire un Mémoire particulier, où je rapporterai tout ce qui regarde ce

nerf, sans oublier la maniere dont il s'insere dans le globe de l'œil; ce que j'ai démontré à l'Academie & que j'ai exprimé par avance dans mes figures en 1723 page 54; en 1725 page 28, & dans ma premiere lettre imprimée chez Chaubert. L'on voit dans ces figures que l'axe de l'œil se termine au côté externe du nerf optique. M. Antoine a dit, que l'insertion de ce nerf est presque directement opposée au trou de l'uvée dans l'homme, voi. le chap. 7. de la description de l'œil. Il faut remarquer ici que je donnerai des Memoires sur toutes les découvertes que j'annonce en 1726.

2°. Sur l'irregularité de la cornée transparente, dont M. Winslow parle pag. 662. N°. 215. j'ai donné cette observation dans les Memoires de 1726. pag. 71. où je dis que la conjonctive s'avance sur la partie supérieure & sur la partie inférieure de la cornée, ce qui donne à cette membrane une figure irréguliere; elle est tout à fait ronde à la partie interne.

3°. Sur ce que le centre de la prunelle ne repond pas au centre de l'iris, pag. 665. N°. 227. j'annonce en 1726. p. 79. l'observation que j'en ai faite après Galien (*a*) je l'ai tirée, pour ainsi dire, de l'obscurité où elle étoit dans cet Auteur, puisque qui que ce soit n'en a parlé depuis; encore n'est il pas certain, qu'il ait voulu parler de l'excentricité naturelle de la prunelle.

4°. Sur l'épaisseur de la partie antérieure de la capsule du cristallin p. 666. N°. 235. j'en ai parlé dans les Memoires de 1726. p. 82. où je dis, que cette membrane est de la moitié plus épaisse à la partie antérieure qu'à la partie postérieure du cristallin; ce que je répete en 1730. p. 437.

5°. Sur l'extensibilité de cette capsule & son ressort, p. 666. N°. 235. dont j'ai fait mention dans les Memoires de 1730. p. 444.

6°. Sur la duplicature de la membrane vitrée pag. 665. N°. 229. & p. 666. N°. 235. je l'ai démontrée en 1726. pag. 80. puisque mon canal circulaire gauderonné est formé par cette duplicature; je ne crois pas, qu'on puisse le démontrer d'une autre maniere, il paroit que M. Antoine a connu cette duplicature. Voy. le chap. 10. de la description de l'œil.

Quoique M. Winslow ne m'ait point nommé en rapportant ces découvertes, dois je pour cela crier au plagiaire? A Dieu ne plaise, je m'en garderai bien: sans doute, c'est par oubli qu'il ne l'a pas fait; & j'en étois si persuadé, que je serois resté dans le silence, si je ne m'étois crû obligé de faire sentir au public, que je ne suis point de ces geais, qui se parent des plumes d'autrui. J'espere que ce petit éclair-

cis-

(*a*) Voy. Tom. VII. de oculis cap. 3. pag 189. lit. H. de accidentibus pupilæ.

Landesbibliothek Oldenburg

ciſſement n'apportera aucun trouble à la bonne intelligence qui a toujours été entre lui & moi; j'ai pour lui toute l'eſtime, que l'on doit avoir pour un homme de ſon mérite, & je ſuis bien ſon ſerviteur.

Vous croyés peut-être, Monſieur, ma lettre finie; point du tout. Il me prend envie, pendant que je ſuis en train, de vous écrire une autre hiſtoire qui regarde les yeux. Vous ſouvenés vous de M. Ferren, Docteur de Montpelier, qui envoya un Mémoire manuſcrit à M. l'Abbé Bignon, qui me fit l'honneur de le me communiquer, il y a environ deux ans & demi: je vous l'ai fait voir; Il contenoit pluſieurs découvertes, accompagnées d'expériences, & d'obſervations faites ſur les yeux. Nous fumes ſurpris d'y voir les mêmes découvertes que j'ai démontrées à l'Académie, & qui ſont repandues dans mes Mémoires & mes lettres imprimées, à l'égard des expériences & des obſervations, elles ſe trouvent dans le livre de M. Antoine Maitre-Jan fameux oculiſte. Vous ſavés que je marquai ſur une feuille volante tous les endroits de mes ouvrages, où l'on pourroit trouver chacune de ces découvertes, ſans oublier celle du livre de M. Antoine. Je donnai ces remarques à M. l'Abbé Bignon, qui les envoya à M. Ferren, & je n'ai plus entendu parler de lui. Il a depuis ce tems là diſputé la chaire de profeſſeur en medecine de Montpellier vacante par l'abdication de M. Aſtruc: il a ſoutenu à cette occaſion une theſe le 3. le 4. & le 5. jour du mois d'Avril 1732. dont la 12. queſtion eſt toute entiere ſur l'opération de la cataracte. J'ai penſé vous envoyer la queſtion telle quelle eſt en Latin; mais ma lettre n'eſt déja que trop longue, & je l'ai crû d'autant plus inutile, que l'on peut la reduire à ceci.

Lorſque l'on fait, dit-il, l'opération de la cataracte, on perce l'œil avec une aiguille, dont on porte la pointe à la partie inférieure de la capſule du criſtallin, entre la ſuffuſion & la capſule; & tout de ſuite on déchire cette capſule, en faiſant mouvoir l'aiguille obliquement de haut en bas, & de devant en derriere dans l'humeur vitrée; Cela fait, on pouſſe la cataracte à la maniere ordinaire par le chemin, qu'on lui a préparé, où elle paſſe ſans aucun obſtacle: & c'eſt de cette maniere, que l'on a abbatu une cataracte il y a plus de douze ans à un malade dans l'hopital de Marſeille, & un très grand nombre d'autres cataractes produites par art „ dans les yeux de cadavres. „ Il faut, pourſuit-il, ſi bien ménager les mouvemens de l'aiguille, que ſa pointe ne touche point à la partie antérieure de la capſule.

Toute cette deſcription eſt ſemblable à celle qui ſe trouve dans la page 10. de ma premiere lettre ſur les yeux, imprimée chez Chaubert, Quai des Auguſtins, le 17. Fevrier 1729. Voici ce que je rapporte.

„ Après ce que je viens de dire de la ſituation du criſtallin, il eſt „ aiſé de voir, qu'il ne m'a pas été difficile d'imaginer ma nouvelle mé-

„ thode

„ thode d'abbatre la cataracte. Il s'agit d'ôter le criſtallin de devant „ la prunelle, & de le placer à la partie antérieure du fond de l'œil, „ où il ne retranche, que le moins qu'il eſt poſſible des rayons de lu- „ miere; & pour cela je porte la pointe de mon aiguille à la partie „ poſtérieure inférieure du criſtallin, ou je fais une ouverture à ſa cap- „ ſule; puis je retire la plus grande partie de mon aiguille, afin de „ pouvoir enfiller le criſtallin un peu au deſſus de ſon centre, ce qui „ me donne une grande facilité de le porter auprès du fond de l'œil, en „ le faiſant paſſer par l'ouverture, que j'ai fait à la capſule. Je donnerai „ des Mémoires, dans leſquels je détaillerai les cauſes de la cataracte, „ & le manuel de cette opération, où l'on verra de quelle maniere je „ conſerve la partie antérieure de la capſule du criſtallin ſans la déchi- „ rer, pour les raiſons que je dirai. „

Voila la deſcription de mon opération en abregé. Il eſt facile de deviner, pourquoi je perce la capſule à la partie poſtérieure & inférieure; l'on voit bien, que c'eſt afin que le criſtallin ne trouve aucune réſiſtance à ſon abaiſſement. Mon opération ſe trouve encore d'une maniere plus étendue, mais diſperſée par parties dans mes autres ouvrages.

1°. On trouve dans les Mémoires de l'Académie de 1725. p. 18, 19 & 20. avec le ſecours des figures, comment on réuſſit heureuſement dans cette opération. Dans mon Mémoire 1726. on voit encore toute mon opération avec le ſecours des figures, p. 268.

„ Je porte la pointe de mon aiguille obliquement de devant en der- „ riere au point A. centre du criſtallin; & dans le mouvement que je „ lui fais faire de haut en bas & devant en derriere, je tranſporte le „ centre du criſtallin de A. en M. dans la ligne I L ou M L. où l'on „ voit qu'un de ces côtés eſt devant la prunelle; & comme il ne ſe „ trouve pas entiérement envelopé de l'humeur vitrée, il ſera repouſſé „ par le reſſort de cette humeur vers le chaton d'où on l'a tiré. Mais „ à la pag. 270. je place le criſtallin de maniere qu'il peut y reſter, „ parce qu'il ſe trouve tout à fait envelopé de l'humeur vitrée. „

M. Ferren dit: ſi la ſuffuſion pendant l'opération n'eſt pas tout à fait ſortie hors de ſa capſule, elle court riſque de remonter; mais être hors de ſa capſule, ou d'être envelopée de l'humeur vitrée, c'eſt la même choſe, comme les figures du mon Mémoire le repréſentent p. 271. il y a encore un autre inconvenient: „ C'eſt, que je traverſe en- „ tiérement le criſtallin comme cela arrive quelques fois lors qu'il n'eſt „ pas bien ferme, la pointe de mon aiguille ſe trouvera en H dans „ la chambre poſtérieure; je déchirerai la partie antérieure de la cap- „ ſule, ce que j'évite avec grand ſoin, pour les raiſons que je dirai „ ailleurs. „ L'on voit ces raiſons dans ma diſſertation ſur une nou- „ velle méthode de faire l'opération de la cataracte, imprimée dans la

pré-

Landesbibliothek Oldenburg

premiere partie du III. Tome de la continuation des Mémoires de littérature & d'hiſtoire pag. 416. où je dis: „ Comme tous les Oculiſtes „ ouvrent toujours la partie antérieure de cette capſule du criſtallin, il „ ne ſe trouve plus rien capable de produire une convéxité ſemblable „ à celle que produiſoit le criſtallin. Enfin dans le même Mémoire 17-26. p. 272. je pique l'oeil depuis deux lignes juſqu'à deux lignes & demi. „

M. Ferren n'a pas jugé à propos d'en parler; il a ſans doute ſes raiſons pour cela.

Vous voyés, Monſieur, que ſa date eſt de douze ans: après ce que j'ai dit ci deſſus, je ne crois pas qu'il y ait rien a ajouter touchant ces dates.

M. Ferren croit que par cette maniere d'operer on peut abbattre les cataractes molles, qui ne ſont pas mûres, les caſéeuſes & les laiteuſes: Je ne ſuis pas tout à fait de ſon ſentiment, il faut diſtinguer les cataractes molles; car ſi l'on rencontre une cataracte molle, mais aſſés viſqueuſe pour que ſes parties s'entrainent les unes avec les autres, elle peut s'abbattre tout d'une piece, & quelques fois en deux ou trois pieces, parce quelle a un peu plus de conſiſtance que l'humeur vitrée, & que d'ailleurs elle s'attache facilement à l'aiguille. C'eſt de ces cataractes dont j'entens parler dans ma diſſertation ſur une nouvelle maniere de faire l'opération de la cataracte, p. 413. Mais il faut prendre de grandes précautions pour empêcher qu'il n'en remonte quelques particules dans la ſuite. Il n'en eſt pas de même des caſéeuſes, que l'aiguille traverſe avec trop de facilité, principalement lors qu'elles ſont d'une molleſſe de lait caillé: il y a encore plus de difficulté pour les cataractes laiteuſes; ni l'une ni l'autre ne peuvent-être pouſſées dans l'humeur vitrée, parce que l'aiguille n'a aucune priſe ſur des matieres ſi molles, & qui ont moins de conſiſtance que l'humeur vitrée. C'eſt ce que l'expérience m'a fait voir bien des fois; & c'eſt de ces cataractes dont j'entens parler dans ma ſeconde lettre imprimée chez Chaubert, p. 24.

J'ai depuis ce tems là trouvé le moyen d'abatre ces cataractes en les faiſant paſſer dans le fond de la chambre poſtérieure. Voici comment je fais cette nouvelle opération. Lorſque j'ai introduit mon aiguille dans le criſtallin, & que j'ai reconnu, que la cataracte eſt d'une moleſſe à ne pouvoir paſſer dans l'humeur vitrée, je pouſſe la pointe de l'aiguille dans la chambre poſtérieure, je coupe la partie intérieure de la capſule en pluſieurs endroits de haut en bas, & de droite à gauche; pour lors l'humeur vitrée s'avance dans le chaton qu'elle efface, & pouſſe en même tems la matiere de la cataracte: il faut pour lors bien prendre garde de ne faire que les mouvemens néceſſaires pour abaiſſer les parties opaques qui ſeront devant la prunelle. Je don-

nerai dans un Mémoire cette opération d'une maniere plus étenduë, où je ferai voir que quoique cette méthode ne paroiſſe pas differente de l'ancienne, elle l'eſt neanmoins par bien des circonſtances que je rapporterai. Je ſuis avec reſpect

Monſieur,

Vôtre très humble & très obeiſſant
Serviteur, PETIT.

DISPU-

CLX.

DISPUTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
MICH. ADAM. GUSOVII.
QUA NOVUM PARACENTESEOS INSTRUMENTUM OFFERTUR.

Regiomont. 15 Octob. 1723.

Landesbibliothek Oldenburg

§. I.

PAracenteſis à παρακεντέω compungo dicta, eſt turgidi membri inciſio, ad humores præternaturaliter ſuffuſos, breviſſima via educendos. Etenim quia non ſemper licet per anguſtiores vaſorum, cutiſque poros, ſive per diapedeſin inordinatam ſeri aut puris colluviem extrahere, patentiori via opus eſt, quæ inciſione paratur.

§. II.

Equidem ſubinde paracenteſeos nomen ita late extenditur, ut inciſionem fere quamvis chirurgicam, in quacunque parte male affecta, ſanitatis reſtituendæ cauſa factam, complectatur; quo ſenſu & bronchotomia, ſeu aſperæ arteriæ inciſio [a], & acu punctura Sinenſium, in variis humani corporis partibus peragenda [b], paracenteſes poſſent nominari. Nihilominus tamen tenore artis hac voce apertura membri hydropici præciſe ſignificatur. Unde & pro hujus varietate, paracenteſis alia oculi [c], alia thoracis, alia ſcroti [d], vel uteri [e], alia denique abdominis ſpecialiſſima ſubdiviſione conſtituitur.

§. III.

In præſenti præ cæteris ad commodam abdominis inciſionem reſpicio, atque

[a] De qua extat docta diſſertatio Dn. Doct. Schieſe 1715. hic édita.

[b] Videlicet in capitis dolore, vertigine, lippitudine oculorum, tympanite, dolore colico flatulento &c. inter Sinenſes Farriette, id eſt operatores hanc punctionem exercentes, inſtituunt, ut videre eſt ex ſchediaſmate Wilhelmi ten Rhyne Med. D. de acupunctura Sinenſium, in tractatulo de arthritide &c. Londini An. 1683. edito; unde & de methodo hujus compunctionis hoc cognoſcimus, quod acu aurea vel argentea utantur, in extremitate ſuperiori in ſpiram aliquatenus contorta, quam artifex, vel ſimplici vi, vel contorſione ſola, vel impulſu cornei vel eburnei malleoli plumbo aliquatenus gravati, in partes inflatas adigit, ut aër ſubcutaneus exeat, & tumor lente ſubſideat.

[c] Cui ſingulare paracenterium Anglus quidam Wolhuſe adaptavit in Ephemerid. Gallor. An. 1696. p. 682.

[d] De qua memorabilis obſervatio Tulpii, lib. 2. obſerv. 39. quod ex ſcroto ad capitis virilis magnitudinem inflato, & ſine venarum grandiorum læſione acu puncto, continuis aliquot diebus octo vel decem liquoris uncias obtinuerit, at intermiſſa ob imbecillitatem hac punctura, non ſcrotum modo, ſed totus venter derepente ita intumuere, ut homo nec ſeſſum nec cubitum ire potuerit.

[e] In dextra uteri tuba hydropem ſe obſervaſſe & paracenteſi feliciter curaſſe refert D. Joh. Henr. Brechtfeld, in Act. Haffnienſ. Vol. I. obſervatione 103. p. 194.

Landesbibliothek Oldenburg

atque aſciticorum perforandorum dolores per emendatum inſtrumentum mitigare comperta ratione ſatago.

§. IV.

Facile autem eſt aſciteos malum in ægrotis dignoſcere. Abdomen mirum in modum diſtenditur, aquæ fluctuant, cutis pallet, tument pedes cum univerſo corpore, & retinent prementis digiti veſtigium.

§. V.

Deſperata res eſt ejuſmodi ægros interna cura reſtituere. Immodicam collectæ aquæ copiam per ſudorem velle expellere, eſſet oceanum cochleari exhauriendum præſumere. Per diuretica aut purgantia, humores quidem a primis motibus, quibus ſola vaſa lymphatica per totum corpus diſperſa inflantur, licet revocare, at quæ jam in alveum quendam velut confluxere, ad viſcera & renum meandros nunquam regrediuntur ne æquæ, conſultum quidem fontes æſtuantis lymphæ, remediis ab intra adhibitis obturare, at qui a fontibus jam longe dimanavit liquor, ægre ad priſtinos canales reducitur. Qui foſſas reſtituunt, non ingreſſum tantum aquæ impediunt, ſed ſtagna etiam per novos ductus derivant; ita & medicus ſtagnum microcoſmi remoturus ſcaturiginem lymphæ ſiſtat, ſed & colluviem ex alveo ſuo deducat neceſſum eſt. In quo ei prælucere videtur natura ipſa, quæ haud raro ſibi relicta in umbilico hydropici rimas agit, ut aqua in ægri reſtitutionem emanet [f].

§. VI.

Hæc dum mecùm reputo, mirari ſatis non poſſum metum irritum Eraſiſtrati, anatomici inter veteres ad crudelitatem uſque audacis. Hic aperire hydropicos dubitavit ipſe, & ſua cunctatione ab optimo remedio alios quoque abſterruit. Verum quidem remota aqua, non removeri ſimul hydropis cauſam; attamen ut præſente aqua malum intenditur, ita remota ea, fons hydropicus facilius obturatur. Scite Celſus cum Galeno notavit in Eraſiſtrato, hypotheſeos præconceptæ præjudicium, quando hic hydropem ſolius hepatis morbum habuit, id quod tamen gratis aſſeritur, cum & alia viſcera plura, ſæpe hepate bene conſtituto, eodem vitio infeſtentur. Non verendum poſt abſceſſum aquæ, febrim, ſitim, viſcerumque æſtum inſequi, dum modo ex præſcripto Hippocratis caveatur, ne aqua

[f] Ejuſmodi caſus notat Schenckius obſervat. lib. 3. de hydrope pag. 283. ſimilem de ruſtica in inſula Teſſelini ex rupto umbilico 24. aquæ amphoras effundente & perfecte reſtituta refert Lanzwerde in additamento armamentarii chirurgici Sculteti. Tab. XIX.

Landesbibliothek Oldenburg

aqua ſimul & ſemel omnis, ſed ſenſim & ſucceſſive evocetur [*g*]. Humor ille ſeroſus, ſalſus & corruptus viſcera non linit, non temperat, vel refocillat, ſed rodit, pungit, premit, & ne juſte incaleſcant vetat. Quæ ergo Avicenna & Gordonius de infelici paracenteſeos ſucceſſu perhibent, inanis ipſorum eſt ſuſpicio. Qui propriæ experientiæ ſcripſit teſtimonium, Cœlius Aurelianus medicus nobiliſſimus [*h*], juſta indignatione commotus inquit: qui proferre audent, omnes, quibus ventre ſecto aqua emiſſa eſt, mortuos, mentiuntur. Multos enim ipſi hoc remedii genere convaluiſſe vidimus; quodſi qui perierunt, contigit id vel tardius vel negligentius adminiſtratæ paracenteſeos culpa. Et ſi fatalis eſſet paracenteſeos adminiſtratio, qua ratione Indi uſum ejus hodienum uſque frequentarent; unde fieret quod ipſimet ægroti convaleſcentes eandem commendarent [*i*].

§. VII.

Stat ergo huic operationi ſua autoritas, procedit illius uſus, ſed fiat inciſio ut jam Hippocrates monuit in tempore [*k*], in principio morbi, antequam ſerum putreſcit, viſcera læduntur, vaſorum lymphaticorum rupturæ hydatides copioſiores protrudunt [*l*]. Si vires jam deficiunt, vel ſcirrhus viſcera coarctat, vel Phthiſis invaluit, operatio ſine ſpe ſalutis ſuſcipitur.

§. VIII.

Modus adminiſtrandæ paracenteſeos, inter chirurgos alius atque alius receptus eſt. Olim notato loco conveniente, per cutim, muſculos, peritonæum, ſiniſtra manu elevata, adigebatur culter vel lanceola uſque ad abdominis cavitatem. Vulneri mox cannula ſeu argentea ſeu plumbea intrudebatur, per quam aqua effluebat ad lubitum medici. Si inhibendus aquæ fluxus erat, foraminulum cannulæ ſuperius linteo carpto, aut ſubere claudebatur, vulnus autem cannulam ſervans, emplaſtris & fomentis deligabatur. Hac encheireſi poſtridie repeti poterat aquarum eductio, donec

[*g*] Hippocrat. ſect. 6 aphoriſm. 27.

[*h*] Teſte Jacobo Bontio de medicina Indorum cap. 9. lib. 28.

[*i*] In literis ad Ephemeridum Galſicorum autores datis, teſtatur aliquis ſeptuagenarius nomine Boule, ſe per paracenteſim à chirurgo Thouvenot peractam, felicisſime ab aſcite eſſe liberatum. Idem exemplum repetit Stephanus Blanckart collect. med. phyſicor. cent. 3. obſ. 20. p. 335. ſeqq.

[*k*] Lib. 6. ſect. 7. Epidemiorum, ubi inquit: hydropicos ſtatim ſecare opportet, empyicos ſtatim urere.

[*l*] Id quod in actis Haffnienſ. Vol. 1. obſerv. 8. p. 17. obſervatum legimus. Videlicet ſcripſerat Experientiſſimus D. Paulus Moth ad Thomam Bartholinum, paracenteſin abdominis matronæ cujuſdam, votis ſuis non correſpondiſſe, in mortua autem apparuiſſe globulorum veſicularumque conglomeratarum largam congeriem, quarum nulla alteri communicaret, ſed ſigillatim compuncta aquam ſeorſim funderet.

Landesbibliothek Oldenburg

donec æger convaleſceret. conf. Heiſteri chirurg. cap. 102. de paracenteſi p. 575.

§. IX.

Primum quod in hac operatione objiciebatur offendiculum, erat difficilis inſertio cannulæ in vulnus, præſertim minoris diametri. Vulnus ampliare inhibebat herniarum periculum, & aquæ vix coercenda profuſio. Cannulam in vulnere diu relinquere diſplicebat, quod continua moti ventris irritatione, inflammatio, ſphacelus & ſimilia incommoda excitarentur. Expeditiorem igitur encheireſin paracenteſis requirebat.

§. X.

Cum Jacobus Blockius chirurgus Amſtelodamenſis expertiſſimus, ex Italia redux, ægrotis medicam manum admoveret; & melioris artis inſtrumentum in paracenteſi uſurpabat. Videlicet cannula ipſi argentea acuta erat, & ſimul in rotundo apice aliquot foraminulis pervia, ut eodem ictu & vulnus & canaliculus inferrentur. Congruebat canali cavo ſtylus itidem argenteus, foraminula canalis obſtructurus. Vocabant alii hoc inſtrumentum Sanctorii, ſive quod hic Italus illud invenerit, ſive quod in commentario in primam Fen Avicennæ p. 435. primus deſcripſerit.

§. XI.

Diſplicebat in Blockii inſtrumento apex conicus & mollior argenti materia. Eligebat ergo *Barbette* celeberrimus, apicem mucronatum chalybeum, lanceolis ſimilem, ancipitem, cutimque citius dividentem. Sed in hoc iterum Job von Meekren ex anguſtia tubi ſenſit obſtacula, unde majorem diametrum præſcriptum dedit [*m*]. Alii cuſpidem adeo acutam in abdomine diutius ſervare multis de cauſis ſunt veriti, unde de ulteriori inſtrumenti perfectione cogitatum.

§. XII.

In diverſa fere abiit Franciſcus Toletus, dum ſub nomine *Trois-cart* libro de la lithotomie c. 21. p. 143. ſeqq. deſcribit & delineat acum ſulcatam, cui ſtylus quaſi inſinuatus eſt, ſtylo ita juncto cannula pollicem tranſverſum longa inducitur, ut acus vulneri aperiendo, cannula ſervando, ſtylus obturando inſerviant. Sed quis non videt hujus inſtrumenti incommoda, acus ex canali minime redux, in canali fixa ventri inhæret, & inteſtina facile lædit; canalis acu major & deſuper inductus difficulter cutim

[*m*] In libro Heel-en Genees Konſtige Aanmerkkingen 47. Hooffdt-Stuk p. 279.

cutim ingreditur; ſtylus ubi ex acu prominet, novos dolores ſub inciſione parit, & veteres renovat, quoties per canalem denuo intruditur.

§. XIII.

Brevius quidem ſed non omnino felicius paracenteſin exercuere illi, qui contortum filum lineum acui trajectum per abdomen traduxere [n], morem ſecuti eorum, qui ſetacea ad humores ſubcutaneos derivandos, ſeu hominibus ſeu animalibus applicant. Palmam præriperet hæc operatio cæteris omnibus, dum modo per filum exile, major notabilis aquæ copia poſſet filtrari. Si multiplicentur fila, acum oportet fieri majorem, atque cum fila cera imbui nequeant, aſperitate ſua vulneris latera violenter fricant, & ad inflammationem diſponunt. Claudunt fila vulnus exacte & limpidam ſaltem e ventre abſtrahunt. Serum craſſius remanet, & ſubſecuturo malo ſemen præbet.

§. XIV.

Multi prædicant inventum Dni. Thouwenot, ſereniſſimorum Sabaudiæ Principium conſiliarii & chirurgi primarii, quod quintuplicis generis apparatu, ut ſcribitur [o], perſolvitur. Duæ ſcilicet ſunt cannulæ ſimplices atque apertæ, tres aliæ compoſitæ per cochlidea organa, elaſtica, claviculis occludendæ ſingulæ eximii laboris & læviſſimæ polituræ. Longiſſima alterum non excedit digitum. Acus ſunt chalybeæ, cuſpides acutiſſimæ & perfecte rotundæ. Cannulæ ipſæ ex auro vel argento, altera extremitate clave, cochlidio & organo elaſtico, fere inſenſibili obturandæ, ne tantillum aëris per cannulam queat egredi; recluſæ tamen orificium ita caute diſtribuunt, ut ad capilli diametrum aquæ rivus poſſit attenuari. Uſus horum inſtrumentorum talis eſt. Sub umbilico ad latus, rotunda acus cuſpide, venter transfoditur. Exemptæ acus veſtigium cannula occupat, in abdomine relinquenda ad biduum, vel triduum, donec aqua omnis e cavitate diſceſſerit. Si reliqua quæ in obſcuro hoc apparatu ad manus habet Autor, bene proceſſiſſent omnia, id unum operationem reddidit moleſtam, nec veterum encheireſi §. 8. deſcriptæ, præferendam, quod vulnus prævium ſequatur demum cannulæ inſertio, unde ægrotus duplicem dolorem perfert.

§. XV.

[n] Conf. exercitationes Friderici Deckeri p. 288. ſeqq. & Paræum lib. 7. c. 12.
[o] Conf. Stephan. Blancard. collect. Med. Phyſic. cent. 3. obſerv. 20. p. 337. ſeqq. & D. Joh. Jacob. Mangetus in notis ad chirurgiam Barbette cap. 14. p. 41. ſeq.

Landesbibliothek Oldenburg

§. XV.

Multis quidem enumeratis moleſtiis ſuperior eſſe videtur Sculteti inventio, quam in armamentario chirurgico aperuit [p]. Videlicet trajecit per canalem anceps acumen, haſtulæ formam exacte referens, ex quo procedunt duo chalybei elateres, in duo parva manubria rotunda terminantes, atque tubulo reſiſtentes, ne retro cedat à vulnere, nedum ut in Toleti inſtrumento, in manus operantis recidat. Sed cum cuſpis dicta, tubuli circulum anteriorem non undiquaque obtegat, tranſitum tubulo liberum minime parat, ſed ipſa quidem facile præcurrit, cannulam vero derelinquit, ut cum nova ægrotantis moleſtia intrudatur. Suſpicor inde ex dato inſtrumenti ſchemate, illud juſto eſſe brevius, ut incommode valeat applicari.

§. XVI.

Prius incommodum & in eo ipſo animadverti inſtrumento, quod ex celeberrimi Heiſteri præſcriptione, in meum uſum olim fieri curaveram. Videlicet cum An. 1719, in Panarienſi diſtrictu viverem, atque in hydropicum fere ſeptuagenarium inciderem, citiſſimam opem præſtiturus, ob defectum idonei inſtrumenti, ſolo anatomico cultello, feliciſſimo ſucceſſu inciſionem abdominis attentavi; inde cum ab hac operatione hominem bene valere videram, aliis dolorem levaturus, ad Heiſteri delineationem cannulam perviam cum inſerta cuſpide comparavi. Accidit mox ut miles hydropicus, Libenmühlii mea conſilia quæreret. Suaſi huic exemplo prioris paracenteſin, nec ſuaſi ſaltem, ſed a meis manibus expectandam obtuli. Compoſuit ſe æger ad meum arbitrium, ut operationem & ſucceſſum hujus inſtrumenti experiri potuerim. Senſi illius uſum, ſed ſenſi & remoras ægrotis præmoleſtas. Cannula terebellæ acumini vix adeo exacte jungenda, ægre cutim trajicit, unde dolor ſenſibilis ægro, operatori vero labor improviſus accidit.

§. XVII.

Hæc experientia me commovit, ut in inſtrumenti utiliſſimi ulteriorem perfectionem, cogitationes meas dirigerem. In omnes tandem vias intento, incidit methodus maxime facilis, qua omnis prædictorum inſtrumentorum ſuperatur moleſtia. Cannulam ſervo conicam, vel potius coni truncati æmulam, qualis Fig. I. a, ſiſtitur. Hanc ex chalybe fieri curavi, eo artificio, ut verſus apicem b b, abiret fere in laminarem tenui-

[p] Tab. XII.

tenuitatem, quæ elaſticitatem admittit. Hunc cannulæ reſectum apicem, perpendiculari crena, bifariam ab utroque latere diviſi, uſque ad diſtantiam c. ubi in rotundum foraminulum abit biſectio, ſubtus crenam à lateribus duo viſuntur parva foraminula, influenti aquæ patentia. Longitudo canalis duorum pollicum Rhenanorum eſt, craſſities ad baſin ee, calami ſcriptorii, quæ apta proportione verſus apicem minuitur. Terminatur cannula in quadratum planum ferreum e e, dimidium circiter pollicem longum & latum, lineam & quod excedit craſſum, à cujus utroque latere, ſulci duo prominent, quibus lamella mobilis aurichalcea *ein Schieberchen von meſſing* f f. inſeritur. Hæc lamella aliquot foraminulis majoribus minoribus, in regione ubi centro cannulæ imminet, perforata eſt, alicubi vero integra, ut eadem tubulus poſſit claudi. Qui ex argento hunc canaliculum factum eligit, & auro obducere exacte permittit, non gratiam ſaltem, ſed & commoditatem majorem, procul dubio inſtrumento conciliabit. Per hunc canalem trajicitur ſtylus, cannula paulo longior, idemque æque chalybeus Fig. 2. a. Hic verſus apicem in regione d, parumper complanatur; apex autem bb, ſagittarum cuſpides imitatur, & quodammodo quadrangulari pyramidi, cujus baſis rhombum refert, aſſimilatur. Hæc ſtructura ab hac lege pendet, ut adhibiturus inſtrumentum, ſtylum facile poſſit trajicere, cum cannula arctiſſime jungere, & pro lubitu etiam extrahere. Si cuſpis canalem intrat eo ſitu, ut rhomboidalis baſeos extremitas longior Fig. III. d d, ad crenam tubuli vertatur, latera elaſtica hujus Fig. I. b b, facile divaricant, & ſtyli capitulum non tranſmittunt ſaltem, ſed ſua reſtitutione, ſibi continuo contactu adeo arcte inoſculantur, ut cuſpis cum cannula abeant in inſtrumentum continuum. Fig. IV. B B. Contra ſtylus ſi educendus eſt, leni manubrii C. ad dexteram detorſione ipſe ſtylus ſupra complanatus diſtendit latera tubuli elaſtica, ut apex in cannulam libere regrediatur.

§. XVIII.

Parato hoc inſtrumento expeditius longe in paracenteſi procedo. Cannula c. ſtylo ſimul ingeruntur, unus utriuſque in ægro ſenſus eſt, tuto cannula ſi auro obducitur, in vulnere remanet, ad menſuram, fluxus aquæ temperatur valvula, eadem & rivus aquæ clauditur, & integer canalis abdomini alligatur.

§. XIX.

Vix emendaveram inſtrumentum prius, cum ante aliquot ſeptimanas Libenmühlium reverſus, novum experimenti ſumendi ſubjectum pronum & paratum in vicinia animadverterem. Diſpoſui ægrum ad operationem

ſuſtinendam, cui & ſponte ſe accommodat, corpus primum deambulando modice exercere jubeo, ut aqua verſus inferiora ſubſideat, poſt in ſella reſidet, atque parentibus tenendus juvenis ægrotus traditur. Retecto abdomine ſex digitos tranſverſos ſubtus umbilicum ad latus muſculorum rectorum ſiniſtra manu tumorem deprimo, & foveam inſtrumento meo uſque ad cavitatem abdominis perſequor, quam facilior inſtrumenti tranſitus ſignificabit. Vix ſtylum ex cannula ſenſim vertendo extraxeram, cum aqua ceu ex fonticulo per canalem proſiliret, ut jam fluxum aquæ aliqua ratione promoverem, deſuper Epigaſtrium mantili circumdato ſenſim compreſſi, nec extraxi cannulam, uſque dum aqua ſponte deficeret [q]. Defluebant hac vice 6. circiter aquarum menſuræ pruſſicæ. Vulnus tubulo extracto concidens adaptato ſplenio deligabam. Conſpexi ſub operatione & ſcrotum hominis & penis cutim ad rupturam uſque gravari aqua, ut nec lotium reddere poſſet. Quando jam exinde regreſſum aquæ, ad cavitatem abdominis difficilem fore augurabar, cultro in infima parte inciſionem feci, & fomenti loco cataplaſma ex herbis diſcutientibus & emollientibus lacte coctis præſcripſi. Sequenti die ægrum vires recepiſſe, at ventrem denuo intumuiſſe deprehendebam; igitur in altero latere paracenteſin repetii, & tres menſuras ſeri denuo derivavi. Stillare ſcrotum adhuc dum ſenſi, tumor vero fere omnis in eo ſubſederat. Poterat & veſicam exonerare æger ſine moleſtia. Nil mali reliquum, quam quod vulnus inflammationem lenem præſentaret.

§. XX.

Interim me fata Regiomontum revocabant. Suaſi ergo ſub diſceſſum, ut purgantibus præſcriptis & potu diuretico propinato uteretur. Quomodo æger jam ſe habeat, nuncio nullo reſcivi. Quod tamen ad præſens inſtitutum ſufficit, hæc experientia ſatis confirmat, poſſe paracenteſin præſcripto & emendato à me inſtrumento, expeditius longe & felicius peragi.

§. XXI.

Ad reliquas hujus operationis circumſtantias, quivis qui ea utitur ipſe attendat. Neque enim de paracenteſi in univerſum, ſed de ejus encheireſi ſaltem facilitanda in præſenti commentari volui.

§. XXII.

Si quis meæ experientiæ opponit metum inteſtinorum facile lædendorum,

[q] Sunt quædam exempla, ubi omni ſimul educta aqua patientes convaluerunt. conf. Heiſt. Chirurg. c. 102.

rum, huic respondeo: aquam inter integumenta & intestina interceptam majus replere spatium, quam quod brevissimum instrumentum possit emetiri. Sunt & intestina lubrica & mollia, ut instrumento cedant, nec adeo facile lædantur, nisi mucro diutius in cavitate perseveret.

EXPLICATIO FIGURARUM.

Fig. I.

a. Cannula chalybea conica apice resecto.
bb. Duo elateres.
c. Crena antica duobus lateribus elasticis intercepta.
d. Foraminulorum lateralium alterum.
ee. Basis quadrata & sulcata valvulam f. recipiens.
f. Valvula, diversimode perforata & in g integra, ibidemque justo angustius per errorem sculpta.

Fig. II.

a. Stylus chalybeus cannula paulo longior.
bb. Mucro sagittalis sive sagittæ similis.
c. Manubrium.
d. Aspectus mucronis ab elateribus bb. fig. I. subtus complectendi.

Fig. III.

a. Stylus ferreus ab altero complanato latere conspiciendus.
dd. Basis mucronis cum stylo continuus.

Fig. IV.

A. Sylus cannulæ junctus & perfectissime circa mucronem BB. unitus.



HENRICI

CLXI.

HENRICI MICHAELIS MISSA,

Præside

J. BAPTISTA THURANT

Thesis in verba

Ergo Hernioſis ex ſcuto eburneo coriaceoque Cingulo, ſubligacula

Pariſiis 1754.

Landesbibliothek Oldenburg

I.

HErniæ nomen & natura cuilibet hominum, mulieri præsertim, mali ominis est: sterilitatis parens perperam habetur, quasi proli generandæ foret impedimentum. Indecora proinde ac turpis ægrotatio. Omni studio propinquis & amicis, etiam in arte magistris, celatur ubique; imo sibimetipsi dissimulat id vitii omnis quem detinet. Neminem sæviori, crebriorique torquet cruciatu, quam infantes. Dirum sane morbi genus ac vulgare! Ruri pariter ac urbi vernaculum. Ex acuto chronicum, ex chronico acutum, peracutumve brevi ac leviori de causa fit illud incommodum. Præcipua Herniæ sequela sunt ligamentorum & viscerum abdominalium relaxatio, elongatio, dimotio, protuberantia & inusitata partium continentium diductio. Eorum quælibet libere fluctuantia sunt, fluxilia, pendula, decidua adeo, ut quoscumque motus sequi prona sint, qua minor ipsis objicitur obex, atque elabi compressa nitantur. Mollia insuper, serosa, oleosa & pinguia nimis fiunt quandoque; ubi virus aliquod, serum, oleum, adepsve eadem invadit immodicum. Hernia, natali e sede præternaturalis ac tumens quorumdam viscerum in abdomine contentorum dimotio est. Viscera hæc cum aliqua modo; cum nulla alias abdominis per aperturas egressione dimoventur. Nec semper & ubique descendunt quoties exturbantur; sed potius ascendunt aliquando, ut in epigastrico ramice, xiphoideam circa cartilaginem facto, pluries vidimus. Externa, internave Herniarum sedes est. Dum viscera naturali aut præternaturali foramine egressa tumorem constituunt, exterior tunc evadit hernia. Dum eadem e loco a natura sibi dicato intus deturbantur solum modo, interior vocatur. Duplex ab autoribus ramicis exterioris genus. Aut ex viscere quodam quacunque de causa ex abdominis cavo prosiliente ducit originem, & vera solaque est Hernia. Aut ex humoribus sensim ac sine sensu congestis, partesque extra ventrem pendulas implentibus provenit, & hæc spuria audit. Hippocratem neutra latuit. Spuria silentio prætermittetur, utpote instituto aliena, de vera, uti decet, Hernia unice fiet eo loci mentio. Nec unica habetur ejus species. Differt enim pro loci diversitate, in quo sedet tumor, & varia inde imposita sunt nomina. Sicut quadruplex in genere est abdominis regio; ita & quadruplex Herniæ sedes. Modo superiorem modo mediam, inferiorem nunc occupat regionem. Unaquæque regio sua penes latera adhuc subdividi consuevit. Nunc antice illa, nunc postice subsistit. Epigastrica dicitur alia, aliæ hypochondriacæ; hæc umbilicalis, lumbares & illæ; quædam hypogastrica, iliacæ nonnullæ; aliqua supra pubem reperitur, deficientis loco alterutrius musculi pyramidalis, qualem olim offendimus bis a solo peritonæo, ab eodem semel & intestino simul pronatam; inguinales sunt & aliæ, crurales, &c. Hernia in superiore rarior, in media sat frequens, in infima ven-

tris regione omnium frequentissima. Superioris & mediæ centrum, albamve lineam sæpius, vix latera vulgatius invadit, variis præ ejus orificiis. Ultima hæc suam propter subdivisionem gemina prædicatur, hypogastrica videlicet, & penilis. Ratione viscerum varietatis, quæ herniis locum dant, alia a ventriculo, alia ab hepate, liene, renibus, omento, mesenterio, fistula intestinali, vesica urinaria, utero, ovario, alia tandem a sola peritonæi foras prolapsi laxitate, elongatione ac tumore proficiscitur: fit etiam vaginæ, uteri & podicis prolapsus. Horumce viscerum quædam frequentius, quædam rarius suo prolapsu ramicosum edunt tumorem. Ex intestinis tenuiora sæpius, quæ inter ileum præcipue, crassiora rarius, ex quibus colum in pueris & rectum, crebrius prosiliunt. Pari facilitate utrumque juxta inguinum latus foras delabuntur intestina. Epiploon in sinistrum potius quam in dextrum abdominis latus demittitur. Ratione peritonæi; Herniam vel semper præcedit peritonæum ipsi largiendo sacculum, vel nullatenus eam concomitatur. Peritonæi pars prætermodum elongata ac sinuosa Hernioſus dicitur sacculus. Vel cum aliquo, vel absque ullo peritonæi involucro contingit Hernia, prout rumpitur illud, vel in eo quo prodit hæc loco, naturaliter deficit. Universo sub corporis integumento sic latet mediate, immediateve Hernioſus tumor, vel cute disrupta, cum quadam aut ulla absque vagina extra conspicitur. Sic modo nuda, modo vaginata est Hernia. Peritonæo varios propter quos viscеribus suppetit processus, septo veluti transverso in provincias inæquales dividitur abdomen. Hinc alia cavum intra suum viscera continet illud, alia ipsi subjacent. Ultima hæc vel supra pelvim, vel intra, vel infra ramicem procreant. Ratione foraminum, unde emergit iste, vel naturali, præternaturalive orificio prorumpit. Naturalia foramina sunt umbilicus, abdominales musculorum annuli, geminus cruralis arcus, foramen ovale, infernaque pelvis orificia. Præternaturalia, vel ab iniqua musculorum abdominis diductione, ut in linea alba sæpius evenit, vel a violenta eorum solutione, quocumque efficiatur agente. Aperturæ igitur, quibus apparent ramices, aliæ sunt membranaceo-tendinosæ, ligamentosæ, osseæ, aliæ mere carnosæ. Sic illæ suam ob ambitus diametrum non ita variant, ac carnosæ, tum sua præ constrictione, tum sua præ dilatatione. Ratione ortus; nunc hæreditaria, nunc congenita, nunc adventitia est Herniia. Ultima hæcce species, vel a violenta peritonæi ruptura exoritur subito, & maximo cum dolore, vel a sola ejus ampliatione præternaturali prodit pedetentim ac sine ulllo doloris sensu; prior acuta, posterior chronica. Ratione durationis; recens vel inveterata annosave nimis. Hic multum dilatatur, illic angustior est adhuc foraminis limbus. Ratione consistentiæ; nunc mollis, nunc perdura est. Ratione sensus; vel dolentem, vel indolentem natura sese gerit. Ratione molis; parva, magna, aut enormis. Ratione descensus & elongationis; alia prælonga, minor & alia. Ratione figuræ; subrotunda, acuminata, cylendriformis, (teste Heistero) cordiformis, qualem animadvertimus, præsente hoc anno, ac mollem ab omento, inte-

Landesbibliothek Oldenburg

teſtinoque ſimul prolapſo oriundam ſecundum umbilicum cujuſdam mulieris obeſæ, arthriticoque aſthmate laborantis. Ratione numeri; vel ſolitaria, duplex, vel multiplex ſimul. Ratione concomitantium; vel ſimplex, vel complicata aliis cum morbis, aut pluribus cum accidentibus. Ratione ſymptomatum; modo gravi inflammatione marcida eſt pars Hernialis, modo adhærentia aut ſtrangulatione gangrænoſa. Nunc ſui juris eſt ac libera, nunc cohæſione, vel ſtrangulatione ſeorſim, aut utraque ſimul conjuncta ſtipatur. Incarcerata eſt ibi & difficilis, vel impoſſibilis abſque operationis ſubſidio, ibi omnium facillima citra ſectionem ejus reductio eſt. Ratione partis, qua excipitur Hernia, ſcrotalis nunc in viris, pudenda nunc in fœminis, vel vaginoſa, aut uterinovaginoſa. Ratione ſexus, in quo adeſt Hernia; aliæ mari & fœminæ æque communes, aliæ alterutri particulares. Ratione ætatis ſubjecti, in quo reperitur ramex; ille in infantibus uni aut alteri, aut utriſque teſticulis ſimul peritonæo involutis, ac intra abdomen retentis, ut fluente hac hebdomade in puero trium fere annorum deteximus, vel prope annulos ſurſum retractis, aut penitus demiſſis debetur; uti multoties obſervare obtigit. Ratione meſenterii, cui libere annectuntur inteſtina, illud more uteri, vaginæ & ani, vel in totum, vel in partem infauſta relaxatione ſimul & elongatione interdum tentatur: quo pacto inteſtinales intus facit Hernias. Internæ vero Herniæ quaslibet pariter, ac cæteræ, abdominis regiones invadunt. Eas in hypochondriacis, hyſtericis, volvulo, colicis, flatulentiſque doloribus intueri licet. Modo a prægrandi viſcerum intumeſcentia, elongatione, & dimotione, modo a ſuſpenſoriorum ligamentorum debilitate, relaxatione & productione ortum habent. Ut diverſis ſuccurratur Herniarum ſpeciebus, maxime conducunt ſubligacula eburneo ex ſcuto & coriacea cum zona confecta. Alvina enim viſcera hoſpitali in ſede, modo rite ſint prius repoſita, firmare & continere, ne deinceps ſint relapſura, inſtrumentis illis quid aptius excogitari poteſt? His adhibitis infelix ſane non erit adeo impoſterum gentis humanæ conditio, cum tot, tantis, ac tam diverſis malis præcavendis, curandis, & eorum regreſſioni amovendæ præſidia ſint valde idonea.

II.

Peritonæum proceſſibus ſtipatum ſuis, membrana mollis, ſat valida, denſa, ad umbilicum tenuior, extenſionem & contractionem magis quam rupturam pati docilis. Qualibet ideo, etiam in umbilici Hernia dilatari potius quam rumpi conſuevit. Ligamenta ſingulique annuli, quibus natali in loco firmantur alvinæ partes, nihil, niſi induratæ quoque ſunt membranæ, robuſtæ quidem, immenſæ extenſionis, abbreviationis, conſtrictioniſque capaces. In illis totidem adſunt repagula, quibus æque ac peritonæo coercita proteguntur viſcera. Quotieſcumque ejuſmodi obices aliquid nocivi relaxat, emollit, aut inflat, aut diducit & extendit nimium, toties con-

tenta ſua e ſede deturbantur intus, vel foras proſiliunt, non quodam ſine doloris acerbi ſenſu ut plurimum, aliquove impendente mortis diſcrimine. Principium illud mali externum, internumve. Utrumque dicatur Herniarum cauſa determinans. Internum ſemper addas tertium, cauſam nempe conjunctam, morbi primarii præparantiſque vicem gerit agentis in ordine ad ramices qui, quatenus proximi ejus ſunt effectus, ſecundarii habentur morbi. Principes determinantium cauſæ humidior aëris temperies, continuus aquæ crudæ, putealis aut cujuslibet vitioſæ abuſus. Sic Sequana apud Pariſios & illa quam Fimenſes prope Remos in uſum vocant, Herniæ locum dant. Deterior cereviſia, debile pomaceum, lora, pultaceæ ex oleo, lacte ebullito, humidioribusque polline infantium ſorbitiones. Nimius potuum aut ciborum uſus, prava, opiparave victus ratio, juſto copioſior quorumcumque diluentium ingeſtio, oleoſa, adipoſa quævis fercula. Luxurians, ſeroſiuſve nutricis lac, aeu jugiter epotum ab infante ſeroſa jam colluvie laborante. Singula ex illis in ſanguinem infidam devehunt vel ſeri vel perverſi humoris copiam, quæ circulationis ope in conjunctam evadit Herniarum cauſam, partes alvinas prætermodum humectando, laxando, elongando, ingurgitandoque. Relaxatis eo modo ligamentis, tumefactis viſceribus, recluſis aliunde ſimul annulis, ut extra ventrem contenta exiliant, cogit quælibet cauſa determinans. Nulla enim fit Hernia oculis conſpicua, de qua hic unice agitur, niſi prævia adſit foraminum dilatatio, partiſque prolapſæ relaxatio, elongatio ac tumor. Pari in proportione determinante cum cauſa hæc vitia ſemper occurrunt. Vomitoria, draſticæ purgationes, quæcumque remedia validiora, violenta geſticulatio, niſus ingeminati ſtatim a paſtu facti, validæ in abdomen percuſſiones, iniqua ventris compreſſio, loricæ in pueris anguſtiores & cibo refectis imprimis nocentes, prælonga itineratio, continui infantium ejulatus, caſus ab alto, ſella familiarica in pueris, & medio depreſſum nimis ſedile in ſcribis, &c. Herniis obnoxium reddunt abdomen. Sic bajulatores, v. g. angarii, equites, eſſedarii, buccinatores, ſpicarum faſces in rhedam attollentes, ſutores, curſores, ſcriptores nimis ſedentarii, ſi ſcribendo magis in unum quam in alterum latus inclinant, ſi ſede paulo altiori innixi æquo demiſſiori tabulæ incumbunt, rudibus pugnantes, ſaltores, ſartores, ſurrecta in alvum & decuſſata propter crura, anoque compreſſo, diutius pedibus aſtantes, qui omnes inguinales cruraleſve ſibi accerſunt ramices. Internas inter cauſas numerentur vehementes animi paſſiones, frequentior maximave cum defatigatione habitus veneris uſus, intempeſtiva gulæ & quieti otioſæ indulgentia, diuturnior alvi conſtipatio, teneſmus, ægra urinæ, fœcum, molæ, placentæ, ipſiuſmet fœtus excretio multotieſve perpeſſa, incauta ab obſtetrice uteri læſio, amplior ejus cervicis diductio, alvinarum partium paralyſis, flatuum proventus quibus vaſtius intumeſcit venter, in bilioſis aſcarides, in melancholicis hemorrhoides ſphincteris veſicæ & ani reſolutio, in veſica calculi

præ-

præsentia, laborioſum reſpirationis negotium, macies, pertinacior inedia, ſpontanea in ſenibus partium debilitas mollitieſque, infantium pertuſſis, ingrata ſternutatio, ferina tuſſis, iniqua humorum in hydropicis intra alvum effuſio, aut viſcerum infarctus, ſcirrhus, cancer, lymphaticæ concretiones, alvinæ præ aliis, parcior, coercita ſubito, copioſa nimis, cum externa, tum interna perſpiratio proximam ſuppetit Herniarum cauſam. Sic humidis ac frigidis a natura in infantibus, qui togatorum more bruchorum, parum perſpirant, multum dormiunt, redundans pervulgo colligitur ſerum. Illud vero declivem propter loci ſitum ad ventris annulos defluit. Carinatos inter peritonæi proceſſus ſupra pelvim ibi hoſpitatur. Tumores proinde infantium ab intus enati minus reſolutione, quam ſuppuratione omnes debellandi. Simili prorſus modo celluloſum inter textum aut ſerum (aut pinguedo) prætermodum regurgitat ſæpe in iiſdem, quo veluti diluvio affliguntur & ralaxantur alvinæ partes. Adultis etiam pituitoſis, cachecticis, toroſis, & obeſis id vitii ſolemne eſt. Malemorata parentum conſtitutio, nutriciſve incurabilium cujuſque generis malorum fœcunda parens. Primigenium Hernioſi temperamentum aut caſu vitioſum, debile, pituitoſum aut humore quodam virulento infectum, pyramidalium in quibuſdam muſculorum defectus, morbi acuti ac prælongi, quorum ſequela & terminus, (ob eorum decubitum) aliquoties deveniunt Herniæ. Cum multiplex ac diverſus adeo ſit cauſarum concurſus, quibus provocari ſolent illæ, mirum ſane, qui obviæ magis non occurrant, etſi valde ſint populares. Signa quibus promuntur, ſingula a ſe invicem diſparia. Triplici præſertim habetur via earum diagnoſis, viſu, tactu & auditu. Dum cognitionem ac diſtinctionem Herniarum rimatur medicus, prudenter ſe gerat, ne nubem ubique pro junone captet. Communia aut particularia ſunt ſymptomata. Illa differunt, prout eas antecedunt, comitantur, ſubſequunturque. Alia in principio & progreſſu, alia in ſtatu & declinatione. In ſede, ubi proditura eſt Hernia, cum imminet, dolor adeſt gravis & intertrigini ſimilis. Hunc facit elongatio nervorum ac diſtentio, quibus conſtat exturbata pars. Omnimode minuuntur etiam tunc annulorum columnæ, progreſſu dein facto, parvulus ſupervenit tumor, qui digito premente palpatur, cedit, de die in diem increſcit. Si æger dorſo incubat, confeſtim alvum repetit tumor, niſi cohæreat aut intercipiatur. In ſtatu confirmato, ab ovo columbi ad hominis uſque caput magnitudine æmulatur. Talis ramicis ſpecies nullo vinculi genere redimenda, in ventrem haud ſponte remeat ut antea, licet dorſo jaceat æger. Dolor ſub egreſſionis loco aut nullus aut parvus ad ſummum ſentitur, elapſam partem & foramen una ſubit. Atrox humanitatis hoſtis, perfiduſque ventris hoſpes Hernia infauſtioris fit prognoſis, ſi negligatur. Ubi ſemel inveteraſcit, ægrius curatur, & ſæpe evadit aut graviſſima aut lethalis. Epigaſtricus ramex, umbilicalis, femoralis aliis difficilioris ſunt curatiois, minori vero aleæ patent; inteſtinalis omentali pejor

ac longe usitatior; vaginosa, uterina, anique procidentia magis molesta quam metuenda, levioris ut pote periculi. Ani prolapsus pueris senibusque tum frequens cum ingratus. Omnium tamen est curatu difficillimus in senectute, in pueritia sponte & temporis lapsu ut plurimum evanescit. Herniæ cum externa internave adhærentia aut strangulatione periculi multum alunt. Propria acutis symptomata hæc & illa sunt præcipua. Cetera, quibus causæ fiunt eædem, necessaria reputentur earum stipendia. Adhærentia alia per agglutinationem, fibrosa alia, carnosa quædam, nonnulla spongiosa, carcinomatosa demum omnium rarissima. Viscera hic inter se, illic cum eorum vagina, si qua sit, aut vicinis cum partibus, si absit, extus & intus alieno eodemve tempore conjungit. Eorum vagina pariter omni cum parte quam tangit, præternaturale sæpius init commercium. Si vitiosa sit subligaculorum fabrica, si nedum Herniæ foramen aptius obturent illa, nimio inæqualive modo ipsam comprimant, nec firmiter, nec probe coerceant, si ejusdem sedi veteris licet ponantur nulla, vel si admota crebrius & intempestive a vitii loco removeantur, æqua pene potestate succedit adhæsio. Eandem quoque parit diuturnius ramicis ævum, quatenus viscera irritationem, inflammationem, & ulcerationem concipiunt. Facta enim partium ulceratione inter se facile coalescunt. Idem observare est vegetabili animalique individuo, deviam propter, lacerata cute, roris nutritii effusionem. Intestinalis cohæsio epiploica longe sævior. Alvinæ partes eo magis huicce vitio sunt obnoxiæ, quod inflammationi ac gangrænæ aliis visceribus citius pateant. Adiposa valde gaudent membrana, cujus ope de vicinio in vicinium serpunt ocius ea malorum genera, faciente hic quoque stercoris præsentia, uti & glandularum cutanearum sebacearumque situ. Mutuam sibi concedunt originem, & eadem quandoque (peracutis nempe in Herniis) habent signa & symptomata, tum cohæsio, cum strangulatus. Strangulantur viscera extra ventrem delapsa, cum nec recedere nec progredi ulterius queunt, præsentem ob foraminis angustiam. Angustiorem vero ipsis efficiunt semitam aut flatus in Herniæ sacculo inclusi, aut humores in vasis nimium compressis stabulantes, quæ reciproco renisu præternodum distendunt, vel præternaturalis peritonæi, aut foraminis constrictio, ingurgitatiove. Strangulatio adhærentia longe pejor, præsertim si intestinalis. Multiplex ejus species. A solo, ut sæpius, foramine, aut ab unico peritonæo superne inferneve extra aut intra ventrem semel pluriesve contracto, aut a foramine & peritonæo una constrictis tumefactisve habet unde existat, aut a tumente intentius partis morbosæ substantia, majorem propter novi humoris affluxum, sanguinisve suis in vasis hærentis copiam. Interceptionis symptomata hæc sunt. Hernioſa in sede repentino vehemens subsequitur dolor, qui sensim per abdomen latius extenditur, quique per intervalla fit torminosus. Perpetua oris amarities, nausea, copiosa, spissa, glutinosaque salivatio, vomitus primum alimentosus,

ſus, chyloſuſve, mere bilioſus inde & ſtercoroſus, alvo interdiu ſilente, flatus in ventriculum ab inteſtinis agmine facto tumultuoſe conſcendunt, unde maximo conamine ex ore prorumpunt, & ægrum quaſi ſuffocant, vaſtius intumeſcit venter, febris ardet, ſingultus angit, motus convulſivi ſuperveniunt & crebra animi deliquia, gangræna ulterius progrediente, ſphacelo, ac morte jam propulſante, pulſus depreſſus, intermittens, valde concentratus languet, cutis color ex rubro in pallidum lividumque mutatur, affecta tunc in ſede omnis dolor, motus ac ſenſus perit, quieſcit tumor, ut plurimum molleſcit, vomitus interea facilior, ſimulata boni imagine, flatibus per anum datur exitus, detumeſcit venter, remittitur febris, extrema ſubalgent, conſtringuntur alæ naſi, cornei fiunt oculi, fixi ſcintillant, ſuppreſſa omni rejectione miſere procumbit tandem ab oreo irrevocandus æger. Herniis chronicis vulgo inſunt accidentia, aſthma frequens, habitualis, vel tranſitorius ventriculi morſus & difficilis ejus functio, inteſtinorum diſtentio, flatulentus dolor, nonnullæ lipothymiæ. Singula temporis mutatione recrudeſcunt hæc mala, quibus addendi ſunt œdematoſus artuum tumor & meſenterii glandularum infarctus, quas inter chylo in ſanguinem trananti denegatur aditus. Hernia epigaſtrica ad xiphoidis appendicem circumnata, ſoli peritonæo ſæpius, ventriculo omento jejuno aliquoties debetur, ſive ſeorſim, ſive una ex iis quædam ſint egreſſa. Oritur potius ab intentiori ventris deductione quam ex ejuſdem ruptione. Ab inteſtino præſertim fit & adultis ac obeſis longe communior, adhæſioni longe propior, gravior, ſtrangulationem aliis minus proclivis, difficilioris eſt repoſitionis, rara ejus operatio & ſuos ob effectus periculoſa. Serotina nimis adhiberi ſolet, qua de ratione incurabilis evadit illa, ſive per lineæ albæ, muſculorum, peritonæive dilatationem aſſurgat, ſive per rupturam peritonæi intus refugientis, aut foras propendentis. Umbilicalis Hernia nunc in ſuperna nunc in media, hic in laterali, illic inferna umbilici parte ortum habet. Quadruplex ergo eſt ejus ſpecies. Si in medio apparet, aliqua cum peritonæi ſolutione fere ſemper evenit. A colo, ileo, jejuno, omentove ſeorſim, unave conjunctis, ut pote umbilico proximis maxime oriunda. Pueris, pituitoſis ac obeſis aſſueta, adultis & fœminis partum pluries perpeſſis longe frequentior. Supra, ad latera, vel infra ſæpius, umbilici medio rarius ſubſiſtit. Quæcumque ſit, cæteris gravior in adultis, fere incurabilis, & in pueris ſi præcraſſa ſit, mali eſt ominis, quamvis, ſi recens ſit in eis, evadat curatu facillima. Propria ei ſunt ſigna colicus dolor levis, perpetuus & increſcens, dum aſtat æger, vel cibo reficitur. Inguinalis Hernia cuilibet ætati ac ſexui pariter communis. Modo ſolitaria, ſæpius gemina, alias alio cum morbo complicata. Illam faciunt aut viſcera intus remanentia extrave delapſa ſub cute ad annulos, aut teſticulus alteruter, aut uterque iiſdem in ſedibus retentus, quatenus carinatos inter peritonæi proceſſus præter naturam invaginatur vel ſurſum retrahitur. Rarius omentum, colum, cœcum aliquoties, ileum ſæpius, veſica, in viro præcipue, & uterus raro hanc conſti-

ſtituunt. Natura mobilis, genitalibus proxima, baſi anguſtior, lubrica ſub tactu cedit, a bubone duro renitente immobili & a genitalibus ſemoto, legitima virus venerei progenie, latioris baſis ſuperioriſque ſedis, facile diſtinguitur. Niſi adhærentia ſtrangulationeque ſtipetur, vix periculoſa. Si pyramidalis alteruter, ambove deficiunt muſculi, eorum in locum ſuccreſcit interdum ſupra pubem Hernia. Peritonæo, vel omento, aut inteſtino ſeorſim ſimulve prolapſis naſcitur. Scrotalis in viris pudenda in fœminis exurgit Hernia, ſi intra ſcrotum pudendaſve partes ſua præ elongatione deſcenderit Hernia inguinalis. Tunc vel ſupra aut circum vel infra ſpermatica vaſa aut ligamenta rotunda tranſit. Inguinali in ramice, ſcrotali & pudendo, ſi magnus ſit tumor, alvus ſæpe clauditur. Viſcera nunc inter ſe ſoluta ſunt, nunc ſibi mutuo adhærent; ibi peritonæi ſacculo accreſcunt; ipſemet ibi in viris ſcroto, in fœminis pudendorum labiis unum aut alterum, vel utrumque juxta latus, prout ſimplex vel duplex vitium eſt, ſimul concreſcit. Omnimoda hic, partialis illic ſacculi & viſcerum adhæſio eſt. Pudendus ramex adultis in mulieribus, quam ſcrotalis maribus vulgatior. Femoralis Hernia per ſe rara, parva, oviformis, macilentis ac fœminis multo partu famoſis crebrior, puellis ac lacertoſis viris inſolita. Sævam in adhærentiam prona nimis diverſos ob femoris motus, aut ſubligaculotum vitia iteratamve nimis ab Herniæ loco eorum remotionem; unde in coalitum facile deſinit. Opportuna enim ſubligaculi ſpecies, quo ita firmari poſſint intus viſcera abdominalia & coerceri, ut per crurales arcus nuſquam relabantur, hucuſque inter vota fuit. Difficilioris eſt operationis, infauſtæque nimis repoſitionis, ubi inveterata cohæret intercipiturve. Retentio ejus firma omnium difficillima, omentalis Hernia mollis tumor inæqualis, ſub tactu adipi æmulus, lubricus, coercito ſub ſpiritu, ingentique niſu ad expellendum fœtum, urinam, fœceſque parum increſcit, compreſſa manu intus remeat abſque ſonitu vel murmure. Libera vel adhærens aut intercepta eſt, dura tunc & inflatur, ac reductionis incapax, cum immobilis fit. Inteſtinali mitior, mole minor, infrequentior ortu, quia omentum ex ſe breve eſt. Inteſtinalis ramex ſub forti vulgo manus preſſione in ventrem cedens, contractatione ſubaſper, qua remota reſurgit; non niſi cum crepitu intus redit. Si æger perſtet, tuſſiat, ſternutet, aut ſpiritum quadam vi adhibita cohibeat, ſi fœtu, urina, fœcibus in excernendis ingeminentur conatus, validius ſtatim intumeſcit ille tumor, dureſcit. In obeſis minus infœlix exitu quam in macilentis. Omento-inteſtinalis Hernia ſola inteſtinali minoris eſt aleæ. Ob omenti pinguedinem amota minus premuntur viſcera ab orificiis, nec ita torquentur etiam in macilentis. A mere inteſtinali non diſtingui indocilis. Nam tumor decreſcit identidem, evaneſcit, ſuperſtite tamen tumore perexiguo, molli, lubrico & inæquali, epiploi propter remoram. Ventriculus quandoque, hepar, lien, renes, veſica in viris vix extra ventrem proſiliunt, niſi prævia continui adſit ſolutio, veſica & uterus præſertim in gravidis, quibus difficilis eſt fœtus aut urinæ

ex-

excluſio per abdominis annulos decedunt aliquando. Crebrior tamen extat vaginæ, rarior uteri prolapſus. Illa ductus eſt membranaceus craſſus, poſterior cavus eſt muſculus. Dilatationis æque ac contractionis capax fere in immenſum uterque excreſcunt, muſculares ob fibras quibus conſtant, & perpetuo madent humido. Vaginæ prolapſus in puellis ac vetulis, uteri in matribus vulgatior. Uterus quatuor ligamentis ab exteriori peritonæi lamella ſuppeditatis in loco ſuſtinetur. Illa membranacea laxitate dilatationi & elongationi patent, ita ut portentoſæ uteri ampliationi prægnantis faveant. Uterus hac de cauſa vel pelvim ſupereminens per annulos, vel intra vaginam, vel extra inter femora delabitur & prominet. Modo invertitur, modo non; ſi non invertatur, internum ejus orificium intuenti patefacit. Si invertatur, carneæ molis inſtar craſſioris apparet; cruentum ejus ex poris jugiter ſtillat ſerum, nec internum ejus os amplius conſpicitur. Nunc ſolus, nunc aliqua cum vaginæ parte ſimul dependet. Juvenili tamen in matre ejuſmodi prolapſum quotidie expellit ſubſequens prægnatio. Si ſola vagina deſcendit, molliorem, minorem & folliculo globoſum exhibet tumorem. Hernioſa uteri inverſio arti fit omnium curatu difficillima; nec niſi naturæ cura aut reduce fere ſanatur conceptione. Supervenit hæc, quoties interior uteri facies in cervicem dimittitur, ſive intus retineatur, ſive foras exeat; vel dum in unum latus magis quam in alterum converſus inclinatur uterus, ſive intra vaginam lateat, ſive extra protuberet. Uteri procidentia, ſi minor, recenſve nec inverſa, non ita difficilis eſt curationis, niſi vetulas, gravidas, pituitoſas, vel obeſas nimis urgeat mulieres. Si foras eminet craſſior & inveterata, curatu longe ægrior, præſertim ſi aëri creditus fuerit diutius, cruribuſve preſſus nimium uterus. Inflammatione enim gangræna ſphacelo ulcereve fœtido brevi tentatur, cita mors inſtat, aut palliativæ tantum curæ docilis. Vulvæ procidentia, interioris tunicæ rugoſæ relaxatio eſt, uteri prolapſi tumorem referens. Si univerſalis vaginæ relaxatio, cruenta, ſub annuli craſſi figura propendet, magis minuſve tumens. Si partialis ejus prolapſus, magnæ inſtar excreſcentiæ carnoſæ in lucem prodit. Ab uteri caſu diſtinguitur, quatenus hic a partu laborioſo & ſubito, illa omni tempore ſenſim ac ſine prægreſſo doloris ſtimulo decidat. Ani procidentia ab interioris tunicæ nerveæ relaxatione, prælongatione, ac œdemate glanduloſæ dependet; uti ſeroſis in pueris, & ſiccis in ſenibus, quibus a paralytico ſphincteris affectu, vel ſeroſa quadam ejuſdem relaxatione aut exſiccatione provenit. In puero ſponte, ſi recens, aut blanda manuum compreſſione priſtinum in locum redit, poſt fœtus excluſionem in matre ultro ceſſat, in ſene nuſquam. In infante pluries prodit eadem in die, ultra citraque fœcum dejectionem, totieſque recedit levi de negotio. Vix periculum alit, niſi inflammatione gangrænave excipiatur, unde lethalis. Eodem demum in loco, ubi infantili in ætate prominere viſa eſt Hernia, ut plurimum in ſenili eadem reviviſcit.

III.

Medicina, externis ut medeatur Herniis, multiplex occurrit indicationum genus, quibus faciendum satis. Alia causam proximam, morbum alia, symptomata & alia spectat. Causa proxima omnium prima, luxurians seri aut cujusvis alterius humoris vitiosi colluvies, quæ alvinas partes emolliendo prætermodum relaxat. Tollere si velis ejusmodi vitia, commendanda sunt, repositis prius in alvum ac probe concluſis viſceribus, diuretica, lymphæ tenuantia, aperientia, diapnoica, sudorifera, cathartica, exficcantia deinde, stimulantia, tonico-aromatica, spirituosa & adstringentia. Ex legum optimæ praxeos sapientia, ut omnium agmen claudant astringentia, cautum est. Aliena prorsus hæc sub morbi initio plurimum nocerent, si extus intusve in usum venirent, peccante humore nondum eliminato. Obstructas jam nimis glandulas infarciendo magis adhuc perversa actione sua, ejus excretioni adversarentur; ea ratione, ut Hernioſæ partes concrescerent una, malo in pejus ruente, ansam præberent, & nedum promoverent earum curam, ex benigna, recenti & facile curabili, Herniam peracutam, chronicam & incurabilem efficerent. Si olim peragenda esset operatio, difficilioris inde foret negotii, infaustiorisque simul eventus. Omnes aliunde solo topicorum, internorumque seorsim aut simul adhibitorum usu pharmacorum non curantur Herniæ. Ejusmodi causa, ab externæ internæque perspirationis imminutione ut plurimum oriunda, nullibi, quam in infantibus magis conspiciendam se præstat. Quo naturæ votis eliciatur utraque, induſio tenuiter lanato involvantur illi, accurate eorum caput cooperiatur, tepido serventur in loco, linea subucula crebro recreentur, imminente præsertim dentitione. Universum in ægri solatium solito uberius expirabit corpus, sua cum causa proxima sponte cessabit ramex, ob corporis in horas durescentis incrementum, haud rediturus in posterum, nullis aut paucis saltem remediis accedentibus, modo methodica simul applicatione adjuvent linteæ fasciæ molliter coercentes. Nullum enim infanti ante quintum annum superdetur subligaculum, præter ejusmodi fascias, quæ perpetuo hac in ætate, ubi subligacula eburnea in juventute, adolescentia, virilitate, ac senectute tum externa cum interna medicamenta comitatura sunt. Quæcumque sint tamen subligacula, neminem eorum, qui ea gestant, ab Herniis curatorio modo vindicant. Nihil præter cautelas ipsis conferunt, eadem ratione, qua morbis acutis venæ sectio est. Hinc quantumvis accurata sit eorum fabrica & admotio, si sola in usum vocantur, diuturnum licet, egressionis recidivam præcavent tantummodo, promovendæ ulterius Herniarum curationi præsentanea actione nusquam inserviendo. Jam vero abdominalia cum viscera eorum in sede firmiter coerceant, necessaria evadunt Hernioſis, iis præcipue qui duris laboribus se dedunt. Quod si tamen hisce cautionibus scaturiens materiæ morbiferæ fons penitus non exhauriatur in pueris,

ris, multo copiosiorem cutis, aurium, oculorum, nasi, oris, renum & alvi excretoriis apta medicina ejus detrusionem moliaris. Nam quotiescumque virulento quodam ab humore aut seroso soboleſcit ramex, toties metus, ne revireſcat prorsus idem. Hoc in casu primarium morbum aliorsum ducendo natura, eumdem indole sede ac forma mutat superstitem, ita ut penitus evaneſcat Hernia, donec inexspectata resurgat, pristinam in sedem revocato virulentiæ aut seri decubitu. Adaucta functio una alterius pigrantis vicem supplet. Si lympha seriosior est ac sanguinis crasis dissoluta nimis, mirifice prosunt minerali ex acido dulcificati spiritus, modo cardiacis & amaro-aperientibus identidem temperentur; sed interpolatis, simulve remixtis laxantibus. Methodum hanc non lactanti solum, nutrici etiam imperes. Detrimento forent illi spiritus, si nidulantium in primis viis utrique aliqua prodirent acidorum indicia. Hoc in casu eosdem antecedant absorbentia, alcalina, neutra salia, amara, aromatica & purgantia. Acidulæ aut thermales aquæ in commodum cederent adultis, si iisdem urgerentur vitiis. Nec minoris erunt emolumenti leviora dosique refracta, chalybeata & mercurialia, nisi pulmone laborent pueri. Singula vero singulorum ætati ac temperiei maxime sint proportionata. Præsente aut imminente ab obstructione vindicant viscera, quibus insuper robur atque tonum conciliant in Herniarum cura multi faciendum. Exsiccans omnibus remediis addenda diæta est potius quam humectans. Aquosa itaque, leguminosa, flatulenta & lacticinia quævis sedulo vitanda. Ea curandi methodo ut plurimum infantili in ætate proxima arcetur Herniarum causa, nisi illæ sint congenitæ vel a parentibus, præhumidove ac plethorico foveantur temperamento. Hæ enim species aut curatu impossibiles, aut omnium ægerrimæ. Idcirco evacuantibus nimium repetitis, quæ valde nocerent, in earum tractatione parcendum est. Totum curationis artificium in siccante, leviter diuretica, subaperiente, diapnoica & nutricis & lactantis diæta sit repositum. Optimum proinde eligatur lac nutricis benevalentis. Nativam infantis intemperiem paulatim ac sine sensu mutando, aliis cum auxiliis Herniam avertet. Frequentiori etiam ab ejulatu attente caveatur; pultis usu receptæ interea abstemius sit puer, imprimis cum glandulæ mesaraicæ quandam infarctus suscipionem exhibent. Sorbitio omnium deterrima ea est, quæ ex farina cruda, præcrassa, humidave nimis constat. Peropportune conducit pultacea refectio. (aut ejus loco frustulenta aqua propinetur) si furfuroso ex polline ad ignem expurgato, aut pane bis cocto præparatur. Facilioris, promtioris ac minus torminosæ coctionis est, nec ita seri & cacochymiæ ferax. Identidem adjiciatur etiam butyri paululum, nitri purificati, alteriusve salis leviter stimulantis grana aliquot, ne penitus consistat alvus. Nonnulla miscentur aromatica, umbelliferarum præ aliis semina. Sic pappare detur infanti, cibum extenuare impotenti. In adultis vero non ita facilis Herniarum cura, quam vulgo prædicatur. Medicamenta majori cum copia, energiæ vi pollentiora, quam pueris & juvenibus præscri-

bere est ad depellendam seri aut virulentiæ redundantis culpam. Nec enim a sola peritonæi ruptura, nec ab ingenti ejus, alvinorumve musculorum relaxatione penes annulos illæ semper proficiscuntur. Si seri redundantia pendeat a scirrhosa aut qualibet alia viscerum obstructione, aut peculiari viru quodam inspissante, dissolventeve prætermodum, aut periodicis effluviis parcioribus vel suppressis, mutanda prorsus curæ methodus est. Quando sua in functione aliquod viscus præpeditur, rescissam a corpore fuisse partem diceres. Indigenum itaque ejus humorem, ne sanguinis in oceanum prave refluat, apto evacuante sæpius substrahere medicinæ est. Quælibet malorum species suis igitur debelletur remediis. Hunc in scopum humorum lentorem diluere, attenuare, dissolutionem corrigere, inutilia expellere congrua methodo oportet, & vasorum tonum restituere in integrum remediis tum externis cum internis. Si interim astringentia abdomini superdentur, circumferentiam ejus integram ut probe tegant ad ventriculum usque, necesse est, admoto tunc nullo vincturæ genere. Etiamsi æger lecto affixus remaneat, conveniente tamen diæta utatur & internis remediis, nec, remotis topicis, subligacula gerere recuset. Tota Herniæ exteriorum essentia multiplici consistit in vitio. 1°. In præternaturali abdominis apertura. 2°. Insolita in ejus annulorum dilatatione. 3°. Intempestiva in viscerum prolongatione & egressione. 4°. Præternaturali quandoque in ligamentorum relaxatione, quibus libere fluctuantia natali in loco firmantur viscera. Totuplex exurgit indicatio radicali in Herniarum curatione adimplenda. 1°. Hospitalem in sedem excluſa reponantur viscera. 2°. Occludantur aperturæ. 3°. Constringatur annulorum orificium. 4°. Elongata & relaxata abbrevientur roborenturque. 5°. Demum in indicationum incrementum & majorem curationis perfectionem omnia suo in loco restituta coerceantur. Radicalis Herniarum cura in genere duplici obtinetur via, repositione & retentione. Conveniens est viscerum repositio, quando eadem levi manus pressione pristinum in locum compelluntur. Vario fit modo, & varia ubique esse debet, prout variæ sunt Herniarum species ratione loci quo sedent, & visceris prolapsi, quo efformantur. Easdem propter rationes diversimode locetur æger, & situm singulis recte decentem servet, ut commodius obtineatur reductio. Necessaria est ciborum abstinentia, frigusque vitandum. Diversas etiam ex parte Chirurgi cautiones exigit. Priusquam tentetur, is providus auspex urinam promoveat, alvum idonea ducat lotione. Inflata nimium, pro re nata, topicis aut relaxetur Hernia aut condensetur, blando subinde digitorum impulsu in alvum comprimatur, copiosa sangui, nis celebretur missio, qua vasa exonerentur, imprimis si supra Herniam varicosa sint. Alioquin intentiori præ sua dilatatione nocerent hæc intus reposita, quatenus abdomen vastius distenderent, ejus musculos inique comprimendo, quibus etiam reciproca vice ipsa reprimerentur. Sicut enim interna erat ante prolapsum conspicua visceris pars, ita eadem, reductione facta-

cta, denuo interna fieri debet. Ubi præmaturior fuit Herniæ reductio (vitium adhæreſcenti ſat frequens), quæ impendet malorum ilias! tormina inde, inflammatio, gangræna &c. ſubnaſcuntur. Hoc in caſu, ut ſecetur Hernia, extrorſum revocanda ſtatim. Si non lædantur viſcera, neque externo ſub foraminis ambitu compreſſa nimis adhæreant ſtrangulenturve, nulla tunc ſectione facta, ſolo taxis beneficio intus reſiliunt. Dum hunc in finem tractatur tumor, nec oleo recenti, butyro aut adipoſa quavis materia Chirurgi manus imbuantur, nec iiſdem aut balneorum uſu prolapſa foveantur. Alioquin præternaturali in relaxatione diutius permaneret intra ventrem reverſa pars in recidivam pronior; ſed emolliente, reſolvente, diſcutiente & carminativo reficiantur. Commodiſſima & omnium jucundiſſima hæc curationis via eſt. Repoſitione facta maliſque pacatis, æger lecto ſternatur interdiu, externis primum, internis dein utatur medicamentis, parciores copia, demulcentes & carminativo-tonici clyſteres injiciantur. Opportunum tandem Herniæ loco imponatur emplaſtrum agglutinans aſtringente cum ſplenio, internis auxiliis ſupra relatis elongati nimium & relaxati peritonæi proceſſus conſtringantur, curtentur ligamenta & præternaturali naturalive foramine obturato ac penitus conſolidato, viſcera priſtinam recuperent naturam. Sic conſtans & firma, cum reductione etiam idonea, obtinetur viſcerum retentio, præſertim ſi longiori uſu, ſuppoſitis, ſemotiſve, provectiori jam coalitu facto, topicis ſuperapponatur ſubligaculum ſingulo Herniarum generi rite accomodatum, cujus ope eadem præſerventur a novo relapſu. Palliativam duntaxat curam inducunt remedia quævis in ſenibus, in adultis curatoriam aliquando, in infantibus fere ſemper, niſi a parentibus originem ducat Hernia. Si lædatur prolapſa pars, vel externo internove in foraminis ambitu adhæreſcat aut ſtranguletur, nec a ſervitute tunc liberari, nec opportune refundi docilis abſque ulla continui ſolutione. Eam priuſquam aggrediaris, diluentia intus, cardiaca ſimul & narcotica liquida, ternis horis cochleatim aſſumpta, aut anodyna imperanda ſunt, mollientia extus cataplaſmata leni cum enemate, quibus & venter & ramicis tumor emolliantur, ac tepido fotu jugiter recreentur, donec intus blanda manus opera facile relabantur viſcera. Præſtanda ſunt hæc præſertim, ſi vehementes ſæviunt dolores in ventre Hernioſove tumore, aut vomitus, &c. Tunc non ſolum aliena prorſus & aleæ plena eſt reductio; ſed inanis etiam foret omnis ſubligaculi applicatio. Ubi feliciter cedunt hæc præſidia, ampliata prætermodum foraminis ora convenienti modo ſtringantur. Sin minus, viginti intra quatuor horas, ramice in deterius abeunte, ſæviente adhuc multo magis ſymptomatum acutie, ſcalpellus confeſtim advocandus. Maximum in mora periculum eſt. Valentem viribus juventutem, ſiccos, bilioſos & plethoricos præmaturius, ſenectutem, infirmos ac pituitoſos tardius invadit lethifera accidentium cohors. Tam nocet ergo ſerotina nimis, quam opportuna juvat operatio. Quandiu exceſſa pars extra abdomen adhæreſcit, devias pertinaciori modo ſedes affectas, reductio-

nem pati nescia ullo absque artis subsidio. Si tamen sub morbi principio levi cum inflammatione est adhæsio, cum utraque simul intra ventrem ista recondi potest, ingestis intus diluentibus, applicatis extus resolventibus. Cohæsionem secus avellere & sanare foret impossibile, nisi prius solverentur Herniæ partes intra se invicem cohærentes. Herniis igitur inveterata cum adhæsione non comprimens subligaculum, cujus effectus ægro funesto evaderent, suspensorium potius adjumento sit, si ad solvendum earum vinculum non celebretur sectio. Difficilior hæc aneipitisque magis eventus est in adhæsione, quam in simplici strangulatione. Diversa quoque pro diversa adhæsionis natura instituetur. Hac de re apud authores videre datum est. Non solum variam medendi methodum expostulat cohærens pars; verum etiam strangulata, prout diversimode se habet. Intercipitur aliquando, ita ut medio constricta sub musculorum arcubus, biformem in peram suis extremis extus intusque infletur. Sua quandoque longitudine ter quater pluriesve constringitur, ac toties in vesicam tumescit. Quando comitem habet adhærentiam, curatu omnium difficillimus est strangulatus, nec nisi solo sectionis præsidio fere curabilis. Antequam ad suscipiendam hanc fiat progressus, felici cum successu interdum admoventur emollientia, ubi maxima adest tensio & immanis dolorum sævities. Ineunte pariter malo, repercutientia plurimum juvant, ut sanguis intra vasa retropellatur ultramodum distenta. Quo pacto minuitur vasorum dilatatio, compressio atque moles. Mirum in modum facit hic aqua glacialis frigidave, acetum simplex aut aqua temperatum fotu injectioneque usurpatum. Si ocyus malum non sedant, ab iis abstineas subito; alias damni multum asportarent, gangrænam aut sphacelum inducendo. Cum applicata incautius fuerunt, larga fiat in brachiis sanguinis missio ternis quaternisve horis, modo vires sinant, intra diem ad animi deliquium usque iteranda. Vena tundatur in talo, & quidem pluries, si mensæ sileant insolite, addantur quoque mollientia, resolventia, & tonico-carminativa, extus & intus proficua. Sic in universum valde relaxatur abdominis cavum. Facilior proinde & opportunior erit Herniæ incarceratæ reductio. Interea necessaria admodum esculenti parsimonia est. Si gangræna, irritis medicinæ auxiliis, in procinctu instat, fomenta tonico-spirituosa eam sistant. Postea nativam in sedem amica manus pressione decenti cum modo comprimantur alvinæ partes. Si vero non potis sit ille Hernias tractandi modus, ad operationem progrediaris. Non solum immedicabile damnum diversimode efficiunt, & ipsi depellendo impedimentum objiciunt adhæsio & strangulatus; verum etiam a peritonæi ruptura, prægrandi ramicis tumore, patentiore foraminum vulnere, omnimodæ viscerum suo cum sacculo repositionis & probæ coercitionis impotentia, crassiori sacculi Hernioси consistentia, ampliori ab ortu annulorum diductione, nimio frigore, sanguinea, serosa, virulenta, flatulenta, ichorosa, purulentaque luxuria aut annosa alvi constipatione, viscerum perforatione, vulnere gravi, ulcere, gangræna, & sphacelo sui ac diversi stant obices. Inter hæc omnia flatuum

tuum rugitus, prava humorum collectio & alvi pigritia in tantum repositionem prohibent, in quantum versus foraminum orificia ut majori quantitate ferantur, & vehementiori cum impetu arietent viscera, cogunt. Quo promoveatur integra horumce quoquomodo solutorum generatio, liberumque illis concluſis pateat effluvium, sectioni auscultes. Nullum de ejus necessitate & præstantia, de illius electione & opportuno ejus tempore, dissidium ingens. Ast sua premitur difficultate, suus concomitatur labor, sua manent pericula, suoque eventu valde dubia. Ne tamen veterum more ab ea suscipienda deterrearis. Suus utique eam remunerat honos, sua excipit jucunda merces, ambo virtutis stimuli & audaciæ bene moratæ incitamenta. Quo præcocior, eo felicioris exitus est. Absque mora ergo eam instituas, ubicumque urget ejus indicatio. Sed prudens medici consilium & peritam Herniotomi manum requirit. In auxilium igitur accedant pari necessitate eodemque cum emolumento. Herniis etiam lethalibus manum admovere strenue ne dubites. Regium jamjam tibi sternitur iter. Nonnullos habes, quorum vestigiis insistas. Ne te moretur solutarum alvi partium restitutio. Natura ea in exequenda tam potens, quam in producendo totius corporis partium disruptarum coalitu. Huic veritati passim suffragantur una experientia, observata & ratio. Etenim quoties vexatæ extus intusve ventris partes integram in restitutionem abiere? Quoties gangræna sphacelove correptæ a sanis fuerunt avulsæ casu aut artis industria, quas tamen in integrum sibi relicta, arteve fulcita regeneravit natura? Ea est cujuslibet corporis vegetantis ac viventis indoles & conditio, ut singulæ partes, præsertim si vigore valeant aut juveniles sint, præcocius, serius, debilius, tenaciusve coalescant disjunctas penes fibrillas. Nutritius ros ex vasculorum vulnere effusus suo ferrumine villos a se invicem reparatos in unionem cogit facta prius regeneratione. Si adsit adhæsio, fiat prius ejus solutio, si interceptio, foraminis, uti decet, dilatatio antecedat, priusquam a sanis male affecta rescindantur. Imminentem sectionis aleam intendunt impensius complicata Ramicis adhæsio suis cum involucris vicinisve partibus, strangulatus, vulnus, inflammatio, gangræna, &c. imprimis si inveterata sint incommoda. Quapropter ut horum durationi præcaveatur, modo per ægri vires liceat, quantum opus, audacter se accingat Herniotomus. Sed ante quam agat, exploret quodnam viscus fuerit prolapsum, quænam sit ejus sedes, utrum solitarium vel cum altero simul sit excluſum. Ex signis & symptomatis, an male affectum, perpendat, vel an unum sanum, si plura, alterum ægrotans. Pro diversa re nata, diversa ipsi incumbunt agenda. Aliter recenti in ramice, vetusto et aliter, aliter in epigastrico, &c. Si a stomacho procedat aliter, si ab omento, intestino, utero, vaginave, &c. aliter; si solitarium sit viscus prolapsum aliter ac si plura forent simul; si multæ sunt Herniæ, vel aliis cum morbis malisve symptomatis, implicitæ aliter, uti in adhæsione & strangulatu aliter. Commodiorem, qua perficienda sit sectio, quisque proponit methodum, quam præ aliis laudibus ex-

extollit. Optimam ab antiquis ne expectes, crede, bene vero à recentioribus. Quænam tibi eligenda, quonam cautelæ modo in exequenda sectione procedendum sit tot & tam diversis in herniarum circumstantiis, eorum scripta adeas. Quamvis certiorem herniæ curam afferat sectio, eam tamen ne commendes, nisi ulla detur alia curationi via. Ut tam rite fiat quam prospere, non solum in electionem veniat optima methodus, sed optimus etiam Herniotomus. Cum nullo absque dolore sit, & mortis discrimine, eam ne imperet medicus, nisi à tertio ad quintum usque diem, ex quo concepta adhæsio fuit strangulatioque. Peracta semel operatione, per plures hebdomadas lecto detineatur æger continuo supinus, nonnullis mensibus bracherium ex ebore coriaceoque cesto confectum gerat, nec irritetur alvus, donec penitus consolidata fuerit peritonæi aliarumque partium ruptura; sed tamdiu debitum in modum solvatur, vitentur tormina, vehementes animi passiones, & in senibus à validis motibus aut exercitiis cautum sit. Hæc ultimo notatu haberi velimus, quod in infantibus constans nimis resupinatio, evolvendi de die in diem corporis conformationi sæpenumero maximam vim inferre valeat.

IV.

Specialis herniarum therapia aut radicalis aut palliativa. Ambæ majorem adhuc, quam generalis, ex parte Herniotomi exigunt solertiam. Infinita prope, quibus subjacent, casuum varietas est. Variam hac de causa frequentius expostulant sectionis methodum, diversam subligaculorum fabricam, & alium atque alium eadem admovendi indicant modum. Incauta ne in actum reducatur operatio, hic vetat prudentia, ut strenue celebretur, illic suadet malum urgentius & ratio. Opportuna ut fiat vinculorum electio & apta eorum admotio, à quibus plurimum radicalis, & totum palliativæ curationis pendet negotium, pariter necesse est. Solis igitur artificibus crassioris minervæ aut agyrtis dolo plenis & imperitis non absolvendæ relinquantur. Malum oppugnare machinis priusquam cognoscere, prohibet medicinæ honos, cui tota populorum salus creditur, vetat & etiam boni publici amor ægrique commodum. Suas in partes ex necessitate ac magna cum utilitate potius perducant medici ejusmodi curas. Siquidem multa quæ aliis non competunt, scitu & observatu digna incumbunt illi, qui iisce therapiis exequendiis præest. Eum non effugiant ægritudinis natura, genius, status, causa, sedes, differentiæ, atque symptomata. Nec ipsum lateant ejus diagnosis, prognosis, physicæ, ac diversæ ejus indicationes, generales ac particulares remediorum facultates & usus, methodica vinculorum fabrica & eorum applicatio. Pateat & eidem afflictarum situs partium, conformatio, moles, sensus, functio & exercitium. Cognitu non minus quam aliis in morbis necessaria sunt eo

loci

loci ægri temperies, ætas, ſexus, virium ſumma, vitæ artiſque ejus ratio. Certæ ſunt adhuc leges, certaque documenta quibus obtemperaturus, & cautelæ quædam herniarum inter curam ſervandæ. Tenere ergo hæc omnia non in infimo quidem gradu illis medentis eſt. Fruſtranea etiam tempore & loco haud erit illorum cognitio. Aſt nec ſatis. Multo plura longe complectitur ejus munus. Neque voce minax, verbis jactans, loquaxve nimium, neque numeroſa vinculorum ſupellectile inſtructus. Alioquin ægrotanti morbus foret alter, vexante exitioſior. Blanditiis eum adoriri memor eſto, ſimpliciſſima cudat vincula. Quo compoſitiora eſſent, eo minus commoda. Quo ſimpliciora erunt ex oppoſitis, eo præſtantiora. Nonne ſic quo magis ſuis in operibus caſta eſt natura, in omnibus pene imitanda, eo pulchrior ac ſolidior? Ab omnibus igitur hujuſce & artis opibus indefeſſo mutuetur, unde ſuo opituletur ægro. Prior univerſa recludat viſcera, poſterior ditiſſima pandat promptuaria. Univerſalis hinc & illinc herniis comparetur pharmacopæa. Sic unde malum, præſentaneum ſit inde medicamentum. Medicum ergo in ſuppetias accerſere non erubeſcat chirurgus, ut ab ipſo rectum illius uſum ediſcat. Eo prudenti modo ſe gerat ubique, & nuſquam, niſi phyſicæ lumine, mechanices induſtria, anatomiæ intelligentia, obſervationum tutela, experientiæ teſtimoniis, medicinæ conſiliis, rationis & officii conſcientia colluſtratus, naturæ ſub auſpiciis, & medici magiſtratu, à quo hæc omnia diſciturus eſt, opus abſolvat ſuum. Naturam ab eodem in omnibus explorare, ſæpius imitari, conamina ejus intelligere & meditari, ab ipſa duci & ipſam vice ſua ducere opportune diſcat. Hac agendi ſapientia cuncta in tuto erunt ægroti, & vota & bona. Reipſa nullus fere morbus eſt, cui excogitata fuerit tanta remediorum farrago. Sed nullus quoque eſt fortaſſe, cui tam pauca proficiant. Remedia & ſubligacula aut male eliguntur, aut male uſurpantur. Præcipuum hernias, ex chronicis præſertim, palliativo modo ſanandi artificium conveniente in vinculo ut plurimum poſitum eſt. Quin immo illius beneficio, modo optima victus ratio, & apta aliunde medela, cooperante etiam naturæ efficacia, ſimul conſpirent, omnes fere pueri & juvenes præ aliis ſaneſcunt, ſi recens, nec à parentibus ramex proveniat. Adulti ut plurimum, non raro ſenes inexpectatam ejus ope ſanationem aſſequuntur. Hunc in finem cuilibet anteponatur ſubligaculum ex ſcuto eburneo, coriaceaque zona confectum. Maximo certe erit adjumento, ſi probe elaboretur, tempeſtive admoveatur, debitoque tempore geſtetur. Egregius reipſa, quo nihil ſubſidii perutilius, ſanitatis cuſtos! Chirurgus Herniarius igitur eo in perficiendo totus ſit atque totus. Novas inveniat ejus ſpecies, & ubi opus, a ſcuto & cingulo mirum in modum penes formam illæ varientur. Ex mechanices legibus efficiendi modum didicere illius eſt, ſingula ſingulo herniarum generi ſanando aptiſſima perficiat, ex perſpecto corporis & elapſæ partis habitu. Nec altiora, ſuis rebus neglectis, quæ non ſua ſunt, cogitet. Propria calleat apprime, & optimus erit

civis & vere dignus, cui ſuam valetudinem committat hernioſus. Sed quo fato herniotomia non dignitate & ſalubritate minor, quam cæteræ chirurgiæ partes, tam deſpecta fuerit huc uſque, neſcimus! Quomodo genuina ejus theoria & praxis, quomodo etiam methodica ſubligaculorum fabrica, cum tantæ ſint utilitatis, in obſcuro una ſublatitaverint & parvi nimium fuerint pretii? An culpanda chirurgorum incuria eſt? Suſpicionis ſane eſt aliquid. Etenim quam pauci ex iis herniarum intelligentia præditi! Quot familiæ noſtris in provinciis, cives inter & Ruſticos, pretioſiſſimæ, eorum penuria miſere fiunt herniarum victimæ! Aut ſublevandis harum malis neceſſaria deſiderantur auxilia, aut quotquot habent, aliqua parte peccant, aut improba quandoque aut intempeſta herniæ ſedi eorum applicatio eſt, unde plus damni quam ſolatii hernioſis afferunt. Quamobrem promovendæ ulterius ſubligaculorum inventionis, perfectionis & admotionis ſatagant artis etiam magiſtri. Chirurgos propria manu hæc elaborare & ſupra herniam admovere quid ſatius? Nec minus, uti ex artis jure eſt & decet, medici iis rebus rite peragendis ubique proſpiciant. Quare impugnando herniarum vitio idonea excogitare ſubligacula, pro data occaſione, & peritiorem eorum deligationem docere non intenti eſſent æque ac chirurgi? Nam quo excellentius eſt curationis inſtrumentum, eo plus importat mali, ſi pravus ſit illius uſus. Medici igitur herniarum curæ prælucere oculum quid opportunius? Jam vero ſciri ante omnia à chirurgo expedit ſpecialem ramicis ſanationem probe abſolvi non poſſe, niſi prius alvinæ partes, ſive externæ, ſive internæ, quibus vim intulit id mali, nativum ſtatum integre recuperaverint. Si cum involucro excluſa fuerint viſcera, ſuam in ſedem antiquam illud involucri exacte reducatur, quemdam conſiſtentiæ gradum acquirat, & internæ ejus facies inter ſe coeundo uniantur, neceſſe eſt. Salutiferum ejuſmodi opus & medela & ſubligacula rite uſurpata, potius quam inflammatio ſanationis inimica, pariant. Si regionem ad epigaſtricam, umbilicalem & hypogaſtricam medium penes, aut earum latera pertinet herniæ ſedes, vel pubi eadem ſupereminet, ſoli relaxentur abdominis muſculi, oportet. Omnimoda ut obtineatur eorum relaxatio, mane ac jejunus reſupinetur æger, capite antrorſum nutante, pectore in ventrem ſubadventante; brachiis ſecundum thoracis latera reſolutis, abdomine elatus ſit, & corpus ejus oppoſitum in herniæ latus molliter convertatur. Jucunda & ſucceſſive ac lentius feſtinante manus palpatione peregrina viſcera, natales ut ſuas repetant, cogere te juvet animus. Sive nudâ ſit manus, ſive docili linteo duplicato præmuniatur, decenti hoc modo herniæ provocetur reditus, generalibus, uti decet, præmiſſis præmittendis. Cum inguinalis femoraliſve hernia eſt, abdominis inſuper crurumque muſculi, cruribus natibuſque ſurſum evectis, tunc una conquieſcant. Priori vero in ſpecie expulſa verſus ſuperiorem coxarum partem, in poſteriori recta ſub ventrem albam verſus lineam compellas viſcera. Omni enim in viſcerum repulſu, eamdem,

dem, qua exturbata fuere, directionem ſervare tuum eſt. Omnibus iiſce conditionibus requiſitis accedant adhuc, ſi intus remittenda ſunt vagina aut uterus, coxarum elevatio, ſurſum facta crurum diductio & poplitum reflectio. Proba autem & permanens viſcerum retentio non aliunde quam ab idoneo ſubligaculo hernioſum foramen aptius obturante & comprimente expetenda eſt. Cum diverſi inter ſe ramices diverſaſque ventris regiones pertingant, diverſa proinde eburneum penes ſcutum coriaceumque ceſtum fabricentur vinculorum genera. Si xiphoideam circum cartilaginem triangularibus in ſpatiis herniæ ſedes eſt, ſcutum ſuperne peltatum, inferiori apice multo latius (ſubrotundus & brevis ſit ejus apex) ſuis lateribus æquale & rectum, omnes juxta limbos ſubrotundum, quatuor circa pollicum oblongum, latiore in ſubſtantia duorum pollicum & ſemi amplum, in ſpiſſiore trium linearum craſſum, extus plano-læve, intus umboniforme, ſuis corniculis linearum quatuor prominulum, duarumque latum. Exterioris ejus in medio ſuperficiei aſſurgat fibula cuprea, capitato-plana, ſurſum incumbens, duobus arcubus majoribus omnino intermedia, quibus altitudine æqualis ſit. Omnes arcus cuprei, ſemiquadrati; ſuperiores duo inter ſe paralleli & pares, ſcuto ſuum ob ſitum perpendiculares, ſuperiori & laterali utroque à margine prope quatuor linearum infixi, unius pollicis & ſemi in longum, triplicis lineæ in altum capaces. Tertius arcus tranſverſus aliis ſit, à quibus ſuo præ ſitu unicum propter pollicem diſtet, omnem in dimenſionem paulo minor, ſcuti ab apice trium linearum, utroque à latere prope duarum linearum defixus, capacitatis ſuæ medio ſtet fibulæ adverſus, à qua unius ferme pollicis & ſemi removeatur. Eadem in ſcuti facie quatuor adſint aliæ fibulæ cupreæ, minimæ, capite complanatæ, ſurſum incumbentes, binæ ſuperiores, inferiores binæ; ſuperiores ſcuti hujus corniculis infixæ, inter ſe ſitu & altitudine æquales, vicinis ab arcubus trium linearum diſſitæ, inferiores utroque ab arcus tranſverſi latere trium linearum ſemotæ, ſuum ob poſitum exteriores ac demiſſiores quam ille arculus, & inter ſe haud impares. Ceſtus mere coriaceus, ſuo in centro duplicis palmæ oblongus, unius latus; extremitates ejus binæ, coriaceæ, continuæ illius centro vel eidem futuræ beneficio contiguæ; ægroti abdomen, ſua circumductione facta, duplicem fere pollicem excedat harumce alterutra, ſit etiam libera & ſua longitudine major, quam altera, quæ ſupra ſcutum primitus ac fixius adnititur; unius pollicis & fere ſemi latitudine gaudeant iſtæ, binis conſtent laminis, uti ceſti centrum, exteriori lamina vitulinæ in macilentis, in obeſis viris bovillæ ſint pellis, interiori ſupra hanc reflexa juxta oras & prominente limbo aſſuta rupicaprinæ aut vervecinæ, apice acuminatæ, quem prope earum minor octies, altera multoties, utræque ſint recto medioque ordine ocellatæ. Linteo, xylino, ſerico, pannoſove farcimine, maciei cauſa inſignioris, (ſi libuerit) utraque ad ægroti corporis latera grate tumeſcant, unius ſecundum palmæ & ſemi longitudinem. Externæ cinguli faciei interjectum prope centrum & utrumque farcimen, (ſi quoddam reperiatur), vel ex adverſo corporis lateribus (ſi il-

lud absit) pro arbitrio superassuere licet binas quaternasve habenulas. Duæ harum scapulares, cæteræ femorales; omnes longitudine sua duos ob pollices astrictoriam, qua firmandæ, trajiciant fibulam (ductilemve nodum) unius pollicis latæ, gemina constent lamella, exteriori vitulinæ sint bovinæve pellis, ut innuimus supra, ubi de cesto, interiori supra eam reflexa & dorsali ejus in medio recta sua juxta labra consuta rupicaprinæ vervecinæve fiant, externæ circuli superficiei ad centri initium utrinque futura adhæresçant cunctæ una ex parte sibi invicem propinquæ, altera ex parte versus finem medio rectoque ordine pluries ocellatæ, subrotundæ simul ac solutæ. Hæ femoribus subtus, illæ supra scapulas zonæ instar molliter infarciantur debita præ longitudine. Quoad loramentum illud applicandum, convenienti in situ super lecto decumbat æger, instituatur, ut ex artis præcepto est, herniæ repulsus; imposita ejus foramini remaneat alterutra ægri manus, cujus depressione à novo delapsu reposita arceantur viscera, topica & splenia, si quædam subjicienda, eadem manu remota & iterum admovenda, subjiciantur; ramicis orificio directe adversas in spinæ vertebras deponatur cesti corpus, suberecto tunc ventris tergo, ad vitium usque spurias super costas inferiores antrorsum eundo abdomini circumdentur cesti extrema; ubi ad ramicem perventum est horum brevius, scuti admoti arcum ex majoribus sibi proximiorem trajiciat, primarii ope foraminuli intermediæ affigatur fibulæ; convexa scuti facies herniæ foramini solerti manu chirurgi & valida cum pressione superdetur; alterum cesti extremum adducatur in vitii regionem, alterum scuti arcum majorem subeat, eidem fibulæ suis ex ocellis unius ope immittatur priori extremo incumbens; reliqua ejus pars fibulam prosiliens adversum transgrediatur arcum. Laxiori primas dies, strictiori postea & paulatim modo constringatur abdominis capacitas, prout opus est. Major autem minorve, stringente cesto & scuto adnitente ac probe obturante, efficiatur illius compressio, quotiescumque amplior aut angustior foraminis hernioси ambitus est; vel quando alvinæ partes duriores, mollioresve, macilentæ magis aut torosiores in conspectum veniant. Femorales deinde habenulæ vicissim manu apprehensæ in ventrem, perinæo cruribusque priust rajectis, reflectantur, versus umbilicum unico foraminulo perforentur, argentea ibi aureave fibula astrictoria ex bino capite plano ficta sibi invicem incumbant; sic inter se connexæ ad inferiorem usque scuti partem ascendant, transversum ejus arculum una superent, majori inde fibulæ indituræ, magis minusve scuti apicem comprimendo & deorsum trahendo. Reliqua utriusque pars fibulam excedens, unicum circa pollicem secetur. Scapulares habenæ dorsi in medio foraminulo pateant, altera ibi fibula astrictoria superiori mox dicto prorsus simili supra se invicem firmentur, ad scapulas quibus inniti debent, decussatione facta, sua vice extollantur, in thoracem, media cujus in parte eodem modo ac in dorso adstringendæ, scapulis superatis, deflectantur, & utraque inde ad scuti latera à se invicem recedendo cestum petant; linteis aliquot funiculis uncinisve aureis aut argenteis ipsi circumalligentur. Minimis

nimis tandem quatuor scuti fibulis superius laudatis indatur bractea lintea, pannosa, serica, xylina coriaceave, suos prope limbos cum superiores tum inferiores bis ocellata, cujus ministerio insternatur tota scuti superficies. Si albam juxta lineam quacumque in regione, excepto umbilici & pubis vicinio sedeat hernia, anciliforme sit scutum vinculi, supernis & infimis angulis foras prosiliens. Supra spinæ vertebras ea ratione imponatur ejus cestus, hoc in casu, uti in aliis omnibus, ut adversum sit penitus herniæ sedi illius adnisus punctum, & adæquata sit super ramicis exitum scuti compressio. Quoties enim mutatur herniæ sedes, toties mutandum est cinguli nisus & scuti compressionis punctum. Cætera ut in præcedente. Quando unum aut alterum epigastricæ, umbilicalis, hypogastricæve regionis latus infestat tumor ramicosus, scutum quadratum, angulis omnibus resectum, extus planum, intus subconvexum, marginibus subrotundum, transversario latere quatuor aut quinque pollicum oblongum, perpendiculari ora triplicis pollicis excelsum. Reliqua ut in primo casu, mutata solummodo cesti & scuti admotione, mutatum propter mali locum. Unica tamen, duarum loco, duntaxat donetur habenula femorali illud, & hæc eodem in latere adhæreat, ubi ipsamet sævit hernia, aut si binæ apponantur, non scuto infigantur, sed cesto scapulares prope habenas funiculis unciniſve argenteis, eodem modo ac illæ, annectantur. Communis etiam & intermediæ in locum fibulæ omniumque arcuum suffici possunt quatuor fibulæ huic prorsus similes, cum ea tamen differentia, ut ad se invicem subinclinentur, & ad latera maneant defixæ. Cestus tunc in usum advocandus, sui prope corporis limites, quaterna in lora dividatur utrinque suorum ratione extremorum. At extrema inter hæc illud quod herniæ foramini propinquius est, altero sit multo brevius. Quatuor illa lora singula singulis immittantur fibulis, & habenulæ femorales iisdem fibulis inferioribus vel cesto rectius adstringantur. Cum umbilicum occupat hernia, scutum vinculi à præcedente non differat, nisi papillarem propter umbonem, suamque applicationem cesti cum depositione mutandam præscriptas juxta cautelas. Si supra pubem detegatur hernia, scutum ipsi conveniens cordis inversi figuram referat, trium pollicum oblongum, ampliori sua in parte duorum & semisse latum, angulis basim constituentibus foras projectum, suo in apice minimis ex fibulis unica gaudeat, tranversalis ejus arcus sive inferior pari arcuum superiori sit æque capax; femorales habenæ inter se solutæ &, proprio arcu superato, sibi invicem incumbentes, supra cesti extrema communi astringantur fibulæ. De reliquis ut in primo casu. Superiorem supra coxarum partem deprimendus est vinculi cestus, ita ut sua circumductione ventrem horizontali modo emetiatur penilem circa regionem. Ubi vero inguina vexat hernia, clypeiforme sit scutum, extus planum, subtus umboniforme exteriori basis angulo sursum & foris prominens, suis præ limbis toreutice perpolitum, inferiori apice circinatum, interiori latere rectum, exteriori prope apicem valde extenuatum, triplici aut quadruplici pollice longum, la-

tiori in ſubſtantia duorum ſemis aut trium, apice unius & ſemi pollicis latum, majori ſua in craſſitudine quatuor aut quinque linearum præcraſſum. De aliis ut in primo ſubligaculo. Si unicus ſit ramex, unicum apponatur ſcutum, unica etiam & ejuſdem lateris in quo repertus eſt iſte, adſit tantummodo habenula femoralis. Si utrumque inguinum latus cruciat ramex, tunc duo admovenda ſunt ſcuta. Horum unum ſit fixum, alterum pro arbitrio & ad opus mobile. Duplici autem in ramice urgentiori ſemper occurrendum eſt. Itaque ſupra clunium rimam deprimatur ceſti corpus, ejus extrema antrorſum ad penem uſque circa coxas adducantur. Extremum ejus brevius partem ventris herniæ ſedi viciniorem emetiatur; ubi ſemel prope mali locum attigit, externum ſcuti fixi arcum ſubeat, fibulæ proinde majori indatur, ſupra vitium demittatur ſcutum, firmeturque comprimente ægri manu; alterum ceſti extremum externum ſcuti mobilis & ſuper ramicem comprimendi arcum tranſcendat, fibulæ immittatur, facta prius majori minorive pelvis conſtrictione; ſuperflua ejus pars internum ſcuti ejuſdem arcum ſubeat, internum deinde ſcuti alterius adeat arcum, alteri fibulæ intermediæ extremum ſuper alterum addatur, recta ſub externum ejuſdem ſcuti arcum ulterius progrediendo. Quo in caſu duæ etiam adjiciantur habenulæ femorales, tranſverſum per ſcuti cujuſque arculum ſeorſim tranſeant ſingulæ, ita ut unicum altera, altera utrumque ſupra ceſti extremum majori ſcuti cujuſque fibulæ immittantur. Si alterutra ſaneſcit hernia, removeantur ſimul ſcutum & femoralis habena, quæ ipſi coërcendæ proſpiciebant, illæſo prorſus ceſto, remanente & alterius ramicis ſcuto ac femorali habenula, quorum auxilio à novo egreſſu juxta id lateris proteguntur viſcera. Scrotalis pudenduſque ramex, ſi reductionis capaces, cum ejuſdem ſint familiæ ac inguinalis, peculiare & diverſum non expoſtulant ſubligaculum. Cruralis denique ſi contingat hernia, ſcutum ſit figura poligonum, quadrato-rotundum, trium pollicum ſua in circumſcriptione, extus planum, intus ſat convexum. Bini ejus arcus ſuperiores, paulo longiores ſint, quam aliis in ſubligaculis; inferior ejuſdem arculus verſus apicem defigatur, & eadem prorſus ratione ac iſti, diſponatur, nempe externam ſecundum ſcuti faciem; molle quoddam lorum peculiare habeat, & poſticæ ceſti portioni extus adhærens duorum ope funiculorum ſat brevium, & ipſi ſuperaſſutorum. Dum ſubligaculi fit deligatio, lorum illud una ex parte peculiari fibulæ, quæ huic arculo ſit intermedia ac ſitu proxima, affigatur ſuam penes partem unice ocellatam ſimul & internam, altera ex parte pluries perforata ſuperiorem deinde femoris partem circumcingat; poſtquam arculum trajecit, eidem fibulæ priorem ſupra alterius extremi partem, majori minorive conſtrictione prius facta immittatur, & ultra hanc proſiliens lori pars unicum circa pollicem reſecetur: ſic major exinde ſubſequetur ſupra herniæ ſedem & ſcuti compreſſio & diuturnior ejus ſtabilitas. Quo pacto non adeo lubrica ac interna erit in poſterum quam hactenus, cruralis ramicis loco ſubligaculi admotio; nec tam facilis ad cohæſionem ſtrangulationemve deinceps ramici concedetur proclivitas.

tas. Quoad cætera, ut in primo vinculo. Si unicus adsit ramex, unica quoque vinculo insit habenula femoralis scuto nullatenus, sed cesto extus firmanda. Si eodem in subjecto bini reperiantur, bina habeant scuta, duplici cum lorulo, femoralesque totidem habenulas. Cætera ut gemino in ramice inguinali præstanda sunt, mutato aliquatenus scuti & cesti positu atque femoralis habenulæ adhæsionis puncto, immutatam propter vitii sedem.

V.

Nativam in sedem facilis vaginæ prolapsus repulsus est; modo recens nec ita grave sit vitium. Cereæ ac crassioris candelæ ad id paratæ ministerio, quæ intra pelvis cavum usque per vaginam recta & sursum impellendo immittitur, ductus ille reponi solet. Sed pessarii infra proposiți beneficio, servatis servandis, vaginæ repositionem tentare foret tutius. Postquam absolutum fuit ejusmodi opus, supina in lecto decussatis pedibus aliquot dies decubet ægra. Accommodum parti morbosæ insinuetur intra ejus capacitatempessarium, longo temporis spatio gestandum. Scutum ejus cylindraceum, concavum, utrinque perforatum, interiori extremo subrotundum, exteriori infundibuliforme, torno elaboratum, vagina paulo brevius, nec in pelvis cavum usque ad ipsius vero aditum solummodo pertingat, ne uterum lædat mulieris illud perferentis. Vulva sit etiam angustius, ne ingentiori sua mole ejus parietes nimium comprimat. Hac enim ratione assuetum tamdiu urinæ præpediret effluvium, quandiu intromissum retineretur. In sulci modum superne excavari satius est. Sulcus autem ille intra quem tuto & commode delitescet meatus urinarius, pollicis unius & semis sit oblongus. Scuti infundibulum duobus foraminulorum paribus tundatur. Superius sit horum alterum, alterum & inferius, utrumque mutuo sibi parallelum. Cingulum hujusmodi pessarii coriaceum vel xylina veste confectum, suum penes centrum unius palmæ latum, duplicis longum, duobus gaudeat extremis, hæc ventris amplitudine paulo majora; alterutrum eorum brevius astrictorio annulo donetur ad basim truncato, alterum pluries ocellatum rectum juxta mediumque ordinem; utraque acuminata, duorum pollicum lata, molli macilentis in subjectis, nullo in obesis ad ventris latera farcimine tumeant. Versus cinguli corporis finem utrinque extus assuantur duæ habenulæ linteæ vel coriaco-vitulinæ, unica vel duplici ejusdem corii lamina constantes, inferiori foraminulorum pari trajecto filo mediante adhærentes. Supra natium fissuram, interjecto unius aut alterius pollicis spatio, injiciatur cingulum, coxas circumducendo ad pubem prope pudenda antrorsum adducatur; ibi facta debitum in modum abdominis constrictione, sua penes extrema astrictorii ope annuli subnectatur, deinde manu apprehendantur binæ aliæ habenulæ, ex eadem materia conflatæ, superiori foraminulorum pari consutæ; earum juvamine antrorsum attrahatur scutum, intra vaginam recta & sursum compellendo admittatur, debitoque modo ibi firmetur

tur, deinde habenulæ eædem vel immediate externæ cinguli superficiei futura illigentur, ductilive nodo adhæreant, vel mediate, quatenus aliis cum funiculis cesto externe consutis ductilem per nodum conjungantur. Sic major minorve fiat pessarii stabilitas pro data occasione. Cestus antice prope inguina binos, postice prope coxas binos etiam habere potest funiculos externe sibi assutos, & omnem infundibuli limbum pariter obire valet linteus coriaceusve orbiculus; cujus ad latera filo consuantur suum per medium geminæ vittæ linteæ aut coriaceæ. Trajectis perinæo & cruribus, inferioris vittæ extremitates posticis cum funiculis conjungantur ductilem per nodum; dum ex altera parte superioris extrema cum anticis funiculis eod. modo in unum coeant Chirurgi ad nutum & opus. Quoad uteri repositionem hoc modo illam instituere licet. Debito in situ supina sit ægra, uterus idoneo fotu perfricetur, admoto deinde linteo duplicato & molli molliter prematur insensibilique ratione; inferior ejus pars propendens tribus digitis mediis comprehendatur, in vaginam primo immittatur, in pelvim subinde totius dextræ impulsu recta attollatur. Quo facto manus in pugni formam clausa sub uteri cavum remoretur, donec pristinum in statum penitus redierit uterus, & consuetam quiescendo recuperaverit figuram. Manus tunc leniter paulatimque retrahatur, ægra demum iis peractis dorso incubet, conjuncta servet crura, linguæ parcat, quantum poterit, loquela, cantus, tussis, validaque sternutatio ipsi sollicite fugienda. Dicato interim vaginæ pessario mox in exemplum allato vaginæ claudatur orificium. Si vero hæc nimis tumida uteri repositioni refragaretur, tepidis emollienda prius & discutienda foret decoctis, quibus fugaretur inflammatio. Posito quod vagina aut uterus, imo anus etiam, gangræna aut sphacelo corriperentur, aut balsamica medela refocillarentur, aut in totum vel in partem, habita semper mali præsentis ratione, idoneis confestim exstirpanda essent instrumentis. Ejusmodi tamen viscera adhæsioni strangulationi gangrenæ & sphacelo non ita subjacere, quam cætera abdominis viscera pro certo & observato teneas. Constantem uteri retentionem præstare si velis, in suppetias duplicis generis advocari queunt instrumenta. Horum prima esse existimes medicamenta extus intusve usurpata. Externa sint aromatica, nervina & astringentia in uterum injectione suffumigationeve devecta. Felici cum successu sæpenumero injiciuntur, quotiescunque inflammatio aut alia quævis dolorum tormina ægram non cruciant, nec menstruæ fluunt purgationes. Quod si tamen hæc omnia Medici votis repugnarent, ad alterum auxilii genus, videlicet pessarium utero sublevando adaptatum, foret recurrendum. Diversa est ex qua illud perficitur materia, diversa etiam cujus gaudet forma. Ratione materiæ alia ex buxo ferreove ligno aut subere, alia ex cera eboreve parantur. Ultimam hancce speciem omnibus anteponendam videtur. Ratione figuræ, quædam oblonga, triangularia, quadrata, aliqua orbiculata, hæc solida, illa medio perforata, fungiforma hic, illic unico vel utroque extremo infundibuliformia, cylindracea, utrinque clausa aut aperta, spiralia sunt, & alia ferrei quasi in radii for-

formam conſtructa, & corio linteove ſuperinſtrata uno latere conſuto. Quædam ex illis aliquo, quædam nullo funiculo prædita ſunt. Omnibus ex iſtis peſſariis ſequentia unice adhiberi cenſemus. Prima horumce ſpecies, peſſus ſit eburneus, ſubovato-rotundus, ſubtus planus, ſurſum convexus & ad limbum rotundatus, medio foramine ovali patulus, nullo præditus funiculo, duplicis pollicis latus, triplicis oblongus, ſemipollicis craſſus. Quoad illud applicandi modum, intra vaginam immittatur ſuam juxta longitudinem, ſurſum aſcendat uſque ad pelvis cavum, tunc planum in ſuperficiem demittatur ſuperior ejus pars, inferior erigatur pelvis intra cavum tranſverſario ſitu ſuo paulo altius, & ejus ſupra oſſa demum deprimatur; ita ut uteri cervix illius foraminis marginibus innixa remaneat. Ille firmiter hæret, nulloque indiget funiculo. Altera peſſi ſpecies, quæ præ aliis nobis arridet, buccini ad inſtar eſt, gemino ore infundibuliformis, ſuperiore latior, profundior, unius pollicis & ſemi capax, inferiore ſemi pollicis patens, utrumque inter ejus orificium intermedia ſtat fiſtula recta, qua valde extenuatur, & cujus longitudo quatuor aut quinque pollices adæquat. Ut in locum deponatur, juxta vulvam recta aſcendat, donec uteri cervicem excipiat, tunc paulo altius efferatur, ut uterum hoſpitalem in ſedem reſilire cogat, decenti hoc in ſitu ſervetur. Hunc in finem ceſtus & ejus appendices, æque ac hujuſce peſſi deligatio, ut in vulvæ peſſario prorſus ſint ſimiles. Illum circa peſſum nihilominus fieri poſſunt quædam mutationes. Quapropter externum ejus infundibuli orificium orbiculato foraminulorum ordine multoties pertundatur. Circa ejuſdem limbum ſuperne & inferne ſemi-plicatæ adaptentur geminæ vittæ linteæ aut coriaceo-vitulinæ; juxta ejuſdem latera decuſſatim inter ſe conſuantur filo ocellis tranſmiſſo, ſuperioris vittæ extremitates infra crura demittantur, perinæo & cruribus ſuperatis, verſus ſummam clunium partem reflectantur, ceſto externe ſupra os ſacrum ac utramque prope coxam vel nodo ductili, vel acus & fili ope ſubnectantur; binæ inferioris vittæ extremitates ſurſum ad inguina attrahantur, utriſque ceſti extremis prope pubem immediate extus annectantur, vel mediate, ex eo quod funiculis unicuique ejuſdem ceſti extremo extus aſſutis una ex parte, & altera pendulis, una conjungerentur ductili nodo laxiori ſtrictiori, prout urgens requirere poſſet occaſio. Ad efficiendam commode ani repoſitionem, capite declivi pronus ſit æger, coxis elatior, blanda manus, calido linteo ſpongiave armatæ, compreſſione verſus interiora anus propellatur. Si ab inflammatione podex non vacat, emolliente reſolvente ac carminativo fotu demulceatur. Sedata vero phlogoſi, aromatico aſtringentia ac tonico-anodina, vino intenſe rubro decocta ano, lumbis & oſſi ſacro ſuper imponantur. Mollibus & idoneis quoque firmanda ſunt faſciis ejuſmodi topica. Nihil impedit, quominus remedia hoc in caſu proſpere faceſcant, dum intus, injectione aut ſuffitu aſſumuntur. Ab aëris exterioris injuria defendatur anus ſumma cum cautione. Si, divexante ani prolapſu, ſimul adeſſent etiam hœmorrhoides, quæ ſæpe in adultis,

in pueris aliquando, teſte obſervatione in puero fere quatuor annorum recens habita, deſæviunt, aſtringentia quælibet admodum damnoſa forent. Tali in caſu de legitima hæmorrhoidum cura promovenda, potius quam de exequenda rite ani reductione ſollicitus ſit Medicus. Iis probe curatis, in integrum frequentius ſaneſcit ani procidentia. Si infanti prolabitur, omni fere tempore ad arbitrium reponi habilis eſt; modo ille immodicos in ejulatus non erumpat. Sive eo temporis articulo, quo tentatur ani repulſus, periſtalticus abſolvatur motus, ſive citra illius abſolutionem ſuſcipiatur, pari facilitate in effectum deducitur. Jam vero perennis cum haberi nequeat repoſitio, perpetuas ut in ſuppetias veniat peculiare peſſarium retentioni præſtandæ prorſus idoneum, neceſſarium eſt. Sequens præ aliis eligatur ſpecies, aut altera hanc proxime excipiens. Scutum integre eburneum, coniforme, intus concavum, utrinque pertuſum, latiori baſi expanſum, duorum aut trium pollicum oblongum, paulo minoris quam ani diametri latum, baſi unius pollicis & ſemis capax, circulari foraminulorum ſerie ocellatum. Ceſtus ejus & habenulæ, ac ipſemet illius deligandi modus ſit, ut ſupra ubi de vaginæ peſſario. Alia eundem in ſcopum peſſi ſpecies non quodam abſque emolumento admoveri poteſt. Coniforme eſt, elaſticum, extenſionis & contractionis capax, triplici conſtat parte, apice nempe, medio & baſi. Eburneus eſt ejus apex, balani virilis omnino figuram referens, pertuſus ſurſum, lævis, unius pollicis longus, infima in parte depreſſior eſt ille balanus, in orbem multoties perforatus, unius fere pollicis capax; medium hujuſce peſſarii ſpiraliter contortum, ferreum, elongationis & abbreviationis compos, circulari modo ſupra baſim innixum adhærendo. Baſis ejus, ferrea bractea eſt, ſurſum convexa, deorſum concava, medio perforata, ne continuam aut interpolatam ani expirationem prohibeat illud peſſarii genus, circa limbum diſpoſitis in orbem foraminulis patens. Ceſtus & cætera ut in aliis, a quibus tamen videtur differre, quia extremum ejus brevius annulum habeat aſtrictorium ad baſim ſemitruncatum ocellorum loco, & geminis pro tæniolis geminam habeat ſphærulam aſtrictoriam & inguinibus adverſam. Eburneus autem balanus peſſarii medio ſuperaſſuitur filo ocellis trajecto. Medium illud vitulino xylinove circumtegitur corio unum verſus latus futura conjuncto; baſis ſupra & infra altero ejuſmodi corii fruſtulo integre invaginatur, quod filo ejus foraminulis tranſmiſſo ipſi circumſuitur. Inferiori ejuſdem baſis parti adjicitur ſuum ſecundum corpus unico foramine pertuſum baſis foramini reſpondente habenula femoralis binos in lorulos diviſa, duplici lamella vervecina conſtans, quæ longitudinali extus futura conſuta eſt; aliquo nullove farcimine ad pelvis & femorum latera impletur hæc habenula. Corpus ejus unius palmæ longum, duplicis pollicis latum eſt. Loruli illius poſteriores ceſto tranſverſo extus aſſuuntur tranſverſali modo poſtice coxarum prope latera ſupra os ſacrum, magis aut minus ſua adhæſione inter ſe proximi ſunt, prout majus minuſve eſt ceſti corpus, quod majorem minoremque pelvis capacitatem ſequitur.

An-

Anteriores ejuſdem habenulæ loruli ſupra inguina ad pubem, reflectuntur, interjectis genitalibus, & aſtrictorio globulo extus ceſto adnitenti ſuum penes apicem oblongis tribus aut quatuor oculis diductum alligantur. Prædictas propter conditiones, quibus gaudet illud peſſarii genus, aſcendit deſcenditve & producitur curtaturve ferrea ſpira mediante; prout varia eſt corporis motio, major minorve ejus compreſſio eſt. Omnes tamen ejus effectus in tantum adeo variant, in quantum diverſum eſt ejus elaterium, niſus & compreſſionis punctum. Quamvis probe elaborata ſint ſubligacula eburnea, uti & peſſaria, damnoſa tamen & periculoſa fiunt, niſi convenienti in loco decentique ratione admoveantur. Subligacula autem chalybeato abſque cingulo geſtari, & ceſto potius mere coriaceo prædita, quid antiquius, quid natura inſtituto magis conſentaneum? Sicut enim abdominis muſculi a natura molles lacerti ſunt & limites, ortu & termino invariabiles, ſua in deſcriptione nunc fixi, nunc diverſis pro motibus peragendis mobiles, & alvina ubique ad opus & quantum requiritur, viſcera comprimunt; ita & illa inſtrumenta ad imitationem naturæ facta ſuum penes ceſtum mollia ſint. Modo fixa, modo diverſis ventris motibus obſequioſa ſua in longitudine, adeo ut ſuum penes ſcutum & ceſti adniſus punctum firmiter ac jugiter comprimendo, alterum Herniæ exitum exacte obturet, alter ſupra ſpinæ columnam fixius adnitatur & inhæreat. Sed ita æquali modo innitatur ceſtus, ut ſemper & ubique ventrem ſua in circumductione probe conſtringat; qua de cauſa, præſertim an præternaturales adſint quædam dorſali in ſpina coxarumve ambitu eminentiæ, attendat Chirurgus. Eundem itaque farciat illis in locis quibus is vicinas ſuper eminentiarum partes innixurus eſt. Sic omnimodo & æqualis evadat ejus compreſſio. Si æger macie laborat, dum recubat, zona paulo magis aſtringatur; ubi a ſomno arrectus ſtat, eandem paulo relaxare meminerit, ne varios proinde in lecto propter motus obeundos ſcutum ab Herniæ loco diſturbetur. Neque femorales habenæ ceſto adhæreant, verum ſcuto, quoties major & conſtantior ſupra Ramicis foramen intenditur ſcuti compreſſio. Neque ſcapulares habenæ ſcuto, zonæ potius ſemper connectantur. Omnimoda zonæ ſcapularium & femoralium habenarum præcavenda eſt renitentia, ne in nihilum reducatur totum ſubligaculi lucrum. Horizontalis ceſti applicatio non ex Ramicis deſcenſu, ex ejuſdem vero foraminis ſitu repetenda eſt, ut a ſcuto accurata fiat hujuſce obturatio. Lactantes denique pueri cum perpetuo fere ſtercore ſqualeſcant, mutandæ ſæpius eorum faſciæ ſunt. Enormis ſi Hernia ſit, vel maxime patens illius foramen, profundiorve ejus ſedes, eburneum ſuper ſcrutum aſcendit hæc interdum & protuberat. tali autem in circumſtantia, aut eburneum ejus ſcutum ſpiſſiori majorique volumine gaudeat oportet, aut eidem pulvinatus quidam glomus ſerico ſtamine vel carminato lino inflatus ſubſternatur. A ſcuto ſolutus, vel ipſi firmiter adhærens eſſe poteſt iſte glomus, cujus miniſterio ut illud magis tumeat & in Herniæ exitum fortius comprimat plurimum ex re eſt. Ejuſmodi ſubligaculum in-

guinali in Hernia veteri frequentius quam in alia quavis locum habet, excavata nimium propter inguina, vel patula nimis Ramicis orificia. Nihilominus hic potius admoto ſubligaculo ſubterfugit, quam illud ſuperat, cumprimis ſi femoralis deſit habenula. Nuſquam ſedi infantium Ramicis ſuperdetur eburneum duriuſculumve aliud vinculi ſcutum, niſi antiqua, hæreditaria, & præcraſſa Hernia ſit, apertumve nimis ejus foramen. Scutulus tunc ſubanguſtus & molliter comprimens ſcuti loco decenter venit imponendus. In adultis etiam, quoties recens, & parva Hernia eſt, aliquave cum foraminis anguſtia, toties præſcribendis a vincturis abſtineas. Frequentior forte earum apud hodiernos, & rarior medicamentorum idoneorum uſus eſt. In cauſa eſt ſane, hocce poſito, cur omni numero abſoluta vix inveniatur hodie Herniarum curatio. Hunc in ſcopum igitur, abſimili licet effectu, ſimul colliment hæc & illa. Validiorem vero ſcuti compreſſionem & ſtrictiorem circuli conſtrictionem ac diuturniorem Subligaculi admotionem exigit epiploicus Ramex, quam inteſtinalis. Reducto inteſtinali, etſi foras divagatur epiploicus, ne relabatur prior, ſubligaculum gerat æger, quo ramicoſa apertura non niſi leviter comprimatur, nec ab ipſo lædatur epiploon. Inguinalis ſi Hernia ſit, omentum reponi inhabile verſus penem adducatur perdocili dextra, ita ut prope ventris annulos verſus ſuperiorem eruris partem præmolli ſuper pulvino innixum leniter collocetur. Ubi ſemel Hernia, quæcumque ſit, conjunctum habet morbum prægravem, nullum apponatur ipſi ſubligaculum, continentem præter faſciam, inſtituta prius etiam repoſitione. Pueris quam admodum familiare eſt ejuſmodi vitium, in quibus Ramex & hydrocele communem ſæpius ſortiuntur originem!

Ergo Hernioſis, ex Scuto eburneo coriaceoque Cingulo, Subligacula.

JOA.

CLXII.

JOA. ADAMI KULMUS

DISPUTATIO

MEDICO-CHIRURGICA,

DE

EXOSTOSI STEATOMATODE

CLAVICULÆ, EJUSQUE FELICI SECTIONE.

Respond.

PAUL. HENR. GER. MOEHRING.

Gedani 2 Maii 1732.

Landesbibliothek Oldenburg

CAPUT PRIMUM.

Exhibens caſum & operationem.

§. I.

HOmo quidam juvenis 27. annorum, nomine *Jacobus Lampcké*, macilentæ & parvæ corporis ſtaturæ, pauperrimæque ſortis An. 1730. menſ. Jul. ad chirurgi jurati dexterrimi, *Ludolphi Remmers* accedebat ædes, à quo ſuberogabat eleemoſynas, conqueſtus de tumore quodam inſigni in pectoris latere ſiniſtro, qui dolorem ipſi ſubinde intenſiſſimum crearet, ita ut, urgente hoc impedimento, nullum laborem, quem alias lubens in ſe ſuſciperet, ſubire poſſet. Flagrabat chirurgus deſiderio tumorem, quo veſtis obducta alte adtollebatur videndi & penitius explorandi, quare eum ſecum abducebat in conclave. Denudato poſtea pectore deprehendebatur tumor, Fig. I. in ſitu naturali delineatus, non ſolum inſignis magnitudinis, ſed inſolitæ etiam duritiei.

§. II. Quærebat ex juvene chirurgus circumſtantias, unde hæc excreſcentia ortum traxerit & à quo tempore ea jam fuerit obſervata? Cui ille inter alia reſpondebat, ſe veram quidem hujus mali cauſſam ignorare, ipſius vero amicos ei narraſſe, quod in prima olim pueritia ex altitudine quadam decidiſſet, quo lapſu primo dolor in humero, poſtea tumor in pectoris ſummitate ſub collo enatus ſit, qui ab initio ſaltim exiguus, brevi tamen mora ad juglandis magnitudinem acceſſerit; quum vero tum temporis ſuis jam fuiſſet parentibus orbatus, ſumtibus ad medelam impetrandam neceſſariis deſtitutus, hinc tumorem iſtum plane neglectum ſibique relictum multorum annorum intervallo adeo inſigniter excreviſſe: maximum vero ejus incrementum contigiſſe tribus abhinc annis, dum laboribus gravioribus fuerit deditus.

§. III. Hac de re poſtea certiores faciebat dictus chirurgus nos & duos alios chirurgos, pariter artis ſuæ peritiſſimos, qui invicem à miſero illo homine accerſito cunctas prædictas circumſtantias percipiebamus, atque tumorem ſolicitius conſiderabamus. Accreverat ille pectori inæqualiter convexus, gibboſus, latoque ambitu a clavicula ſiniſtra ad mammillam ejuſdem lateris protenſus, qui ſuperius verſus collum adhuc ultra baſin, ſeu cohæſionem cum corpore, fere ad palmæ dimenſionem prominebat. Longitudo tumoris convexi erat unius pedis; latitudo autem dimidii cum 4. pollicibus, & tota circumferentia duos pedes, ſive integram ulnam quadantenus ſuperabat. Parum ſaltim mobilis videbatur hæc excreſcentia, tactu explorata & ubique validæ duritiei, quæ imprimi nequaquam ſe patie-

batur

batur. In externa tumoris superficie copiosa cernebantur vasa sanguifera, quæ digiti fere crassitiei sparsim proreptabant.

§. IV. Credebatur à nobis ista excrescentia e numero illorum tumorum esse, qui proprio cinguntur folliculo seu membrana, medicisque steatomatis, atheromatis & meliceris nomine veniunt. Propterea eandem curam, nempe cautam proprii folliculi separationem à corpore, noster quoque tumor requirere videbatur, quam tamen copiosa & insignia vasa sanguifera, præsertim circa claviculam, ob ramos arteriæ & venæ subclaviæ, & ipsa tumoris magnitudo difficillimam redditura esse vere suspicabamur. Variis dubiis & quæstionibus pensitatis, decernebat nihilominus eamdem perficiendam in se suscipere laudatus *Dom. Remmers*, opitulantibus reliquis prædictis duobus chirurgis; postquam videlicet omnes circumstantiæ debito modo quam accuratissime invicem fuissent exploratæ.

§. V. Mentem nostram deinde exponebamus ægroto, qui auxilium, gratis ei oblatum, anxie expetebat, ac operationem intrepide sustinere promittebat. Et quamquam illi omne periculum exponebatur, quod e tali operatione dubia ipsi evenire posset, nihilominus tamen urgebat medelam tenaciter, asserens, se omnia, etiam infaustissima metuenda, constanti ac intrepida mente exspectaturum, esse seque lubentius velle mori, quam tale oneris impedimentum atque dolores, quos circa plenilunium atrocissimos (§. 1.) diutius sentiret, perpeti: fatebaturque, se apud multos jam chirurgos etiam in hac civitate auxilium quam solicite, attamen frustra, desideravisse, qui omnes medelam impossibilem crediderint eique suaserint, ut mendicando panem quæreret, quum privilegium istud, ad id vitæ genus otiosum adprime idoneum, cuilibet homini monstrare posset: verum se hujus mali & multorum dolorum jam pertæsum, ad eam vesanæ mentis dementiam sæpe fuisse redactum, ut sibimet ipsi tumorem abripere, aut abscindere, aut quocumque modo mortem accelerare animo agitasset.

§. VI. Hoc audito magis adhuc excitabatur desiderium in nobis, misero isti homini suppetias ferendi. Quare consultius reputabamus, ut eum, desperationi proximum, à pessimis peccatis & scelerato proposito liberaremus, quam ut operationem dubiam meticulosi fugeremus. Et quamquam quorumdam chirurgorum invidiosorum præsagia infaustissima, de proposita hac operatione contra nos prolata, ad aures nostras perveniebant, tantum tamen aberat, ut ea à justo illo proposito absterrere nos potuissent, ut talia potius sinistra judicia generoso animo contemnere, & in salutem hominis infelicissimi curas nostras, sub auspicio divino, majori alacritate impendere conaremur. Quapropter alimenta ei necessaria suppeditabamus, atque remediis sanguinem depurantibus & purgantibus per vices corpus ad exsequendam operationem per 6. hebdomadas præparabamus.

§. VII. Ut vero in ipsa operatione & post eam hujus ægri, in summa paupertate constituti, convenientis habitaculi, debitæ diætæ, ceteræque

in

in morbo curæ rationem haberemus, rogabamus Rever. Dominos Fratres Misericordiæ, ut eum in Xenodochium suum benevole susciperent, in primis quum Romano-Catholicæ religioni esset addictus: qui etiam lubentissime nobis adsensum præbebant, eique per totum morbi decursum omnem præstabant operam desideratissimam ita, ut ægroto non solum proprium conclave & alimenta concederent, sed etiam ei soli, per dies noctesque, aliquem fratrem religiosum adderent, qui omnem ejus curam gereret: quam benevolentiam nos semper grata mente recordabimur, ad officia qualiacumque obstrictissimi.

§. VIII. Die 9. Novembris matutino tempore instituebatur operatio. Ante omnia adponebatur universus adparatus, ad amputationem hanc necessarius: videlicet (1) diversæ acus bisulcæ, filo serico munitæ: (2) Pulvis stypticus ex calce viva, farin. volatil. myrrh. aloë, mastich. gumm. tragacant. arabic. sandar. oliban. sangu. dragon. bol. armen. lap. hæmatit. rad. consolid. mai. & barb. caprin.; (3) Liquor stypticus ex vitriolo cum aceto soluto; (4) fasciæ quædam utrimque capitibus præditæ, (*bandages à deux chefs*); (5) splenia (*compresses*), (6) plumaceoli (*plumaceaux*); (7) cultelli varii & hamuli, aliaque huc pertinentia.

§. IX. Ipsa autem operatio peragebatur in quorumdam Med. D. & multorum med. ac chirurg. studiosorum præsentium conspectu, sequenti modo: ipse patiens sellæ firmæ insidebat, circa humeros atque abdomen alligatus. Caput ut & utraque manus ejus à chirurgiæ studiosis detinebantur immota, ne libera harum partium agitatio sectionem impediret, aut interrumperet. Incisione dein decussatim supra tumorem mediante scalpello facta, labia cutis à tumoris folliculo caute separabantur, vasaque majora sanguifera, quotquot in conspectum veniebant, antequam resecarentur, ligabantur eam ob caussam, ne hæmorrhagia, seu nimia sanguinis profusio, ex iis negligenter vulneratis metuenda, ægrum admodum debilitaret, vitæque periculum minaretur. Tali modo tumor iste, una cum folliculo suo integro, usque ad arctissimam cum corpore cohæsionem, undiquaque à cute & musculis separatus, adducebatur postea à pectore vi, quanta fieri poterat, possibili, ut mediante cultro quodam majori, 8. pollices longo & $1\frac{1}{2}$ lato, unico ictu penitus amputaretur. Verum obstupebamus, quod exigua tumoris cohæsio residua, cujus diameter pollicis dimensionem vix superabat, acutissimum cultrum & adhibitam fortissimam scindendi potentiam plane eluderet. Et quamvis nos singuli successive maximo conatu cultrum adigeremus; nequaquam tamen resistentiam, cunctis viribus nostris validiorem, superare poteramus, quod acies cultri robustissimi, sub labore hoc diffracta, nos edocebat. Ex quo insigni renisu, quaquaversum æquali, luculenter patebat, tumorem illum rescindendum nihil aliud esse, quam exostosin, sive excrescentiam clavículæ, cujus basis, omnino ossea, cum clavicula esset concreta, nec

alio modo, nisi beneficio serræ sejungenda. Mobilitas tumoris, in §. 3. adducta, quam vero motus claviculæ effecit, nobis antea imposuerat, ut neque de ejus durissimo cum corpore nexu, neque de instrumento, ad hunc dirimendum idoneo, quidquam cogitaremus. Quum itaque serra chirurgica nobis ad manus non esset, eaque ad Xenodochium hoc, ab urbe nostra dissitum, brevi mora minime adportari posset, ideo cogebamur, plenariam tumoris ablationem ad aliquod tempus differre. Interea deligabantur omnes denudatæ & resectæ pectoris ac tumoris partes remediis stypticis, fasciisque idoneis, & æger tantis adhuc gaudebat viribus, ut ipsemet se in lectum conferre valeret, cui per vices interea porrigebatur potio quædam cordialis, analeptica.

§. X. Post meridiem revertebamur ad Xenodochium, tumorem ope serræ penitus amputaturi. Patiens quidem solicitus amputationem hanc ab initio permittere nolebat: conquerebatur de anxietate & debilitate, lentoque ac interrupto anhelitus tractu cunctas proferebat voces. Quum vero pulsum neque debilem, neque inæqualem, nec motus febriles observaremus, ideo sectionem necessariam & absque mora suscipiendam ipsi omni modo suadere adnitebamur. Sic, illo tandem consentiente, brevi temporis intervallo beneficio serræ osseam tumoris coalitam partem sejungebamus, & quam primum amputatio hæc erat peracta, patiens clara voce, non anhelosus, loquens confitebatur, se antea dumtaxat debilitatem mentitum fuisse, ob metum gravioris serræ doloris, cujus tamen sectio reciprocata sibi tantas sensibilitates non intulerit, atque præcedens carnis incisio. Interea durante tota sectione, tam ante quam pomeridiana, nulla lipothymia corripiebatur, levem tantum hæmorrhagiam expertus.

§. XI. Tumor resectus (*Fig. II.*) & bilanci impositus, 5. fere æquabat pondere libras; ejus autem substantia, à folliculo ambiente denudata, erat maxima ex parte ossea, præsertim inferius circa basin, quo loco os solidum & durissimum cum clavicula nexum constituerat; ad latera vero, ut & in superiori ejus ambitu ossea substantia porosior hinc inde cartilaginosas recipiebat partes interpositas, qualis ossea & cartilaginea miscela, materia tenaci, pingui, pultacea, flavescente ac rutilante, medullæ haud absimili referta, internam quoque tumoris substantiam, serra postmodum divisam (*Fig. III.*), constituebat, ita ut tumor iste *exostosis steatomatodes* merito dici queat.

§. XII. Post peractam hanc operationem difficillimam propinabantur patienti, rite deligato, potio analeptica & pulveres ex bezoardicis fixis cum nitro parati, & æger majorem sensim testabatur hilaritatem. Sequenti nocte fruebatur quiete, per vices satis tranquilla, prouti æger ipse & chirurgiæ studiosi, qui per noctem illam ejus curam habuerant, referebant. Proxima *die* 10. *Nov.* bono adpetitu delibabat prandium; pulsus erat æqualis, parum commotus, neque adeo febrilis, & admodum

dum se gerebat alacrem ; de aliquo tamen dolore in collo & gena sinistri lateris conquerebatur : quare fasciæ, spiritu vini camphorato madefactæ, vulneri adplicabantur, unde dolores isti penitus cessabant. Altero *die* 11. *Nov.* pariter erat placatæ mentis, alvus vero adstricta clysmate movebatur ad secessum. *Die* 12. *Nov.* semovebantur prima vice fasciæ : vulnus purum & bene comparatum nullum plane fundebat sanguinem, quare ei unguentum digestivum cum Ess. Myrrh. & succin. subactum tepide adplicabatur, atque Ess. Alexiph. D. Stahl. per vices capienda præscribebatur. *Die* 13. *Nov.* erat patiens admodum debilis, quoniam illam noctem transegerat insomnem & variis deliriis turbatam. Ratio autem inquietudinis erat : fratres misericordiæ vespera præterita comederant caseum, cujus esum æger anxie adpetens, id alimenti genus difficillimæ concoctionis avide deglutiverat. Quapropter statim matutino tempore venæ sectionem & pulverem stomachalem digestivum in auxilium vocari consultum duximus. Sic post meridiem ille melius se habebat, & aliqualis sudor profluebat ; vulnus autem eodem die intactum relinquebatur. *Die* 14. *Nov.* optume quieverat æger per noctem ; vulnus optatam proferebat suppurationem & ipse ægrotus e lecto surgere valebat, ut stragulum commode adaptaretur, atque indusium commutaretur. *Die* 15. *Nov.* per totam diem & *d.* 16. pariter bene se gerebat. *Die* 17. *Nov.* commoda gavisus erat quiete. Quum vero alvus justo modo non responderet, porrigebatur infusum Mann. Calabr. ad uncias binas, quo tres sedes movebantur. *Die* 18. & 19. *Nov.* tam ratione vulneris, quam valetudinis bene vivebat. *D.* 20. *Nov.* vulneris suppuratio exoptato cum successu succedebat, verum tussi corripiebatur, quam ab aliqua refrigeratione sibi contraxerat ; mox tamen à calore & propinata Ess. Alexiph. Stahl. profligabatur. *D.* 21. deligabatur vulnus optime constitutum solis linteis carptis (*charpie*) aridis, quo die, ut & 22. 23. 24. 25. & 26. *Nov.* ad votum vivebat. *Die* 27. *Nov.* inquietam transegerat noctem, procul dubio ob alvum, per 4. dies adstrictam. Quare eadem vespera adhuc Mannam dilutam hauriebat. Neque sequenti nocte somnum ceperat, sed admodum anxius, debilis & lipothymiæ proximus deprehendebatur. Postea vero quum *D.* 28. *Nov.* matutino tempore sedes & tormina solverentur, ad meliorem rediit statum : idque eo magis, quo optatiorem mox effectum Ess. Aromat. Wedel., cum quint. ess. melliss. sociata, præstabat, utpote qua per aliquot vices hausta ægrotus magnopere refocillabatur. *D.* 29. *Nov.* satis bene dormiverat æger, debilitas cessabat & adpetitus redibat. *D.* 30. *Nov.* deprehendebatur cicatrix vulneri sanando superficiarie inducta, ac patiens in hypocausto obambulabat. Sicque deinde brevi tempore convalescebat.

Landesbibliothek Oldenburg

CAPUT II.

Recenſet alia exoſtoſeos exempla.

§. XIII.

EX hiſtoria morbi, in cap. præced. tradita, luculenter patet, fuiſſe tumorem illum monſtroſum *exoſtoſin*, ſeu excreſcentiam oſſeam claviculæ. Eſt enim ἐξόστωσις alicujus oſſis, ceteroquin bene conſtituti, partialis luxuries & incrementum præternaturale, à quacumque etiam cauſſa contigerit.

§. XIV. Non recordamur, an aliquis exoſtoſin claviculæ obſervaverit, & quidem tam inſignis magnitudinis: proſtant tamen variæ obſervationes de aliorum oſſium mira protuberantia, quarum potiores, quæ nobis ſe obtulerunt, recenſere juvabit. Hiſtoriam de quadam exoſtoſi ſteatomatoſa monſtroſæ magnitudinis & figuræ in oſſe femoris deprehenſam refert ſolertiſſimus naturæ ſcrutator, *Scheuchzerus*, *in Annal. Phyſ. Med. Wratisl. vulgo Breßl. Saml.* 1723. *menſ. Mart. Claſſ. IV. artic.* 9. cum adjecta figura. „ Femina 40. circiter annorum, à teneris juventutis annis curvorum aliquot artuum, veluti à diſpoſitione rhachitica, inde à „ tribus vel pluribus annis exoſtoſin ſenſit, quæ vel tactu facile diſtingui potuit in femore dextro. Accrevit inter plures cruciatus, quos „ muſculorum extenſio & perioſtei eroſio cauſſabantur, ut in ultimis vitæ diebus obtinuerit tumor oſſeo-ſteatomatoſus peripheriam 34. pollicum „ & 4. lin. Pariſ. Solum ſteatoma, ab oſſe reſectum, ponderavit 16. „ libras vulgares. Steatoma ipſum paſſim fuit cartilaginoſum, immo oſſeum, cavitatibus hinc inde ſeu ichore acri repletis diſtinctum &c.

§. XV. Aliam oſſis femoris exoſtoſin ſiſtit *C. Stalpartius van der Wiel* in ſuis *obſerv. rar. Med. Anat. Chirurg. Cent. II. Obſ.* 44 a lue venerea generatam, *quo malo*, ut verbis utar auctoris, *ipſa tibiæ ſubſtantia haud aliter, quam malignis ulceribus excreſcentia ſolet carnea, intumuerat: oſſea quippe iſthæc prominentia, quartæ ulnæ partis longitudinem ac ſuperne majoris latitudinem æquabat pollicis in acutam, ac a tibia ſeparatam deſinens extremitatem. Hæc autem vitam miſero eripuit labes, qui tale libidinis pretium tulit.* Aſt errorem calami de parte adfecta in hac obſervatione optimum Auctorem commiſiſſe, facile cognoſcimus, quam binæ adjectæ figuræ non tibiam, ſed os femoris nitidiſſime ſculptum, repræſentent, in cujus media, eaque anteriori parte illa excreſcentia præternaturalis conſpicitur. Fueritne iſte homo juvenis, an adultior, hiſtoriæ Auctor ſilet. De alia exoſtoſi oſſis tibiæ idem Auctor binis verbis mentionem facit in *Cent.* 1. Obſ. 94.

§. XVI.

§. XVI. Pariter in ossis femoris parte anteriori, paullo sub trochantere minori, productam exostosin elegantissimo icone repræsentat *Godof. Bidloo, Decad. II. Exercitationum Anatom. Chirurg. IX. de Exostosi:* quæ post mortem viri cujusdam, 42. ætatis ann. adparuit. Laboravit vir iste jam a multo tempore tumore durissimo in ossis femoris parte superiori, ceteroquin saniissimus; tandem vero ex pleuritide vita decessit. Idem. *Celeb. Auct. loc. cit.* ingentem exostosin minimi digiti in juvene 25. ann. ætatis, reliquo corpore sano, exhibet. Occupaverat ossea hæc protuberantia præternaturalis tertiam ossium phalangem, quæ a multis jam annis accreverat, absque tamen ullo dolore, aut alio præter incommodum partis symptomate: hanc postea Auctor beneficio cunei malleolique ictu feliciter amputavit absque insigni hæmorrhagia. Ipsam monstrosam exostoseos figuram indicant icones, observationi huic adpositæ.

§. XVII. Similem fere exostosin minimi digiti sinistræ manus alebat hic Gedani puella quædam 18. annorum, a juventute sensim absque notabili caussa succrescentem, quam præterito anno supra laudati Chirurgi (§. 3) nobis præsentibus, pari methodo (§. 16.) feliciter exstirparunt. In eo tamen differebat hæc exostosis a præcedenti, quod tumor luxurians puellæ nostræ altiores in manu egerit radices, & præter secundum & tertium digiti membrum simul os metacarpi, quod minimum digitum sustentat, obduxerit: propterea pars illa metacarpi a reliqua manu necessario prius fuit separanda, quam digitus inutilis detruncaretur.

§. XVIII. Aliam digitorum exostosin pertractavit *Jo. Ern. Schaper* in disputatione *de digitis monstrosis*, Auctore & Respondente *Carol. Frider. Below*, quam tamen excrescentiam auctor spinæ ventosæ adnumerat. Femina namque 38. annorum in aliquo pago prope Rostochium, quum sextum ætatis annum ageret, ab ostio quodam ad clausuram in manus dextræ digitos annularem & auricularem ruente, talem vim passa est, ut illorum digitorum ossa prorsus in frusta essent conquassata: ejus vero parentes in paupertate constituti debitam coaptationem & consolidationem neglexerunt, ac tantum cum pane butyro illito diffracta membra deligarunt, unde læsorum digitorum, horumque in primis ossiculorum, propullulavit deformitas insignis, quam adpositæ figuræ, præsertim in Tab. II. repræsentant. Post biennium iterum pollex ac index ejusdem manus premebantur ex improviso clausura jugi bovium, tanta vehementia, ut uterque digitus conquassatus planitiem obtineret. Hinc pariter isti digiti nacti fuerant adcrescente ætate deformitatem nodosam, sicque tota manus alebat digitos monstrosos, excepto medio. Quos intensissimos dolores subinde senserit ægra, & quam amputati digiti internam faciem exhibuerint, ipsa disputatio cum aliis circumstantiis prolixe docet.

§. XIX. Manum sinistram alicujus juvenis 16. annorum monstrosam descriptam & quatuor figuris nitidissime depictam sistit *Mery dans l'Histoire de l'Acad. Royal. des Sciences A.* 1720. *p.* 447. *edit. Paris. & p.* 582. *edit. Belg.*

Belg. Tres cernebantur in hac manu protuberantiæ osseæ, variis in locis exulceratæ, quarum maxima primæ & secundæ phalangi annularis digiti adhærebat, secunda, eaque mediæ magnitudinis exostosis nectebatur medio digito iisdem in locis; tertia autem, quæ minima erat, accreverat auriculari digito, pariter in primo & secundo articulo. Diameter maximæ excrescentiæ erat 7., mediæ 6. & minimæ 4. pollicum. Caussam adlegabat æger conquassationem manus, anno ætatis 6. passam, a qua brevi tempore digiti intumuerint. Similem fere observationem manus monstrosæ refert *Marc. Aurel. Severinus*, *Tract. de recondita abscessuum natura*, *pag. m.* 142. *& sqq.*

§. XX. Occupat communiter exostosis diaphysin, seu mediam ossis partem, ingentem tamen exostosin utriusque condyli in extremitate femoris inferiori observavit celeb. *Mery*, quam describit atque delineatam offert *dans les Memoires de l'Acad. Royal. des Sciences A.* 1706. *p.* 245. *edit. Paris. & p.* 318. *edit. Belg.* Militem 40. circiter annorum vexaverat hoc malum, violentissimis doloribus, quos tandem amputatio mitigavit. Latitudo hujus excrescentis tumoris se extenderat ad 9. pollices, quam altitudo dimidia pollice adhuc superavit. Condyli ipsi penitus exuerunt figuram pristinam ex convexa in planam mutati, intus materiam polyposam continentes.

§. XXI. Ossis humeri exostosin tradit *Tulpius Obs. Med. Lib. IV. p. m.* 315. in viro, quæ ab initio admodum increvit, intus autem substantia ossea, mollis & corrupta adparuit. Simile exemplum intumescentis brachii apud mulierem quamdam suborti refert *Fabricius Hildanus Obs. 69. p.* 341. & *Blegny in Zod. Med. Gall. Part. II. f.* 209, adducit juvenem, in cujus brachio exostosis, paullatim post fracturam ad magnitudinem valde notabilem excrevit.

§. XXII. Cranii exostosin observatam suppeditat *Jo. Burchard Mögling in Ephem. nat. curios. Cent. VI. Obs.* 21. de viro 70. annorum, qui de scala delapsus caput gravissime adlisit, subsequente exacerbato, eoque ad mortem usque durante capitis dolore. Succrevit etiam tumor fungosus in meatu auditorio sinistro, ad pugni magnitudinem auctus, qui tandem ruptus multum quotidie saniei fœtidæ fudit. Ablatum post mortem cranium in utroque osse sincipitis ad latera futuræ sagittalis in interiori lamina monstravit exostosin inæqualem, durissimam, eboris instar albam, crassitie & circumferentia florenum fere adæquantem, in dextro latere grandiorem, quam in sinistro. Adhæserunt quoque duo ossicula duræ menyngi sub osse frontis. *Transact. Philos. Angl. abrid'gd T. III. p.* 295. de alia exostosi cranii post mortem viri 30. ann. observata leguntur sequentes circumstantiæ. Conquerebatur miser iste homo per 10. annos de gravissimo capitis dolore, tanto, ut propterea tandem visu privaretur; in sinistro osse bregmatis tumor suboriebatur, qui apertus copiosum sanguinem grumosum fundebat, tertio die exstrahebatur ossiculum variis eminentiis

acutis

acutis præditum, quarto autem die moritur æger. Offi bregmatis incumbebat poſt mortem exoſtoſis ad pollicis dimenſionem elevata, & ubique parvis eminentiis cuſpidatis atque coniformibus prædita; interna quoque offis hujus ſuperficies pariter erat inæqualis, hinc inde cum menyngibus connata, cerebrum tamen reperiebatur rite comparatum. Cranii externam & internam faciem pluribus in locis magno lamellarum oſſearum, acutarum, atque denſiſſime invicem adgeſtarum numero refertam memorat *Rudolph. Jac. Camerarius in Ephem. nat. cur. Decur. II. A. VI. Obſ.* 99. quas excreſcentias cum ſale quodam criſtalliſato, forma fere pyramidali e baſi latiori in acumen deſinente comparat. Huc quoque referri poſſunt illæ excreſcentiæ capitis in hominibus, quæ cornua repræſentant, quorum varii auctores mentionem faciunt.

CAPUT III.

In Exoſtoſeos geneſin ac indolem inquirit.

§. XXIII.

OSſibus accreſcendis non ſemper optata felicitas favet, ſed ſæpe vel in utero, vel extra eum fortunam novercam adgnoſcunt. Notiſſimi ſunt effectus, quos matris imaginatio potentiſſima oſſibus, ea quandoque male formando, mutilando, aut plane deſtruendo, induxit; alii a vitioſa in utero nutritione derivandi. Nec hominum adultorum oſſa a deformitate deprehenduntur immunia, per ætatem licet juſtam duritiem obtinuerint, quale exemplum luculentiſſimum noſtra exoſtoſis commonſtrat.

§. XXIV. Quum ex definitione, in §. XIII. data palam conſtet, quod exoſtoſis ſit oſſis alicujus, bene conſtituti, nimium tamen accreſcentis, augmentum præternaturale; hinc omnino ab exoſtoſi differt *fungus*, qualis excreſcentia luxurians etiam quandoque ex ipſis oſſibus propullulat, at tamen ſemper in ulceratis & male adfectis offium partibus caucroſis nidulatur, ex corrupto humore oriunda, cujus ſubſtantia non oſſea, ſed ſpongioſa, mollis obſervatur. Minori adhuc jure exoſtoſi adnumeratur *ganglion*, aut alii *tumores cyſtici*; quæ excreſcentiæ nodoſæ artus quidem frequenter occupant, verum non ſunt oſſeæ, nec oſſibus, ſed tendinibus, aut muſculis adhærent. Nec *caries* ac *ſpina ventoſa* cum exoſtoſi conveniunt, utpote quæ carioſam & friabilem offium adfectionem cum putredine conjunctam ſupponunt. Noſtra autem protuberantia amputata monſtrabat ſolidam & ſanam ſubſtantiam oſſeam, perioſteo tectam, cujus interna, poroſa & cartilaginea facies medullam, offium more, recipiebat (§. XI.): quare omnino *exoſtoſis* dici meretur. Quum vero hæc medulla non ubique ejuſ-

dem

dem coloris aut substantiæ fuerit reperta, sed tenacem, pinguem & pultaceam miscelam, colore pallide flavo, albido & dilute cinnabarino gaudentem, constituerit (§. cit.), adeoque ad steatomatis contenta quodam modo adcesserit, merito *exostosis steatomatodes* vocatur. Est enim στεατωμα tumor cysticus, in cujus folliculo materia sebacea, aut pultacea reconditur.

§. XXV. Caussam exostoseos efficientem variam tradunt auctores varii. *Hippocrates Lib. de articulis* accusat pituitosum humorem: hunc *Galenus lib. de tumorib. cap.* 15. *class.* 3. adeo tenacem & viscosum putat, ut nullis emollientibus maturari queat, nec ullis ad exhalationem invitetur fomentis. Alii a melancholica, tenaci, salina, acida, cancrosa, scorbutica, aut venerea sanguinis dyscrasia, in ossium tubulis stagnante, & tandem ipsa ossa adrodente, exostosin generari sibi persuadent, quæ acrimonia salina, acida, reseratis lamellarum repagulis, extravasata & gelatinosæ lymphæ sociata, sensim cartilagineam osseamque indolem induat. At tamen ex ejusmodi succo corrupto corrosivo non solidum & bene constitutum os produci, sed ei potius noxiam cariem & spinam ventosam protuberantem induci, cognoscimus.

§. XXVI. Vera ossea substantia, & sic etiam exostosis, aliunde augmentum capit, nempe ex sincera ac laudabili, sanguinis massa, cujus particulæ tenaces, glutinosæ, a fibrarum, ab initio mollium, porulis ac interstitiis receptæ, iis adhærent & arctiorem nexum subeunt, unde fibræ tandem obrigescunt. Sic ossa infantum eo usque in longitudinem extenduntur, quo usque eorum fibræ adeo sint tensæ & invicem unitæ, ut nutrimento copiosius adpulso amplius cedere nequeant. Sic rigiditatem obtinent partes & fiunt ossa, citra spem ulterioris distensionis. Vid. *Clopton Havers Osteol. p. m.* 151. Limites quoque constituit periosteum: id enim ossa, veluti cortex arbores, cingit, iisque fibrillis tenuibus adhærentibus ulterius augmentum remoratur, dum ipsum augeri definit.

§. XXVII. Datur quædam ossium labes, rhachitis dicta, quæ ratione generationis cum exostosi admodum convenit, nisi quod illius excrescentia præternaturalis semper articulos occupet, hæc vero plerumque ossium diaphysin ampliorem reddat. Junioribus id genus morbi familiarissimum est, neque tamen ratio & experientia negant, posse adultos eodem quoque corripi. Deinde in junioribus rhachitis, præter nodosas articulorum protuberantias, ossium incurvationes efficit, dum ea nondum penitus rigida & justo copiosiori succo nutritio perfusa, valide renitentibus musculis, in ulteriorem longitudinem protendi nequeunt; exostoseos autem partes vicinæ a debito ossium tramite minime aberrant. Interim dantur nonnulli, qui dispositionem rhachiticam exostoseos caussam esse perhibent.

§. XVIII. Verissima, quæ nostram exostosin produxit caussa dubio procul post lapsum (§. II.) indeque diffractam claviculam, ab accrescente

calle

callo nimis luxuriante derivanda eſt. Diffracto enim quolibet oſſe in hominibus vivis, fibræ, vaſa, ſimul cum perioſteo dilacerantur: in vaſa vulnerata effundunt humorem, quo alias oſſa nutriuntur: hic extravaſatus extremitatibus aſperis adhæret, ibique coagulum inducit, ad firmam oſſium conſolidationem idoneum. Enim vero quum perioſteum ſimul diſruptum humori illi extravaſato non reſiſtat, latius ſæpe excreſcit callus, quare oſſa diffracta vinculis ſunt conſtringenda, ne protuberantem deformitatem producant. Sic quoque noſtro in caſu exoſtoſis lento paſſu ab abundantis nutrimenti adluvie, infractu & adcretione fuit generata, ceterum eadem lege nutrita, ut alia oſſa (*conf.* §. XXVI.), potiſſimum, cum fractura claviculæ omnimodæ neglecta, ſibique relicta fuerit (§. II.) Augmentum poſtea ejus ingens a vaſis ſanguiferis ampliatis, & ſupra tumorem copioſe proreptantibus (§. III.) adceſſit, in primis quum exoſtoſis hinc inde poroſa (§. XI.) ea libere tranſmiſerit.

§. XXIX. Excreſcentiæ hujuſce curam nulla alia abſolvere potuit medela, niſi reſectio, id quod experientia comprobavit. Jactitant quidem nonnulli adroganter, ſe exoſtoſes medicamentis corroſivis, exſiccantibus, eſcharoticis, aliiſque lente depaſcentibus removiſſe: nemo autem facile fidem dabit, quod prædicta remedia, ſive mandragora, cicuta, hyoſciamus, ſive uſtus pyrites, aut quæcumque muria, aut nauſeoſus caſeus vetuſtus ſit, potentiam in ſolida oſſa, cum fructu diſſolvenda, exſerere valeant. Alii, qui radulis & cauteriis actualibus exoſtoſes ſe curaſſe perhibent fortaſſis calloſas, tophaceas & fungoſas protuberantias, ſub exoſtoſeos nomine, tractarunt, an etiam feliciori cum ſucceſſu, ſit fides penes auctores.

FIGURARUM EXPLICATIO.

Fig. I.

Repræſentat hominem, cujus pectori excreſcentia adnata conſpicitur, à collo ultra mammillam lateris ſiniſtri propendens.

A. Excreſcentia ipſa, qualem figuram ac proportionem erga reliquum corpus ante operationem habuit, cute adhuc tecta.

B. B. Vaſa ſanguifera majora, per ſuperficiem diſtributa.

Fig. II.

Siſtit exoſtoſin amputatam, eamque inverſam.

A. Pars illa tumoris, quæ pectori antea adhæſerat, jam vero ſub ipſa ſectione cute ſua denudata & proprio ſaltim folliculo, potius perioſteo, cincta.

B. B. Pars perioſtei, quadantenus reflexa, ut oſſi incumbens conſpiciatur.
C. Alia tumoris hujus pars inferior, cute adhuc tecta.
D. Baſis ejus, quo uſque ea mediante ſerra reſecari potuit.
E. Protuberantia quædam, ſub cute deliteſcens, in medio oſſea, in ambitu cartilaginea.

Fig. III.

Exhibet tumorem per medium longitudinis diviſum & reclinatum, ut interna ſubſtantia pateat.

A. Utraque tumoris pars reclinata.
B. Membrana folliculi, qua partes diviſæ ſibi invicem cohærent.
C. C. Interna ſubſtantia, partim oſſea, partim cartilaginea, & materia pinguí, flaveſcente ac rutilante hinc inde repleta.

MICHAEL

CLXIII.

MICH. ERNSTI ETTMULLER

DE

VULNERE VENTRICULI

PROGRAMMA.

Lipsiæ 1730.

Landesbibliothek Oldenburg

B. B.

NOn ſolum cerebri, cordis, ſepti tranſverſi, inteſtini cujuſdam tenuis, jecoris & veſicæ, ſed & ventriculi vulnera lethalia pronuntiat *Hippocrates Sect. VI. aphor.* 18. imo & *Celſus Lib. V. cap.* 26. ſervari non poſſe, cui ventriculus ſit vulneratus, ſcribit. Certe, qui viſceris hujus dignitatem magnam, majorem utilitatem, maximam neceſſitatem, ſecum perpenderit, ultro fatebitur, totam œconomiam animalem turbari ac peſſundari, mortemque accelerari, ſi actio ejus fruſtretur. Sive enim vaſa, ſive ipſa ventriculi compages lædatur, periculum utrobique ſummum jure metuendum venit. Vaſa majora ſi diſcindantur, ſanguis, a quo vita immediate dependet, profunditur, nec ad reliquas partes diſtribui valet. Quoad compagem ejus, ſive orificia, ſive fundum, id eſt, quæ orificia interjacet, cavitatem penetrent vulnera, alimenta ingeſta pariter ac chylus in abdominis cavum prolabuntur, quæ ibidem, quod etiam de ſanguine extravaſato ſtatuendum eſt, quoniam educi commode non valent, vel putreſcendo, vel comprimendo, vel corrumpendo & erodendo, viſcera nobiliora lædunt, unde humores laudabiles, qui vivificare & conſervare debebant membra, deperdito chylo, nec reparari nec ſufficienter diſtribui valent. Nec parum ad curationis difficultatem tribuit ſitus ventriculi in abdominis cavitate abſconditi, ad quam manus chirurgica non adeo promte pertingere poteſt. Orificio vero ſiniſtro inflicta vulnera hoc peculiare habent, quod ob nimiam ſenſibilitatem & ſympathiam cum nobilioribus viſceribus, quam utramque a nervorum copia obtinet, cruciatibus enormioribus, lipothymiis, convulſionibus, vomitionibuſque biliosis ſtipari ſoleant; imo eo difficilius conſolidari poſſunt, quo citius medicamenta internæ propinata ad fundum ſe recipiunt, locum affectum mox præterlabentia. Verum jam olim *Galenus* de univerſali hujus regulæ veritate ſubdubitavit, dum *in Comment ad dict. Aphoriſm Hipp.* ſcribit: *In ventriculo dubitatur*, (vulnus eſſe lethale) *nam quoſdam in eo vulneratos dicunt aliquando, ſed raro, fuiſſe ſanatos.* Et ſane optime conſolidata vulnera etiam profunda Medicorum teſtantur volumina, e. g. *Albucaſis, lib. II. Meth. cap. 96. Jul. Alexandrini, annot. ad lib. VI. cap* 4. *Therap. Galeni Fallopii de capit. vuln. Joh. Matthæi difficult. Med. quæſt.* 21. *Schenkii lib. III. obſ.* 122. *Dan. Beckeri de cultriv. Pruſſ. pag.* 57. *Diemerbrockii Anat. lib. I. cap. 6. Menzelii in miſcell. Nat. cur. dec. II. ann. I. obſ.* 1. *Blegny Zodiac. Gall. Ann.* 1680. *p.* 206. *Ido Wolfii obſ. chir. med. lib.* 1. *obſ.* 27. *Cowperi the Anatomy of humane bodies Tab.* 4. Quemadmodum igitur lethalia ſunt vulnera ventriculi orificio ſuperiori inflicta ob dictas rationes, ita ſanationem aliquando admittere poſſunt, quæ fundum perforant; Fundus enim carnoſior eſt, quæ ſubſtantia præ nervea vel membranacea felicius conſolidatur, teſte *Galeno lib. VI. Meth. med. cap.* 4. pharmaca etiam vulneraria aliquandiu in eo commorantur & ſubſiſtunt, ac ob minorem ſenſibilitatem adeo diris ſymptomatibus non exponitur

æger. Contingere itaque consolidatio potest, si vulnus fuerit exilius, ita ut ratione substantiæ carneæ & per ventriculi corrugationem naturalem sponte coeat; aut superficiale juxta *Galenum in Sect. VI. aphor.* 18. Ad hæc observamus frequentius, in sectionibus brutorum vivorum coalescentiam viscerum cum externis integumentis. Quod si igitur ventriculus vulneratus omento, hepati, diaphragmati, vel musculis abdominis agglutinetur, prolapsus alimentorum & chyli in cavitatem abdominis inhibetur, topicisque medicamentis felicius tractari potest læsio. Qualem coalescentiam in rustico illo Cunersdorffensi, cujus *Schenckius lib. III. obs. fol.* 348. mentionem, facit, contigisse, tumor externus post consolidationem vulneris remanens probabile reddit. Minus etiam periculi subest, si per vulnus epigastrii partem ventriculi vulneratam ad exteriora adducere, & una eademque sutura stomachum & integumenta externa colligare liceat, quale quid ex *Schenckio loc. all.* & *Stalpart van der Wiel Tom. I. obs.* 39. factum videre est. Vidi superiori anno virginem 30 circiter ann. cui dirigendæ & observandæ œconomiæ Viri cujusdam celeberrimi munus fuerat concreditum, quæ foramen aliquod ad pisi majoris magnitudinem in regionis epigastricæ latere sinistro monstrabat, cum inflammatione & duritie integumentorum adjacentium, ex quo cibi & potulenta modo assumta effluebant. Referebat eadem, se ante decem annos in temonis extremitatem improvide impegisse, & ab illo tempore tumorem atque obscurum doloris sensum constanter dicta in regione percepisse, donec facta apertura non solum chymum sed & esculenta & potulenta, quotiescunque linteamina, quibus obvelaverat foramen, removerat promanasse observaverit. Remota inflammatione & duritie ad consolidationem perduci læsio hæc nullo modo poterat; officii enim sui rationi satisfactura ægra hinc inde discurrebat, scalas ascendebat, forum petebat, uno verbo nullam corpori concedebat quietem. Mutato autem vitæ genere lecto se committens intra paucas septimanas, clausum hoc foramen vidit, prospere nunc degens. Inter alia, quæ vel promtiorem curationem vulnerum & ulcerum spondent, vel difficiliorem pronuntiant, sunt motus vel quies, humiditas vel siccitas partium. Ut enim natura vel sponte sua, vel arte adjuta fibras dissociatas aut laceratas uniat, quiete opus est partis, ne quæ sibi modo appositæ, debitum vero robur nondum nactæ sunt, iterum dislocentur per motum, & à se invicem separentur fibræ; hinc læsæ partes, quæ continuo exercentur motu, difficilius sanantur. Juxta *Galenum* enim *Lib. V. Meth. cap.* 8. *membrum, cujus curandum est vulnus, oportet quiescere, & non moveri.* Quemadmodum thoracis ac pulmonum vulnera tardius coëunt, quoniam sub continuo respirationis motu quieti permitti nequeunt; hinc eodem *Pergameno loc. cit.* duce *laboranti ipsi injungendum est, ut nec magno utatur respiratu, ac semper agat silentium.* Imo ulcera eorundem inveterata omnem respuunt consolidationem, non solum quia hoc viscus continuo exercetur motu, verum etiam quia motus iste tussi, quam natura pro ejicienda materia purulenta excitare solet, ad motum exasperatur. Ut taceam, motum humorum affluxum promovere, qui tamen omni studio arcendus, repellendus &


Landesbibliothek Oldenburg

revellendus est, ne fibræ à nimia humiditate relaxatæ impediantur, quo minus coëant, vel debitum nanciscantur robur & firmentur. Ventriculum ad illas partes referendum esse, quæ non quiescunt, sed reiterato gaudent motu, nemo infitiabitur. Mediantibus enim fibris carneis varii generis motum suum exercet peristalticum, quo mediante latera ipsius propius ad se invicem accedunt, ima ad superiora urgentur, sicque alimenta ingesta non solum subiiguntur, sed subacta etiam ad intestina propelluntur, & quæ extra chylificationis tempus ibidem colliguntur liquamina, ulterius promoventur. Motum hunc ventriculi proprium auget motus adventitius, qui tempore inspirationis & exspirationis à diaphragmate & musculis abdominis eidem impertitur; atque uterque hic motus ventriculi per horam unam undetrigesies millies sexcenties octagies, quem calculum *Dethardingius disput. de subactione alimentorum in ventriculo* posuit, peragitur. Qui motus licet chylificationis tempore validior sit atque fortior quam extra illud, blandus tamen existit, & nobis non advertentibus celebratur; ac quamvis consolidationem læsæ unitatis aliquatenus difficilem reddat, non omnem tamen sanationis spem adimit, quemadmodum in ventriculo læsorum prosperæ curationes abunde loquuntur. Existimare etiam quis posset, liquorem gastricum, & salivalem, qui continuo in ventriculo colligitur, & potulenta, aliaque fluida, quæ ore assumuntur, arduam magis efficere vulnerum sanationem; verum dum de humorum affluxu, coalitioni noxio, loquuntur practici, excrementitios intelligunt humores, qui sunt arcendi; potulentorum vero copiæ morigeri ægri per abstinentiam moderari norunt; tantum autem abest, ut liquor gastricus consolidationem inhibeat, ut potius eandem egregie promoveat, ut mox dicemus. Infitiari interim non possumus, usque adeo refractarios esse quandoque tales effectus, ut omnem curationem respuentes in fistulam abeant. Vid. *Purmann. chir. curios. P. II. c. 6. & Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. V. obs.* 1. Nullum igitur est dubium, quin foramen, quod in epigastrica regione habuit virgo, ad ventriculi cavitatem penetraverit, quod situs ejus, & humores effluentes satis docent; non solum enim chymus, sed & potulenta & esculenta, e. g. decoctum *coffée*, cerasa nigra &c. modo deglutita exitum ibidem inveniebant, cui similem historiam recenset *Diomed. Cornarius Histor. rar. 9. pag.* 37. Interim tamen læsio hæc sublata inflammatione & duritie adjacentium partium feliciter & mox curari potuisset, non obstante motu ventriculi tam proprio quam adventitio dicto, nisi reiteratus & quandoque sat vehemens corporis motus respiratorium intenderit, & per consequens adventitium ventriculi motum auxerit; quod promta, imperata corpori quiete, consolidatio sufficienter docet; haud secus ac in juvene, de quo *Diemerbrockius Anat. L. VI. c.* 28. refert, quod vulnere in sinistra ventriculi parte accepto, per quod cibus & potus effluxerat, curatus fuerit, postquam dextro lateri dies noctesque incubuerit. *Vulnera* equidem, ut loquitur *Joh. Vigierius chirurg. Lib. II. c. 2. contusa operosioris sunt sanationis, quam ea, quæ sola & simplici continui solutione molesta sunt; nam antequam de unione restituenda cogites, moliendæ suppuratio est, & detersio, quæ res nisi longo tempore perfici nequeunt.* Verum, licet virgo per contusionem vulnus acceperit, eo tamen tempore, quo fora-

men illud fuit apertum, & curæ se concredidit ægra non amplius contusio, sed absces-sus erat, quantocyus abstergendus & consolidandus. Nec humiditas, quæ continuo in ventriculo colligitur, diu remorari felicem sanationem poterat. Liquor enim gastricus, qui ulcus alluebat, hoc detersit & mundificavit. Quam facultatem ei nemo denegabit, qui considerat hunc maximam partem ex saliva conflari, ejusdemque esse naturæ cum saliva, id est, constare particulis sulphureis aqueosalinis. Jam constat, canes vulnera & ulcera sua lambendo consolidationem promovere; & quis nescit, plura vulnera lingendo fuisse curata? vid. *Schurigii Sialolog. cap.* 4 §. 14. Non tamen liquamina ventriculi ad abdominis cavitatem sunt delapsa, quæ alias lethalitatem afferre supra diximus, sed vel per pylorum, vel foramen denudatum foras effluxerunt, cui simile *Menzelius in Misc. nat. cur. Dec II. Ann. V. obs.* 1. & *Ant. de Pozzis ibidem Dec. I. Ann. IV. obs.* 38. recensent, procul dubio, quia ventriculi superficies exterior hic loci cum peritonæo & musculis abdominis cohæserunt, haud secus ac hepatis lobum ventriculum perforatum obturasse *Max. Preussius in Ephemer. nat. cur. cent. III. obs.* 13. & *Courtial. obs. sur les os p.* 74. annotarunt, qui & omentum amplo intestini jejuni foramini applicatum *loc. cit.* sevidisse testatur. Idque in virgine nostra commode fieri poterat, quatenus unitatis hæc solutio non simul & semel facta, sed absces-sus sensim sensimque & per tempus bene longum contractus fuit. Fibræ enim ventriculi, vel peritomæi, vel utrorumque, per contusionem a temonis apice factam dilaceratæ serum copiosius plorarunt. Quemadmodum enim in statu sano membranæ continuo serum aliquod sudant, ita hoc dislocatis, ruptis, & laceratis fibris in circulatione sua magis impeditum, in uberiore copia ibidem coacervatum, sub dolorosa & spastica strictura ex tunicis & vasculis minimis expressum, atque avolantibus partibus tenuioribus suborto tumore, sub quo ventriculi superficies externa integumentis propius accessit, glutinis instar appositum fuit. Atque tales coalescentiæ aliorum viscerum inter se vel cum integumentis non adeo raræ sunt. In omnibus fere phthisicis pulmones pleuræ adhærere fuerunt observati: quam ob causam *Barry Consumption of the lungs p.* 266. non dubitat, paracentesin pro exantlanda materia purulenta & injiciendis mundificantibus remediis in thorace instituere. Et quot non prostant exempla eorum, qui in læsionibus intestinorum fæces per inguina, per absces-sum vel fistulam abdominis, per umbilicum, per vesicam urinariam, per uterum reddiderunt. Eandem & hic subesse causam non immerito haeriolatur *Platerus obs. p.* 881. qui, postquam de Capitaneo quodam, in ventre vulnerato, quod fæces per fistulam, quæ sanato vulnere illic remanserat, multos annos incolumis alioquin & superstes excreverit, retulerat, pergit: *Cujus causam investigans ex Anatomicis observationibus certis argumentis collegi, intestinorum vulnera, si illis in locis, ubi carnea musculorum abdominis portiones existunt, ventrem penetrent, agglutinatis tunc mutuo utrinque & intestinorum & musculosæ carnis vulnerum in ambitu labiis viam fieri posse, per quam stercus extra corpus educatur, & in abdominis cavum excidere prohibeatur.* Pari modo se res habet, quando lotium per alvum, ex abdominis vulnere, ex inguine profluit; vel quando hepatis renumque absces-sus exterius in abdomine facta ruptione solvuntur, quorum exempla jam allegare supersedemus. Per 10. ann. latuit antequam foras proruperit absces-sus. Inflammatio enim sæpe inter initia non accedit, uti inprimis fit in illis, qui per congestionem fiunt, absces-sibus, & diu sæpe collecta materia jacet, antequam inflammetur. Idque toto die observamus, quod quis contusionem passus fuerit, vel ab alto ceciderit, qui tamen de nullo conqueritur symptomate, obtusum si exceperis dolorem, unde dicunt: *sie hätten davon einen Knack im Leibe bekommen.* Hinc adeo frequenter occurrunt congestiones tales & absces-sus, qui demum superveniente inflammatione se manifestant. Natura enim lente operatur, nec prodit se anguis in herba latens, nisi mutato vitæ genere, commissis circa rerum non-naturalium usum erroribus, aliisque concurrentibus circumstantiis lacessitus foras prorepere incipiat. *Videmus*, dicit *Meibomius de abscess. intern. nat p.* 11. *quosdam abscessus cito generari, alios autem tarde, ita ut a principio generationis, quo per signa se cœpit manifestare abscessus. Sæpe non menses tantum, sed integra annorum spatia numerentur. Docuit experientia, quosdam in aliqua parte læsos vel casu, vel vulnere, vel pertusione, semper deinde de illa parte conquestos fuisse, tandem post plures annos prorumpente abscessu. Habui nuper exemplum cujus tam abscessu in pectore laborantis, qui ante* 18. *annos ab equo ceciderat, & ex illo tempore semper ibi aliquid senserat.*


FINIS TOM. V. ET ULTIM.

Landesbibliothek Oldenburg




Landesbibliothek Oldenburg

Tab. XXXIX.




Disp. Chirurg. Tom. V. VATER DE LETHAL. VULNER. INTESTIN. pag. 73.

Landesbibliothek Oldenburg




Landesbibliothek Oldenburg

Tab. XL.




Disp. Chirurg. Tom. V. HEISTER DE ART. CRURALI VULNERE pag. 151.

Landesbibliothek Oldenburg


D
E
F
B
C
A

Tab. XLI.



Disp. Chirurg. Tom. V. WALTER DE ANEURISM. pag. 193.

Landesbibliothek Oldenburg


B
C
D


Fig. 3. Tab. XLM.



Fig. 2.



Fig. 1.




Disp. Chirurg. Tom. V. HEISTER DE NOVA BRACHIUM AMPUT. RATIONE. pag. 238.

Landesbibliothek Oldenburg

Tab. XLIII.





DWIG DE FRACTURA COLLI FEMORIS.

Landesbibliothek Oldenburg

Tab. XLIII.





Disp. Chirurg. Tom. V. pag. 376.

LUDWIG DE FRACTURA COLLI FEMORIS.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

Tab. XLIV.

Fig. 2.



ATOMATIS FELICITER RESECTI. pag. 385.

Tab. XLIV.

Fig. 1.






Fig. 2.



Disp. Chirurg. Tom. V. ELSHOLZ HISTORIA STRATOMATIS FELICITER RESECTI. pag. 385.

Landesbibliothek Oldenburg

Tab. XLV.




Tumoris
Longitudo 8. pollicum.
Latitudo 18. pollicum.
Circumferentia baseos 13. pollicum.
Magnitudo aperturæ sponte factæ 3 ½. pollic.

NICATO MEMBRANACEO. pag. 406.

Landesbibliothek Oldenburg

Tab. XLV.




Tumoris
Longitudo 8. pollicum.
Latitudo 18. pollicum.
Circumferentia baseos 13. pollicum.
Magnitudo apertura sponte facta 3 ½. pollic.

Disp. Chirurg. Tom. V. SALZMANN *DE TUMORE TUNICATO MEMBRANACEO. pag. 406.*

Landesbibliothek Oldenburg



Tab. XLVI.



Disp. Chirurg. Tom. V. HEISTER DE TUMORIB. CYSTICIS SINGULARIBUS. pag. 442.




Landesbibliothek Oldenburg


Tab. XLVII.



Disp Chirurg. Tom. V HENSSELER HISTORIA BRACHII PRÆTUMIDI. pag. 460.


Landesbibliothek Oldenburg


Landesbibliothek Oldenburg




Æ SECTIONE. pag. 532.

Tab. XLVIII.




Disp. chirurg. Tom. V. WALBAUM DE VENÆ SECTIONE. pag. 532.




Landesbibliothek Oldenburg

Tab. XLIX.




Disp. Chirurg. Tom. V. PETIT, QUE LE CRISTALLIN EST FORT PRÈS DE L'UVEE. *pag.* 570.

Landesbibliothek Oldenburg



Landesbibliothek Oldenburg

Tab. L.



Disp. Chirurg. Tom. V. GUSOVII NOV. PARACENT. INSTRUMENTUM. pag. 691.

Tab. LI.

Fig. 3.







Fig. 2.



EXOSTOSI CLAVICULÆ. pag. 666.

Landesbibliothek Oldenburg

Tab. LI.

Fig. 1.



Fig. 3.



Fig. 2.



Disp. Chirurg. Tom. V. KULMUS DE EXOSTOSI CLAVICULÆ. pag. 666.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

HALLERI
DISPUTATIONES
CHIRURGICÆ
VOL. V.

Nw III
6 a
57

Landesbibliothek Oldenburg